CATALOGUS

CODICUM HAGIOGRAPHICORUM

BIBLIOTHECÆ REGIÆ

BRUXELLENSIS

CATALOGUS
CODICUM HAGIOGRAPHICORUM
BIBLIOTHECÆ REGIÆ
BRUXELLENSIS

PARS I. CODICES LATINI MEMBRANEI

TOMUS I

EDIDERUNT

HAGIOGRAPHI BOLLANDIANI

(*Analect. Boll.* tom. II-V)

BRUXELLIS
TYPIS POLLEUNIS, CEUTERICK ET LEFÉBURE
1886

CATALOGUS

CODICUM HAGIOGRAPHICORUM

BIBLIOTHECÆ REGIÆ

BRUXELLENSIS.

Locupletissimæ bibliothecæ regiæ Bruxellensis hagiographicos codices jam describendos suscipimus. Quorum ne multitudine quasi obruamur, imprimis in duas classes eos distribuendos censuimus : altera membraneos, chartaceos altera complectetur. Præterea, ne haud sine multo tædio et temporis jactura perplures sæpe Analectorum *nostrorum tomos pervolvere cogantur qui singularem aliquem codicem nosse voluerint, illam descriptionem a reliquis documentis quæ in singulis fasciculis exhibemus propria paginarum serie ita distinguere visum est ut Catalogi Bruxellensis folia facile simul collecta servari queant et, ubi completus fuerit, in unum volumen compingi. Denique et ob similem rationem Appendicem, qua continentur prolixiora nonnulla excerpta, non, sicut in Catalogo Namurcensi factum est, toti catalogo, sed ipsis singulis codicibus eam partem quæ ad ipsos pertinet subjiciemus.*

Porro iterum hic recolere juvabit quod in Catalogo Namurcensi adnotavimus (ad cod. 31), nos cum cl. Delisle (1) *formam codicum distinguere eorumdem longitudine seu altitudine definitam, videlicet:* Maximam, *ubi folia* $0^{m},50$ *altitudine superant;* majorem, *ubi infra hos ultra* $0^{m},37$ *porriguntur;* mediam *seu* mediocrem, *inter* $0^{m},37$ *et* $0^{m},27$; minorem *denique, infra* $0^{m},27$.

(1) *Bibliothèque de l'Ecole des Chartes,* 5e série, tom. III, p. 280.

CATALOGUS CODD. HAGIOGRAPHICORUM

BIBL. REGIÆ BRUXELLENSIS.

PARS I.

CODICES MEMBRANEI.

I. Codex signatus n° 64.

Constat foliis 310 (præter chartaceum in capite voluminis, cui manu seculi XVI inscriptus est index Actorum quæ complectitur codex, et duo folia membranea quæ olim adhærebant utrique parti interiori tegumenti, postea vero ab eo disjuncta sunt), formæ majoris (0^m,438 × 0^m,320), quorum non amplius triginta integra sunt, aliis plerumque in margine inferiori aliqua parte mutilis, deficiente amplitudine pellis. Multa etiam folia lacera sunt et filo consuta, totusque codex multo usu attritus.

Ceterum ex ipsis contentis facile cernitur eum adhibitum fuisse pro legendario in officio chori. Nulla enim alia documenta exhibet præter Vitas Sanctorum easque fere non integras.

Scriptura prodit triplicem manum seculi XI, ita tamen ut primæ tantum debeatur primus quaternio seu folia octo priora, alteri longe maxima pars codicis, a folio 9 usque ad 295, tertiæ reliqua, nisi quod partem folii ultimi 310 quæ vacua relicta fuerat, compleverunt manus seculi XII et XIII. Omnia folia exhibent columnas binas, lineas vero 39 (37 tantum in primo quaternione), stylo ferreo ductas. Tituli Vitarum et etiam subinde capitulorum minio scripti et litteris capitalibus; minio etiam signatæ majores litteræ capitales initio Vitarum et minores initio capitum; priores insuper passim flava tinctura et nonnullis ornamentis, sed satis rudi arte, decoratæ. Exordio singularum Vitarum una vel altera linea descripta est litteris capitalibus, exaratis quidem atramento sed flavo etiam pigmento insignitis.

Codicem olim fuisse monasterii Scotorum Herbipolensis (*Würzburg*), indicat hæc nota in fine folii 310 manu seculi XIV vel XV apposita : *Iste liber est Hybernicorum Herbipolensis diocesis extra muros ejusdem.* Itemque folio sequenti, quod prius adhærebat tegumento : *Iste liber pertinet ad Scottos Herbypolis extra muros*, manu extremi seculi XIII ; et paulo inferius descripta leguntur hæc nomina monachorum una columna verticali disposita, hoc ordine : *Benedictus* | *Masmerwinus* | *monachus herbypol.* | *necnon Scottus rct.* | *Laurentius prior* | *Thomas abbas* | *Tudual* (?) *abbas* (1) | *Dermianus* (?) | *Donatus* | *Tatheus* | *Mauricius* | *Dormicius*

(1) Hoc nomen et sequens exarata sunt atramento pallidiore.

| *Cornelius* | *David* | *Thomas* | *Enudus* | *Wilhelmus.* Et rursus: *Iste liber pertinet monasterii Scotorum Herbipol.*

Eodem folio verso exhibetur apographum instrumenti publici electionis *abbatis monasterii S. Jacobi Scothorum in Erford* (1).

Alterius folii anteriori tegumento prius adhærentis pars recta descriptos habet versus hexametros triginta et unum in laudem cujusdam Marini prioris, pars versa vacua relicta est (2).

(1) Cfr. *Analect. Bolland.*, tom. I, p. 540: ubi codex iste jam descriptus est.

(2) Istos nunc, fratres, versus audite, sodales,
Quos feci dulcem nostrum laudando priorem.
Quis prior est melior nostro vel quis quoque major?
Dico tibi manus vel si de mille sit unus.
Qui pius est, castus, mitis humilisque, serenus;
Parcus neque tenax, largus non prodigus audax;
Expers spinarum, nam plenus odore rosarum.
Et quis inest factor virtutum vel quoque suasor,
Quisve mali prohibens, paciens vel quis * quoque prudens,
Quisve gravis verbis, quis clemens quisve fidelis,
Quis verus, justus, quis sanctus, mundus, honestus,
Sicut inest domnus noster prior ipse Marinus?
Quis hominum stellas numerat, quis computat horas?
Quisve maris lymphas, quis pisces vel quis arenas?
Quis corvos, picas, alcanes sive cicadas?
Quis numeret ranas, serpentes sive leenas?
Quis tigres, parthos, quis linces, quis leopardos?
Quisve lupos, lepores, quis cattos, quis quoque mures?
Quisve domos, arces, urbes, quis mœnia, turres?
Quis sylvas, montes, campos, quis flumina, colles?
Quisve viros, gentes, mulieres, quis quoque plebes?
Quis fructus, flores, quis herbas vel quis odores?
Sic numerare pii bona quis valet acta Marini?
Ut superat reliqua Jordanis flumina cuncta,
Arboribus cunctis vitis, sol omnibus astris,
Leviatan cunctis præcellit mole marinis,
Noster sic omnes vincit bonitate priores.
Nec sui perficiam laudem quamvis Maro fiam:
Ergo tascebo loqui vitam laudando Marini.
Salveris sane, salve salveque, Marine.
Quem Deus et cunctos monachos cusdodiat istos.

* *cod.* quisque

1° Vita S. Nicholai episcopi et confessoris (fol. 1r-8v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — In fine mutila, abrumpitur his verbis : *Cum autem diu multumque ita gemerent, Nepotianus.*

2° Passio S. Andreæ apostoli (fol. 9r-11v).

Edita ap. Migne, P. G., tom. II, p. 1217-1248. — Sed inde a verbis *affligi præcepit* (p. 1235, lin. 14) lectio codicis magis convenit cum textu a Mombritio edito tom. II (p. 3 ipsius Passionis, col. 2, lin. 20), a quo tamen etiam in fine non parum recedit. Vid. Append.

3° Vita S. Petri Ravennatis archiepiscopi (fol. 11v-14r).

Edita ap. Migne, P. L., tom. LII, p. 13-20.

4° Miracula S. Nicholai episcopi (fol. 14r-16r).

Edita ap. Nic. Carminium Falconium, *Sancti Nicolai Acta primigenia* (Neapoli 1751), p. 122-126; scilicet numm. XIV-XVIII, et numm. XXI, XXII. — Prima tamen phrasis num. XXI om.

5° Passio Stæ Luciæ virginis (fol. 16r-17v).

Ed. ap. Surium ad d. 13 Decembris.

6° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 17v-23v).

Edita ap. Mombritium, tom. II.

7° Vita S. Silvestri papæ (fol. 23v-26r).

Edita ap. Mombritium, tom. II. — Sed in cod. mutila, desinit : *qui se clauserant pro auctoritate* (Mombritii p. 4, col. 1, lin. 4). Prologus autem omissus est et sequentia addita :

1° Post verbum *expiravit* (Mombrit. p. 2, col. 1, lin 3 a fine) :

Sic factum est ut prima hora diei qua sessurum comminatus fuerat præfectus ad audiendum sanctum Silvestrum, feretro ejectus de domo sua cum luctu deduceretur ad tumulum.

2° Post verba *animam audientis* (p. 2, col. 2, lin. 27) :

Si presbyterum non licere accusari apostolus jubeat nisi sub trium testium comprobatione, quanto magis eorum quorum adhuc animus tenero fidei positus non potest patientia accusationis per detrahente integram servare culpam ?

3° Post verbum *educentes* (p. 2, col. 2, lin. 1) :

Denique pene omnes qui ad injuriam sancti Silvestri jussu Tarquinii ministri extiterant, genibus Silvestri provoluti rogabant ut oraret pro eis, ne quid illis simile eveniret. Tantamque Deus sancto Silvestro gratiam dedit, ut a christianis et gentilibus nimio diligeretur affectu. Qui cum esset tricesimum ætatis annum gerens, sancto Miliciade... *(ut in Append. Cod. Namurc. 2, 8°)* (1) ...clero. Et non multo post

(1) *Analect. Boll.*, t. I, p. 613.

omnis populus christianorum intra Urbem presbyterum sibi exposcunt. Sancto itaque Silvestro ordinato presbytero, tantam ei gratiam prædicationis contulit Dominus ut nullus esset qui non eum ex affectu diligeret, et hunc esse verum Dei famulum acclamaret. Nihil enim arrogantia, nihil superbia de ejus moribus usurpabat; sed omnibus benivolus in terra positus cœlestibus se aptum moribus ostendebat. Erat enim aspectu angelicus, corpore integer, ingenio optimus, consilio magnus, fide catholicus, spe patientissimus, caritate diffusus. Et quoniam ad omnium operum ejus narrationem nec littera potest nec sermo sufficere, ad ea quæ gesta sunt, accedamus. Sancto igitur Miliciade episcopo migrante...

4° Post *ratiocinio traderetur* (p. 3, col. 1, lin. 15):

O quam sæpe debitor esse voluit, ut debitoribus subveniret. Secutusque Christi vestigia ipse a feneratore conventus est, ut hi qui tenebantur in vinculis relaxarentur. Virginum ...*(ut in Append. Cod. Nam. ibid.)* (1) ...tricesimum... et ita demum dominatorem ecclesiæ exercebat... completa. Illud sancti Abacuc prophetæ commemorans, quod ait: *Adaperiantur ora sua sicut pauper edens in absconso.* Dicebat enim hanc famam rapacitatis ostendi cum ad hereditatem heres antequam omnia quæ sunt legata absolvat, accesserit. Omnium vero clericorum hanc curam statuerat, ut nisi unum e duobus officium potuisset implere, lector esse non potuisset, id est nisi bene legendo aut bene psallendo populos revelaret. Ipse autem sanctus Silvester quotidiana doctrina populos invitabat, cum ad prædicationem ejus copiosa turba concurreret. In illo igitur tempore...

5° Post *eo ordine usi sunt* (p. 3, col. 1 extr.):

Sed quoniam brachiorum nuditas culpabatur a quibusdam, post hoc autem collobia in dalmaticas commutata sunt. Visum est enim melius hoc ex proposito ... valeat populorum. Ferias vero habere clerum * primum Silvester populis descripsit, dicens illud psalmographi observare oportere: *Vacate et videte quoniam ego sum Dominus*, et illud Apostoli: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Ex eo ergo contigit ut licet vitioso quantum apud grammaticos sermone nomen diei in feria mutaretur. Nam sicut Kalendæ vel termæ singularem non recipiunt numerum, sic quoque et feriæ. Et, ut dixi, ad vacandum Deo inventus est feriarum

* cod. sclerum

(1) *Analect. Boll.*, t. I, p. 614.

dies omni religioni christianæ, in qua non licet nec negotiationem nec militiam exercere. Sola ergo religio nostra secundam feriam cœpit ex eo vocare et tertiam et quintam et sextam, et sabbatum ex veteri Testamento suscipiens, et dominicum diem de novo assumens, quam dominicam resurrectioni Dominicæ dedicavit et luminis natalium instituit, quia ipsa die dixit Deus: *Fiat lux,* et facta est lux. Hæc verba sancti Silvestri. Nam quarta et sexta...

8° Acta S. Barbatiani confessoris (fol. 26r-29v).

Edita ap. Migne, P. L., tom. CVI, p. 769-778. — Sed pro *Bonifacium vero ordinaverunt in basilica Constantiniana* (tom. cit., p. 769 c) legitur in codice: *Bonifacium vero ordinaverunt in basilica Julia, et Eulalius ordinatus est in basilica Constantiniana;* pro *nervam illam abjecit* (p. 773, lin. 10), cod. *nesciam illam abjecit;* pro *ergotodum* (ibid. lin. ult.) cod. *ergodosium.* Tandem secundum lectionem codicis sanctus e vita migravit *die primo Kalendarum Januariarum.*

9° Passio S. Marcelli papæ (fol. 29v-32v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan., tom. II, p. 5-9.

10° Passio S. Sebastiani (fol. 32v-44r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Jan., tom. II, p. 265-278. — Sed in codice notandæ veniunt hæ lectiones variantes:

Num. 1, *Mediolanensium partium civis;* num. 17 med.-num. 22 med. *(En dies)* omm.; num. 23, *et sub ipso splendore pallio candidissimo amictus juvenis apparuit juxta eum;* num. 24, *fecit crucem in os ejus* omm.; num. 26, *Marcellinus,* ac eodem num. post *poscitis donabuntur* reliqua omm. usque ad num. 29 init. *(Nicostratus cum conjuge sua);* num. 35, loco *Justi* legitur *Justinus,* et post *Marcia mater Marcelliani et Marci* omm. *cum uxoribus eorum et filiis;* num. 36, loco *sexaginta octo* legitur *sexaginta;* num. 38, om. *Agrestius;* num. 41 a secunda phrasi et initium numeri 42 ita contracta: *Tranquillinus respondit: Non solum dii non sunt, sed etiam reliquorum infelicissimi hominum inferni cruciatibus detinentur. Ad hæc præfectus: Ex quo, inquit, cœpistis deorum numina blasphemare, ex eo romanus orbis...;* num. 42, loco *viginti tria millia* legitur *viginti tres,* et reliqua post *exultat romanum imperium* cum num. 43 omm.; num. 45, quæ sequuntur *post istam vitam dare promisit* usque ad hæc verba num. 46: *nunquam tamen de corde,* omm.; num. 55, post *manifestius aperiemus,* reliqua omm. usque ad *Nam diversis temporibus,* initio num. 56.

11° Passio Stæ Agnes *(sic)* (fol. 44r-47r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Jan., tom. I, p. 351-354.

12° Passio S. Vincentii martiris (fol. 47r-50r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Jan., tom. II, p. 394-397. — Sed omissus est num. 2, et non paucas exhibet textus codicis variantes lectiones, unde magis accedit ad

textum editum in *Analect. Boll.*, tom. I, p. 263-270. Conclusio vero est hujusmodi :

> Vincentius itaque qui inveniri ad honorificentiam dignus fuerat sepulturæ, inventus est. Hinc ad basilicam sanctum corpus allatum est, venerabile omnibus jam Dei honorificentiam sepultum. Inde ad ecclesiam matrem sanctus Vincentius consecrato altari mancipatur, devotiorem scilicet locum, et ministeriis venerabilem. Dumque honoratur in plurimis locis in quibus repausatio ejus corporis fuit, hoc ad celebranda ipsius ampliora pertinet vota, qui venerationem sui ex multis meruit. Quique dum plurima loca numerosius consecrat, cumulatius consecratus est, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.

13° In Conversione S. Pauli apostoli (fol. 50r-51r).

Homilia desumpta ex sermone S. Augustini edito apud Migne, P. L., tom. XXXVIII, p. 1268.

14° Vita S. Severi archiepiscopi (fol. 51r-53r).

Edita in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 55-57. — Sed, omissa prima phrasi, absolute incipit textus noster : *Severus cujus nomen intelligitur....* Deinde post *requiescit*, ultima phrasis primæ paragraphi cum ceteris omittuntur usque ad *confundat fortia* (p. 56, col. 1, lin. 24). Omissa est quoque hæc phrasis: *In Sardicensi concilio cum legatis romanæ ecclesiæ vir sanctus interfuit hic Severus.* Post verba *sed et alia multa* (p. 57, col. 1, lin 10 a fine Vitæ), subnectuntur in codice per semifolium quædam parænetice dicta. Resumitur dein series historica (fol. 52, col. 1, lin. 5 a fine) hocce modo : *De electione beati viri, beatissimi Severi pontificis, qui* (ita corr.) *superius nominatum est* (sic), *et quod michi narratum fuit a multis senioribus, vobis verissime expleamus. Quadam die dum lanisterii* et reliqua, p. 55, col. 2, lin. 4 a fine) usque ac *confundat fortia* (p. 56, col. 1, lin. 24). Sequuntur pauca verba quæ in Vita edita leguntur p. 57 med., scilicet *Et aiunt — audistis ;* quibus subjungitur hæc clausula :

> Sed cur ille pontificali solio electus est, in Vita beati Liberii illius successoris aliquantulum expleamus. Quia de jam dicti *(ita corr.; antea* dicta) Liberii vita nullatenus retineo. Necesse est ergo ut de Christi confessoris Severi *(ita corr.; prius* Severo) vita partem paginis illius prolixam agamus. Ut hujus non parva sed ingens Liberii lectio appareat, ut et *(hic erasa vox* ad) vos cum desiderio magis quam cum fastidio legatis et immensam *(cod.* inmsam) Deo gratias agatis. Qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

15° Passio S. Blasii martiris (fol. 53r-57v).

Edita in *Act. SS*, ad d. 3 Febr., tom. I, p. 349-353.

16° Passio Stæ Agathæ virginis (fol. 57v-60r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Febr., tom. I, p. 615-618. — Paucis subinde variantibus lectionibus.

17° Passio S. Valentini (fol. 60r-62r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Febr., tom. II, p. 756-757.

18° Passio SS. martirum Faustini et Jovittæ (fol. 62r-67v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Febr., tom. II, p. 813-817.

19° Sermo in Cathedra S. Petri (fol. 67v-70r).

Partim desumptus ex S. Augustini serm. 190 et 191 (Migne, P. L., tom. XXXVIII, p. 2100-2102).

20° Vita S. Gregorii papæ (fol. 70r-71r).

Edita ap. Migne, P. L., tom. LXXXV, p. 496-498. — Adscripta est Simeoni Metaphrastæ, sed perperam; cfr. *Act. SS.*, tom. II Martii, p. 122, num. 5.

21° Unde supra [scilicet alia Vita ejusdem] (fol. 71r-72v).

Pars Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 130 sqq., scilicet usque ad num. 7 post medium; desinit enim cod. in his verbis *palpabile per veritatem naturæ.*

22° Vita S. Benedicti (fol. 72v-73v).

Pars Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 21 Martii, tom. III, p. 277, scil. num. 1, paragg. 1 et 2.

23° Passio S. Marci evangelistæ (fol. 73v-75r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aprilis, tom. III, p. 347-349, sub hoc titulo: *Apostolatus Alexandrinus.*

24° Passio S. Vitalis martiris (fol. 75r-75v).

Edita in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii pp. 348, 349. — Ad finem hæc in cod. add.: *Martirizatus est autem sanctus Vitalis in civitate Ravennatum sub Paulino consulari die quarto Kalendarum Maiarum, regnante vero Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

25° Passio S. Phi[li]ppi apostoli (fol. 75v-76r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, pp. 11, 12.

26° Passio S. Jacobi fratris Domini (fol. 76r-77r).

Edita ap. Mombritium, tom. II.

27° Sermo de inventione sanctæ Crucis (fol. 77r-80r).

Editus in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, p. 445-446, inter Acta apocrypha S. Judæ-Quiriaci, scil. num. 1-14, seu pars I. — In cod. omm. num. 2 et num. 3 usque ad *tria millia virorum*, et leguntur verba hebraica indicata tom. cit., p. 448, annot. *z.*

28° Passio SS. Alexandri, Eventi et Theodoli (fol. 80r-84r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Maii, tom. I, p. 371-375.

29° Passio SS. Gordiani et Epimachi (fol. 84r-85r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Maii, tom. II, p. 552-553.

30° Passio S. Victorini (fol. 85r-86r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Maii, tom. III, pp. 11, 12, in Actis SS. Nerei et Achillei, scilicet cap. V.

31° Passio SS. martirum Nerei et Achillei (fol. 86r-89v).

Edita ibid., p. 6-10, scilicet Prologus cum cap. I-III.

32° Passio Stæ Petronillæ et Feliculæ virginis (fol. 89v-90r).

Edita ibid., pp. 10, 11, scilicet cap. IV.

33° Passio Domitillæ, Theodoræ et Eufrosinæ virg. et Sulpicii et Servuliani sponsorum earum (fol. 90r-91r).

Edita ibid., pp. 12, 13, scilicet cap. VI.

34° Passio S. Panchratii martiris (fol. 91r-92r).

Edita in *Analect. Boll.*, tom. II, pp. 289-291.

35° Passio S. Proculi (fol. 92r-96r).

Edita in *Act. SS.*, in Tractatu præliminari ad tom. I Julii, p. 9-15.

36° Passio SS. Marcellini et Petri (fol. 96r-98r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Junii, tom. I, p. 171-173. — Num. 1, pro *Dum Roma a paganis detineretur*, cod. *Dum detinerentur*; et num. 14, pro *Julio episcopo*, cod. *sancto episcopo*.

37° Passio SS. Primi et Feliciani (fol. 98r-100v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Junii, tom. II, p. 152-154. — Num. 2, post *laniabunt* ita pergit cod.:

> Beatus Primus et Felicianus dixerunt: *Si meremur pro Christi nomine hæc pati, ut ad martyrii coronam nos faciat pervenire, ut promissionum ejus participes esse mereamur, secundum quod promisit se daturum his qui pro ejus nomine omnia blandimenta hujus mundi respuerunt, et sequuntur agnum quocumque ierit. Quomodo...*

Num. 4, post *Deus salutaris meus* add. cod.:

> Et iterum: *In eo dum congregarentur omnes simul adversum me, ut acciperent animam meam consiliati sunt. Ego autem semper in te sperabo, Domine. Dixi: Tu es Deus meus; in manibus tuis tempora mea. Libera me et eripe de manibus inimicorum meorum et a persequentibus me. Illumina faciem tuam super servum tuum.* Et iterum: *Da mihi auxilium de tribulatione, et vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* Et rursum: *Fac misericor-*

diam cum servo tuo, Domine, ut possim superare humani generis inimicum. Præses vero...

38° Passio S. Viti martiris (fol. 100ᵛ-106ʳ).

Edita ap. Mombritium, tom. II. —Sed in cod. inter hæc verba *Deus eorum* (Mombrit. p. 3, col. 1, lin. 13 a fine) et *Post hæc*, multa interponuntur, scilicet quæ leguntur a folio 102ᵛ col. 1, lin. 7 — fol. 104ᵛ col. 1, lin. 12. Hæc vero stylo mutato leguntur apud Surium, ad d. 15 Junii, cap. IV-VIII. Deinde secundum codicem non *duodecimum* sed *septimum* annum agens S. Vitus patria sua profectus est, appulit in locum qui Alectario nuncupatur, et a militibus Diocletiani repertus est in Tanacritano territorio. Tandem in cod. ipsi Passioni hic præponitur prologus :

Magnitudinem Dei atque mansuetudinem veluti considerandam nobis proposuit Scriptura sancta, dicens: *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat et humilia respicit in cœlo et in terra?* Hoc enim testimonium divino prolatum Spiritu corde illuminati cernimus ; quia Deus omnipotens cum sit magnus in magnis, mirabilia tamen sua gloriosius operatur in minimis. Unde psalmista congrue quod superius præmiserat, inferius postmodum consequenter adjungens, ait: *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ, quoniam audierunt omnia verba oris tui, quoniam magna est gloria Domini. Quoniam excelsus Dominus et humilia respicit et alta a longe cognoscit.* His itaque et aliis quam plurimis divinæ auctoritatis testimoniis imbuimur, quia sæpius Deus humilibus corde et corpore veritatis suæ lumen ostendit. Dignum etenim videtur et vera [ra]tione conspicuum, ut, sicut in Adam superba exaltatione cecidimus, ita et in Christo humili pietate surgamus. Hinc est enim quod beatus Apostolus Corinthios præmonens ait: *Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia.* An non infirma mundi elegit, cum pueros et puellas per gratiam suam adscitos ad regnum cœlorum devictis tormentis perduxit? Adest enim nobis ipsius mirabilium testis, beatus plane Vitus cujus hodie veneranda natalitia recensemus. Qui priusquam bonæ indolis annos explevisset suæ, præventus Christi gratia, cœlo dignus efficitur. Necdum mentis ingenio illecebras est mundi expertus labentis, pro Christo passus exitia, cœtibus est beatis semper angelorum ammixtus. Verum quia hodie ipsius celebramus natalem, debemus ad Christi gloriam pro multorum ædificatione fidelium

passionis ejus triumphos stili narratione depromere, quatinus christiana fides in sui auctoris ferventi amore calescat, dum Christum in martire diabolum vicisse perpendit.

39° Passio SS. Gervasii et Protasii (fol. 106r-107r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Junii, tom. III, pp. 821, 822, scilicet numm. 17-23. — Sed in cod. omm. numm. 19, 20 et ex parte num. 21, ita ut his verbis continuetur narratio : *Qui post transitum parentum intestati Gervasius et...*

40° Passio SS. Johannis et Pauli (fol. 107r-108v).

Edita ap. Mombritium, tom. I, in Actis S. Gallicani. — Codex multas habet lectiones variantes, et omittit quæ referuntur contigisse B. Gallicano in urbe Ostiensi.

41° Item de triumpho eorum (fol. 108v-109v).

Editum in *Act. SS.*, ad d. 26 Junii, tom. V, p. 159 et 160. — Hæ vero in codice notandæ lectiones variantes :

Num. 1, perhibetur Julianus a Constantino, nepote Constantini, effectus Cæsar;

Num. 3. Tunc sancti viri Johannes et Paulus christianos ad se invitantes... intra domum suam. Missus est namque Terrentius ad eos cum militibus...

Num. 4. ...super terram. Statim autem ut Julianus in bello Persico interfectus est, Joviano facto christianissimo viro imperatore, apertæ sunt ecclesiæ et cœpit religio christiana gaudere. Dæmones autem ex obsessis corporibus intra domum Pauli et Johannis ejiciebantur, confitentes sanctam passionem eorum, ita ut unicus filius Terentii qui eos nocte... *(num. 5 initio).*

Num. 6. Ipso autem Terentio referente, ista passio sanctorum scripta est, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. *(Cetera sunt omissa.)*

42° Incipit vita vel actus sive passio beatissimi Petri apostolorum principis feliciter edita a beato Lino episcopo Romano (fol. 109v-117v).

Edita ap. Mombritium, tom. II.

43° Prologus de passione S. Pauli apostoli (fol. 117v-118r).

Editus ap. Mombritium, tom. II.

44° Passio S. Pauli apostoli (fol. 118r-122r).

Edita in *Bibliotheca Patrum* Lugdunensi, tom. II, p. 70-73, sub hoc titulo : *B. Lini de passione D. Pauli, ad Ecclesias Orientales. Liber II.*

45° Passio SS. Processi et Martiniani (fol. 122r-123v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Julii, tom. I, p. 303-304. — Num. 2 cod. ita : *Erant duo magistrianæ militiæ principes.*

46° Passio SS. Septem Fratrum (fol. 123v-124r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Julii, tom. III, pp. 12, 13.

47° Passio SS. Naboris et Felicis (fol. 124r-126r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Julii, tom. III, p. 292-294.

48° Vita S. Rophilli confessoris atque episcopi qui in urbe Popiliensi requiescit et ejus festa colitur xv kl. Augusti (fol. 126r-128r).

Editum in *Analect. Boll.*, tom. I, p. 113-118.

49° Gesta beatæ Mariæ Magdalenæ (fol. 128r-129v).

Contracta ex iis quæ edita sunt ap. Faillon, *Monuments inédits sur l'apostolat de sainte Marie Madeleine*, tom. II, p. 445-452. — In cod. legitur B. Maria a sacerdote, cujus quale fuerit nomen non scriptum est, vestem *humanam* postulasse.

50° Passio S. Apollinaris martyris (fol. 129r-133r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Julii, tom. V, p. 344-350. — Sed quæ ibidem inter parentheses posita leguntur, in cod. fere omissa sunt.

51° Passio S. Jacobi apostoli fratris Johannis evangelistæ (fol. 133r-135v).

Edita ap. Mombritium, tom. II.

52° Passio SS. Nazarii et Celsi (fol. 135v-137v).

Contracta ex Passione edita ap. Mombritium, tom. II. Prologus omissus est.

53° Passio SS. Simplicii, Faustini et Beatricis (fol. 137v-138r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Julii, tom. VII, pp. 36, 37.

54° Passio S. Felicis martiris (fol. 138r-138v).

Edita ap. Mombritium, tom. I. — Civitas in quam deductus est sanctus martyr, in cod. nuncupatur *Corona*.

55° Passio SS. martirum Abdon et Sennen (fol. 138v-141r).

Edita, sed ita ut initium Passionis, quod est de S. Polychronio, reperiatur ex parte in *Act. SS.*, ad d. 17 Feb., tom. III, pp. 5, 6, numm. 3-6, ex integro ap. Mombritium, tom. II; sequentia vero, quæ sunt de SS. Abdon et Sennen, in *Act. SS.*, ad d. 30 Julii, tom. VII, pp. 137, 138. — Codex (cfr. ibid. annot. *c*, p. 138) insertam habet Passionem S. Olympiadis, quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 15 Aprilis, tom. II, p. 375, num. 2-4. Insuper in cod. refertur mors S. Polychronii in *decimum Kalendas Martii*. Tandem hanc clausulam exhibet : *Eodem tempore Decius Cæsar et Valerianus præfectus jusserunt sibi Sixtum episcopum cum clero suo præsentari noctu intra civitatem in tellure.*

56° Passio S. Stephani pontificis (fol. 141r-145r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Aug., tom. I, p. 139-144.

57° Inventio corporis S. Stephani protomartiris (fol. 145r-146r).

Edita ap. Mombritium, tom. II.

58° Passio S. Xisti episcopi (fol. 146v-148v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Aug., tom. II, pp. 140, 141. — At in cod. hæc initio prologi instar præponuntur:

Magnas martyrum præclarasque virtutes humilis attenuat potius quam explicat sermo. Nihil tamen amittunt ex proprio quæ per se eminere noscuntur. Xistus igitur urbis Romæ episcopus, Athenis natus et doctus, prius quidem philosophus, postea vero Christi discipulus, audiens Decium Romam esse venturum, dixit ad clerum suum : *Fratres et commilitones, nolite expavescere ; omnes priores diversa sunt tormenta perpessi, ut ad nos incolumis status ecclesiæ perveniret. Nam et ipse Dominus noster Jesus Christus passus est ut eam acquireret. Apostoli certe patiendo servaverunt. Nihil igitur aliud enitendum nihilque laborandum nisi ut aut cum justitia vivamus aut, quod est gloriosius, pro justitia moriamur.* Responderunt Felicissimus et...

59° Passio S. Donati episcopi (fol. 148v-150r).

Edita ap. Mombritium, tom. I.

60° Passio S. Laurentii martiris (fol. 150r-152v).

Edita ibid., tom. II. — Sex ultimæ lineæ Vitæ omm.

61° Passio S. Yppoliti (fol. 152v-154v).

Edita ibid., tom. II.

62° Passio S. Cassiani martiris (fol. 154v-155r).

Edita ibid., tom. I.

63° Alia [passio ejusdem] (fol. 155r-155v).

Passio auctore Aurelio Prudentio, edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Aug., tom. III, pp. 22, 23.

64° Passio S. Agapiti martiris (fol. 155v-157v).

Edita ibid., ad d. 18 Aug., tom. III, p. 537-539. — Sed ex collatione variantium lectionum textus codicis videtur nobis præstantior textu edito. Num 8, nomen *Aureliani* reticetur, et legitur tantum *imperator.*

65° Passio S. Bartholomei apostoli (fol. 157v-160v).

Edita ibid., ad d. 25 Aug., tom. V, p. 34-38.

66° Passio S. Genesii (fol. 160v-161v).

Edita ap. Mombritium, tom. I. — Sed in cod. incipit hocce modo : *Imperante Diocletiano, erat per annos quatuor insecutio ecclesiarum et maxime omnes episcopi et sacerdotes persecutionem patiebantur. In hoc tempore fuit...*

67° Passio S. Alexandri martiris (fol. 161v-163v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Aug., tom. V, p. 803-805.

68° Actus et vita S. Augustini episcopi (fol. 163v-166r).

Vita auctore S. Possidio, edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 427-440. — In codice est mutila, habens tantum num. 3-20, et hujus num. 20 tres ultimæ phrases omm.; insuper hic illic una alterave phrasis om.

69° Inventio capitis S. Johannis Baptistæ (fol. 166r-169r).

Edita in *Act SS.*, ad d. 24 Junii, tom. IV, p. 716-718 et p. 724-728, seu num. 113-118 et num. 144-157. — Ad finem ita cod.:

> Octavo die mensis Octubris, id est a quinto Kalendas Novembris per in septimam dictionem. Ad laudem et gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti in secula seculorum. Amen.

70° Sermo ejusdem (fol. 169v-172v).

Sermo Ven. Bedæ, editus ap. Migne, P. L., tom. XCIV, p. 237-243, Hom. XX.

71° Passio S. Terrentiani episcopi (fol. 172v-175v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Sept., tom. I, p. 112-115. — Codex refert lectionem quæ legitur ibid. in annot. *q.*, p. 114.

72° Passio S. Antonini martiris (fol. 175v-177v).

Edita ap. Labbeum, *Nova Bibliotheca Manuscriptorum*, tom. I, p. 685-689. Cfr. *Act. SS.*, tom. II Julii, p. 12, num. 23 sqq.

73° Passio SS. Proti et Jacincti et Stæ Eugeniæ virginis, (fol. 177r-184r).

Edita ap. Rosweydum, *Vitæ Patrum*, p. 340-349.

74° Passio S. Cornelii papæ (fol. 184r-185r).

Edita ap. Mombritium, tom. I.

75° Passio S. Cipriani martiris (fol. 185r-186r).

Edita in *Act. SS.*, ad. d. 14 Sept., tom. IV, pp. 332, 333. — Sed hæ variantes lectiones notandæ :

Num. 2. ...exul ab urbe Curubitana proficisci... capite plectetur. Ciprianus episcopus dixit: Præcepisti.

Num. 3 sic exorditur : Cumque Ciprianus sanctus martyr electus Deo de civitate Curubitana, in qua in exilio præcepto Aspasii Paterni proconsulis datus fuerat, regrederetur, in hortis suis manebat.

Num. 4. ...unus ex officio Galerii Maximi proconsulis, alius vero equester a custodibus ejusdem officii Galerii Maximi proconsulis. Qui... inter Veneria et Salutaria...

Num. 5. ...in atrio Saucio. *(Ultima phrasis om.)*

Num. 6. ...in re tam injusta nulla est consultatio... sacratissimi principes Galienus et Valerianus nobilissimus cæsar...

Num. 7. ...se lacerno birrum expoliavit...

Num. 8. ...Macrobii Candidati quæ...

76° Exaltatio S^tæ Crucis (fol. 186^r-187^v).

Editum apud Mombritium, tom. I.

77° Passio SS. Luciæ et Geminiani (fol. 187^v-191^v).

Edita ibid., tom. II.

78° Passio S. Mathei apostoli (fol. 191^v-196^v).

Edita ibid., tom. II.

79° Passio SS. martirum Mauritii, Exuperii, Candidi, Innocentii atque Victoris, quæ facta est sub persecutoribus Diocletiano et Maximiano (fol. 196^v-199^v).

Edita apud Surium ad d. 22 Sept. — Sed in cod. omm. epistola Eucherii et prologus. Præterea cap. IX add. Innocentii nomen, et eodem capite legitur *Constantino* (ed. *Constanti), Ara* (ed. *Arula*), *Saloduro* (ed. *Soloduro*); et cap. XI inter *biclivis esse dignoscitur* et *quid miraculorum* ponitur cap. X, ac pro *biclivis* legitur *reclinis*.

80° Passio SS. Cosme et Damiani (fol. 199^v-202^r).

Eadem passio, licet stylo sat diversa, atque illa quæ edita est in *Act. SS.* ad d. 27 sept., tom. VII, p. 474-478. — Sed om. num. 2 et post num. 12, ceteris omm., hæc add. clausula :

Passi sunt autem gloriosissimi martires Cosmas et Damianus, Antimus, Leontius et Euprepius, in civitate Egea V Kl. Octobris, agente Lisio præside, imperantibus Diocletiano et Maximiano, apud nos autem regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

81° Dedicatio basilicæ S. Michaelis archangeli (fol. 202^r-203^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Sept., tom. VIII, pp. 61, 62.

82° Textus vitæ et actus beati Hieronimi (fol. 203^v-208^r).

Editum apud Mombritium, tom. II. — Hæc ad finem add. :

Postquam beatus Hieronimus innumeris libris apostolorum prophetarumque constrictionibus editis immobilem catholicæ Ecclesiæ turrem construxit, quia perfidorum jaculis resistens, hostium tela diriperet, cunctis Veteris Testamenti libros ex hebreo et chaldaico arabicoque sermone in latinum convertit; ad Eustochium simulque ad Paulam Deo dicatam virginem miræ adhortationis misit epistolam. De qua duæ epistolæ, inter reliquas salutationes quibus eam de virginitatis observatione seu de vitandis secularium lucris admonuit. De eo etiam, quod, cum omnia possit Deus, suscitare quoque virginem non posset post ruinam, tam lucide posuit ut qui eam legeret (*corr.* legerit) omnia (*sic*) hujus

rei ambiguitatem careat. In legendis vero sacrarum Scripturarum libris eam maximam habere curam perdocuit. Quam vero sit detestabile secularium libris, carminibus ac scenicis poetarum fabulis legendi assiduitate persistere, in eadem epistolam ex semetipso illi exemplum præbens hoc modo inseruit... sicut nunc vestra audita est caritas. Referam tibi meæ infelicitatis historiam. *Sunt porro ea quæ edita apud Migne, P. L., tom. XXII, pp. 416, 417, num. 30; demum hæc est clausula :* Redemptori etenim nostro gloria, qui vult omnes salvos facere et ad agnitionem veritatis venire. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.

83° Textus vitæ et actus atque obitus beati Remigii, Remorum archiepiscopi (fol. 208r-210r).

Initium Vitæ auctore Hincmaro, editæ in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 131 sqq., scilicet num. 1-14.

84° Passio Stæ Reparatæ virginis (fol. 210r-211r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., tom. IV, pp. 39, 40. — His præcipue in codice lectionibus variantibus :

Num. 1 ... præside qui fuit persecutor... Christum fatebatur et idolis credere recusabat... civitatem Cæsariensem persequebatur christianos. Tunc ante faciem præsidis obtulerunt Reparatam, dicentes...

Num. 2 omissa sunt hæc: Decius præses dixit: Antequam... dignatus est mori.

Num. 3 ... continuo diriguit plumbum.

Num. 4 ... lampades accendite et pectori ejus calefactas ponite... In camino ignem accendite et illuc nudato corpore eam mittite. — Omissa dein: Et tu, Domine Jesu, fac, — ad fin.

Num. 5 ... et viscera ejus in frusta secate. Sancta Reparata respondit : Hæc sunt minæ tuæ, inveterate dierum malorum antiquorum. Nihil... et per publicam plateam ducite.

Num. 6. Decius præses dixit : Omnes artes tuas magicas cognosco, et Deus tuus non liberabit te de manibus meis, sed adora deos invictissimos ut liberent te de his tormentis. Sancta Reparata respondit... afferte ante oculos meos caput ejus.

Num. 7 ... Gratias tibi ago, Jesu Christe, recipe spiritum meum. Astitit vero spiculator percutiens caput ejus, quod cecidit continuo de collo ejus. Et exivit columba de ore ejus, quæ penetravit cœlos et visa est a multis christianis, qui prius eam confortabant dum esset in certamine...

85° Passio S. Dionisii martiris (fol. 211r-214v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Oct., tom. IV, p. 792-794.

86° Passio S. Domnini martiris (fol. 214r-215r).

Edita ibid., pp. 991, 992. — At codex magnam affinitatem habet cum codice Trevirensi cujus lectiones variantes ibidem notantur.

87° Passio S. Calixti episcopi (fol. 215r-217r).

Edita ibid., ad d. 14 Oct., tom. VI, p. 439-441. — Codex refert Calixtum fuisse sepultum *sub die quinto decimo Kalendarum Novembrium.*

88° Sermo S. Lucæ apostoli et evangelistæ (fol. 217r-220r).

Sermo auctore Paulo diacono, editus ap. Migne, P. L., tom. XCV, p. 1530-1535. — Sed initio inter *Theophilum* et *Deinde Paulum* hæc add. in cod.:

Cujus quoque libri pulchra inchoatio talis indubitanter videtur fore : Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere. Theophilus enim græce, latine sonat *Dei amator,* sive *a Deo amatus.* Ergo ut verius demonstretur eorumdem apostolorum ab ipso fore compositus Actus, Aratoris, sanctæ Ecclesiæ Romanæ subdiaconi, testimonium ad medium deducatur. Qui ita versificans ait:

Versibus ego canam quos Lucas retulit actus,
Historiamque sequens carmina vera loquar.
Alternis reserabo modis quos littera pandit,
Et res si qua michi mistica corde datur.

89° Passio S. Miniatis martiris (fol. 220r-222r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 428-430.

90° Natale apostolorum Simonis et Judæ (fol. 222r-227r).

Editum ap. Mombritium, tom. II.

91° Passio S. Cesarii (fol. 227r-227v).

Edenda brevi ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 1 Novembris, tom. I. — Incipit : *Sanctum Cæsarium diaconem Luxurius tradidit.*

92° Passio SS. Vitalis et Agricolæ (fol. 227v-228v).

Edita ap. Migne, P. L., partim tom. XVI, p. 336-339, num. 1-10, partim tom. XVII, p. 747-749 (epist. III).

93° Passio sanctorum IIIIor Coronatorum (fol. 228v-232v).

Edita ap. Mombritium, tom. I, sub hoc titulo : *Passio SS. Claudii, Nicostrati,* etc.

94° Passio S. Theodori martiris (fol. 232v-234v).

Edita ap. Mombritium, tom. II.

95° Vita S. Martini episcopi (fol. 234v-243r).

Vita auctore Sulpitio Severo, edita ap. Surium ad d. 11 Novemb. — In cod. om. epistola dedicatoria ad Desiderium ; sed annectitur epistola Sulpitii ad Eusebium presbyterum, edita ap. Migne, P. L., tom. XX, p. 175-178.

96° Natale S. Britii (fol. 243r-244r).

Vita ex Gregorio Turonensi, *Hist. Franc.*, lib. II, cap. 1; inde ap. Surium ad d. 13 Nov.

97° Passio Stæ Ceciliæ virginis (fol. 244r-252r).

Edita ap. Mombritium, tom. I. — In cod. add. hæc clausula : *Martirizata est autem beatissima Cecilia sub die decimo Kalendarum Decembrium. Passa est autem beata virgo Cecilia temporibus Marci Aurelii et Commodi imperatorum, regnante vero Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

98° Passio S. Clementis episcopi (fol. 252r-254v).

Edita ap. Mombritium, tom. I.

99° Item de libris miraculorum Clementis (fol. 254v-255v).

Edit. ibid.

100° Passio S. Ghrisogoni martiris (fol. 255v-263v).

Edita partim ap. Mombritium, tom. I, partim in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 179-184.

101° Passio S. Jacobi Intercisi (fol. 263v-267r).

Edita ap. Mombritium, tom. II. — In cod. incipit: *Temporibus Hisdigerni principis Persarum...*

102° Passio SS. Grisanti et Dariæ (fol. 267r-272v).

Edita ap. Mombritium, tom. I.

103° Vita S. Ambrosii (fol. 272v-273v).

Fragmentum Vitæ auctore Paulino, editæ apud Migne, P. L., tom. XIV, p. 27 sqq., scilicet num. 3-8 præter ultimam phrasim num. 8.

104° Acta et vita S. Zenonis episcopi (fol. 273v-274v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Aprilis, tom. II, pp. 70, 71, num. 3-6. — In cod. ita incipit:

Beati Zenonis Veronensium præsulis, licet omnia miracula quibus claruerit idonei non inveniamur posse vobis narratione tradere competenti, magis tamen ut videtur ratum est ut sermonis offensa serie aliqua ex eo dicamus, quam tacitis virtutibus ejus unde quondam satis micuerat, ignorantiæ tenebris habeatur obscurus. Scimus quippe eum sanctorum cœtibus jure deberi, sed multo amplius humanis obsequiis honorari, cum populorum intellectui facta ejus scripta fuerint, quæ debeant recitari. Temporibus itaque Galieni cum iste vir sanctus in civitate Verona sancta conversatione fulgeret, multorum ad se venientium animas ad amorem Christi sancta prædicatione convertebat. Ita enim erat in sermone affabilis ut ex ipsius sancto eloquio in divini amo-

ris venerationem corda hominum accenderentur et mentes. Qui, ut plurima omittam, cum quadam die a monasterio egressus in flumine Atticæ piscationem ageret, erectis...

Porro ex collatione variantium lectionum liquet textum codicis præstantiorem esse textu edito.

105° Vita S. Syri episcopi (fol. 274v-275r).

Edita ap. Mombritium, tom. II.

106° Vita Pauli heremitæ edita a S. Hieronimo (fol. 275r-278r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Jan., tom. I, p. 604-607.

107° Vita S. Geminiani episcopi (fol. 278r-279r).

Sermo quidam parænetieus in quo de sancto episcopo hæc tantum leguntur:

Hic itaque sanctissimus et celeberrimus vir Geminianus in diebus Juliani imperatoris in provincia Italiæ in urbe Motina vita et miraculis summæ sanctitatis mirabiliter fulsit ... Hic enim totius sanctitate præditus, a cunabulis benedictus et in ventre matris sanctificatus, ad hoc ex dispositione Dei pertinere meruit ut per vitam et conversationem sanctam pastor Motinense urbe populi esse mereretur ... Dum quadam die sicut solitus erat frequentare locis venerabilus sederet in Motinense oppido in loco venerabili et remotiori, et de conversatione et salute animarum tractaret ut ad Dominum tota mente converterentur prædicaret, Dominus in corde ejus habitat.

108° Vita S. Basilii episcopi (fol. 279r-292v).

Versio latina Vitæ apocryphæ et perperam imputatæ S. Amphilochio episcopo Iconiensi, quæ ex interpretatione Francisci Combefisii edita est in *Act. SS.*, ad d. 14 Junii, tom. II, p. 938 sqq.

109° Vita S. Felicis presbiteri (fol. 292v-293v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Jan., tom. I, p. 951.

110° Vita S. Mauri abbatis (fol. 293v-294v).

Pars Vitæ auctore S. Fausto, editæ in *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1039 sqq., scilicet num. 8-10.

111° Vita S. Antonii monachi (fol. 294v-295r).

Pars Vitæ auctore S. Athanasio, editæ in *Act. SS.*, ad d. 17 Jan., tom. II, p. 120-141, scilicet num. 3-8; sed ultimi num. duæ tantum priores phrases referuntur.

112° Actus et vita S. Galli (fol. 295r-296r).

Tria prima capita Vitæ conscriptæ a Walafrido Strabo, editæ apud Migne, P. L., tom. CXIV, p. 979 sqq.

113° Sermo venerabilis Bedæ presbiteri in laudem S. Mathiæ apostoli (fol. 296r-299r).

Editus in *Act. SS.*, ad d. 24 Feb., tom. III, p. 437-441.

114° [Vita] S. Patricii confessoris (fol. 299r-303r).

Edita ope hujus cod. in *Analect. Boll.*, tom. I, p. 548-585.

115° Passio S. Barnabe apostoli (fol. 303r-304r).

Edita in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 354-357. — In cod. legitur prologus edit. in *Analect. Boll.*, tom. II, p. 301, sic variante lectione in cod. Brux. :

Barnabas hebraice, latine interpretatur filius prophetæ, vel filius consolationis. ... civitatis ex Ciro rege Persarum fundata, cum Paulo ... appellatur, ... sibi opus ... ac *(add. a corr.)* coronatus est. Cujus ...

116° Vita beati Marcialis (fol. 304r-309v).

Fragmentum Vitæ auctore Aureliano, editæ apud Surium ad d. 30 Junii, scilicet cap. I-XX.

117° [S. Donatus] (fol. 310r).

Fragmentum Vitæ seu miraculorum S. Donati confessoris, Forocornelii (nunc *Imola*) in Italia culti, de quo actum est in *Act. SS.*, ad d. 7 Aug., tom. II, p. 191.

118° In Conceptione Btæ Mariæ (fol. 310r-310v).

Narratio institutæ festivitatis, quæ stylo mutato edita est in *Legenda Aurea*, fol. 229, edit. Lovan. 1485. — Secundum codicem, Helsinus abbas ante suam in abbatiam Remesiensem promotionem residebat *in ecclesia apostolorum Petri et Pauli et Augustini Anglorum episcopi, in qua ecclesia ipsius Augustini ceterorumque episcoporum sibi succedentium corpora requiescunt.*

Appendix ad cod. 64.

DE S. ANDREA. (Cfr. supra, pag. 5, 2°.)

Post verba ad compensationem remunerationis æternæ *(ap. Mombrit., tom. I, Passionis S. Andreæ pag. 4, col. 1, lin. 11) pergit codex :*

His et aliis plurimis eos verbis exhortabatur, ita ut infideles ad credulitatem adduceret. Nocte vero et die jugiter illis confabulans, nullus eorum omnino est fatigatus. Sequenti vero die, videntes ejus tolerantiam et prudentiam spiritus et robur mentis et sinceritatem tractatus et fidei firmitatem, indignati simul ad Egeathen properaverunt. Et sedente eo pro tribunali acclamantes dixerunt : *Quæ est ista sententia tua, proconsul ? Male judicasti, crudelem dedisti sententiam,*

iniqua sunt judicia tua. Quid enim iniquum fecit homo iste? Quid mali commisit? Perturbata est omnis civitas; simul omnes perimus. Ne perdas Cæsaris civitatem. Concede nobis hominem justum, redde nobis hominem sanctum, ne interficias hominem Deo carum, ne perimas hominem mansuetum et pium. Biduo enim suspensus vivit, non cessans quæ bona sunt loqui, qui et nos suis refecit eloquiis. Dona ergo nobis hominem sanctum, ut vivamus. Solve pudicum, et omnis Patras erit in pace. Dimitte hominem sapientem, et omnis Achaia misericordiam consequetur. Egeas vero proconsul differebat eos, nolens eum de cruce deponere. Commota itaque turba quia non eos audiebat, interficere eum cogitabant. Metuens vero proconsul ne quid mali pateretur, exurgens de tribunali pergebat cum eis ad sanctum Andream, promittens dimittere eum. Læto itaque populo quod famulus Dei dimitteretur, pervenit ad locum. Et videns sanctus Andreas Egean, dixit: ... *in conspectu ejus consisto. Et tuis miseriis doleo... poteris. Ego gratias ago Deo meo, quia me tandem aliquando traditum tuis manibus esse cognovi, ut per bonam confessionem perpetuam consequar misericordiam, quatenus dilectus et notus ejus efficiar, et a te alienus factus cum Deo meo sim in perpetuum, et cum eo habitem et ejus recipiam promissionem.* Proconsul autem stabat stupefactus, quia talia a sancto Andrea audiebat. Proclamante vero turba ac dicente: *Dimitte hominem sanctum, solve hominem justum*, appropinquans ad crucem Egeas solvere volebat eum et deponere. Mittentes... eum. Et subinde et alii ingerentes se ut solverent eum, et nullus poterat pertingere ad eum. Stupebant... solvendum eum. Et cum vidisset hoc sanctus Andreas quia vellent eum solvere et deponere, exclamavit voce magna et dixit: *Ne permittas... tuum Andream, qui propter nomen tuum pependit in ligno, solvi. Ne permittas, Domine, eum qui jam per crucem tuam cognovit magnitudinem tuam, ab Egea homine corruptibili humiliari. Sed suscipe tu, magister meus Christus, quem dilexi, quem vidi, quem cognovi, quem retineo, quem cernere desidera, in quo sum quod sum. Suscipe exitum meum, Jesu Christe.* Et cum hæc dixisset, videntibus... lumine, ipse diutissime Dominum glorificans et gaudens, nobis vero flentibus emisit spiritum, simul cum ipso lumine pergens ad Dominum Jesum Christum. Sic quædam Maximilla senatrix diligens pudicitiam et sanctitatem ejus, cum reverentia tollens corpusculum ejus, conditum aromatibus optimo in loco sepelivit. Egeas vero arreptus a dæmonio, de grandi altitudine se præcipitavit, et mortuus est. Stratocles autem frater ejus cum hæc audisset, nihil de re ejus contingere voluit, dicens: *Quæ tua sunt tecum pergant, Egea; mihi enim sufficit unus Dominus Jesus quem per famulum ejus cognovi Andream.* Tantus autem timor invasit universos, ut nullus remaneret qui non crederet salvatori nostro * Deo qui vult omnes homines salvos fieri

* *cod.* nostri

et ad agnitionem veritatis venire. Martirizatus est autem venerabilis Dei Andreas apostolus apud Achaiam in civitate Patras pridie Kalendarum Decembrium, sub Egea proconsule, regnante vero Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

II. Codex signatus n° 80-84.

Codex foliorum 232, formæ majoris (0^m,375 × 0^m,275), duplici columna, lineis graphide plumbea ductis, exaratus seculo XV. Tituli litteris rubris notati; initio singularum lectionum ex Evangelio et sermonum litteræ capitales grandiusculæ, alternæ rubræ et ceruleæ, subinde admodum sobrie ornatæ, duæ tantum (fol. 1 et 136) aliquantulo magis ambitiose.

Præter homilias et sermones Patrum singulis dominicis et festis diebus per decursum anni accommodata et (fol. 133^v et fol. 134) bullas Martini V et Eugenii IV *de Venerabili Sacramento,* continetur tantummodo in eo codice

Passio Petri et Pauli ab Egesippo conscripta (fol. 147^v-148^r).

Edita in *Bibliotheca Casinensi,* tom. III, Florilegii p. 238-240. — Sed in codice incipit: *Erant tunc temporis Romæ Petrus et Paulus* (ibid. p. 239, col. 1, lin. 24); desinit vero : *alter cruce, alter gladio necati sunt* (ibid. p. 240, col. 1, lin. 1 a fine).

III. Codex signatus n° 98-100.

Codex foliorum 235 (præter unum adjectum initio, cujus pars recta vacua est; versa vero exhibet calendarium sanctorum mensium Junii, Julii, Augusti et Septembris, quorum Vitæ codice continentur), formæ majoris (0^m,49 × 0^m, 344), duplici columna, lineis graphide plumbea ductis, exaratus sec. XII.

Tituli minio signati, itemque subinde litteræ initiales singulorum Vitæ capitum, sed sine ornatu. Exordio vero singularum Vitarum conspicitur littera initialis ingens sive solo minio sive aliis etiam intermixtis coloribus et volutarum præcipue figuris satis ambitiose ornata, sed non ita insigni arte.

Folio initiali recto inscripta est manu recenti hæc nota : *Contenta hujus libri*: *Passionalis Sanctorum pars secunda.* Ejusdem Passionalis partem primam exhibet codex signatus n° 207 infra describendus, tertiam vero codex signatus n° 206.

1° Vita S. Medardi episcopi et confessoris (fol. 2^v-3^v).

Vita soluto sermone auctore Fortunato, edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Junii, tom. II, p. 79-81.

2° Passio SS. martyrum Primi et Feliciani (fol. 3v-4v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Junii, tom. II, p. 152-154. — Cod. refert eas variantes lectiones quæ annotatæ sunt supra, p. 10, ad cod. 64, 37°.

3° Passio SS. Basilidis, Trophidis et Mandalis martyrum (fol. 4v-5v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Junii, tom. II, p. 510, num. 2-5.

4° Passio S. Barnabæ apostoli (fol. 5v-7v).

Edita ex parte in *Act. SS.*, ad d. 11 Junii, tom. II, p. 423-425 et in *Bibliotheca Casinensis* tom. III, Floriiegii p. 354-357. — Præterea codex habet aliquam mediam partem de qua in *Analect. Boll.*, tom. I, p. 512 ad num. 41, quæque edita est ibid., tom. II, pp. 301, 302.

5° Passio Nazarii discipuli S. Petri apostoli (fol. 7v-8v).

Textus diversus ab editis apud Mombritium, apud Surium et in *Act. SS.* ad d. 28 Julii. Vid. Append.

6° De inventione eorumdem martyrum (fol. 8v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Julii, tom. VI, p. 505, num. 9-11, scilicet a verbis *Post cujus* (ultima phrasis num. 9) usque ad *mori lucrum* (num. 11 med.). — Præponitur in cod. hæc phrasis: *Factum est autem dum clementissimæ memoriæ Theodosius imperator una cum viro vitæ venerabili sancto Ambrosio Dei sacerdote Mediolani resideret, nutu Dei de hoc seculo religiosus imperator Theodosius migravit ad Dominum.*

7° Passio S. Viti martyris (fol. 8v-9r).

Diversa ab editis (de quibus videsis *Act. SS.* ad d. 15 Junii, tom. II, p. 1013, n. 2-4). Vid. Append.

8° De translatione S. Viti martyris (fol. 9r-10r).

Narratio contracta ex ea quæ legitur apud Jaffé, *Monumenta Corbeiensia* (Bibl. Rer. Germ. tom. I), p. 14, a lin. 7, suppressa scilicet relatione miraculorum quæ in itinere contigerunt et subinde nonnullis vocibus. In fine adjecta nonnulla parænetica. Vid. Append.

9° Vita S. Aviti presbyteri (fol. 10r-11v).

Vita quam stylo mutato edidit Surius ad d. 17 Junii. Vid. Append.

10° Vita Stæ Marinæ virginis (fol. 11v-12v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Julii, tom. IV, pp. 286, 287.

11° Passio SS. Gervasii et Prothasii martyrum (fol. 12v-13v).

Edita ibid., ad d. 19 Junii, tom. III, p. 821-822, num. 17-23.

12° Epistola S. Ambrosii ad sororem suam de inventione eorumdem martyrum (fol. 13v).

Edita ibid., p. 817, numm. 1, 2.

13° Passio S. Albani martyris Magontiensis (fol. 13ᵛ-16ʳ).

Edita apud Henricum Canisium (ed. Basnage), *Thesaurus Monumentorum*, tom. IV, p. 158-166. — Sed num. 1-9 omm., et numm. 10-17 brevissimo compendio narrantur, ut contrahantur sexdecim prioribus lineis alterius Passionis ejusdem sancti ibidem editæ, scilicet a *Temporibus* usque ad *victores extiterunt.* In cod. etiam legitur *impiissimi Hunerici.*

14° Vita S. Eustasii confessoris (fol. 16ʳ-18ʳ).

Vita auctore Jona, edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Martii, tom. III, p. 786-790.

15° Vita S. Paulini episcopi et confessoris (fol. 18ʳ-19ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Junii, tom. IV, p. 198-200.

16° Relatio S. Gregorii papæ de eodem (fol. 19ᵛ-20ʳ).

Est caput primum libri tertii Dialogorum, editum apud Migne, P. L., tom. LXXII, p. 215-222. — Ultima phrasis in cod. om.

17° Passio Sᵗᵃᵉ Mustyolæ et aliorum (fol. 20ʳ-20ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Julii, tom. I, pp. 640, 641. — Hæc vero notanda :

Num. 1. ...christianis, et dum ei nuntiatum fuisset, quoniam in civitate Tuscana, quæ nobilis post gentilitatem fuit, ad sanctam religionem christianam conversi florebant, tanta... in civitatem Falisco sedens dixit : Omnia diligenter examinate quærentes, ut, ubi divulgatus fuerit christianus, sine dilatione nostris aspectibus præsentetur ferre pericula capitalia. Interea... argenti. Beatus ergo Felix presbyter divulgatus est ab aliquo curiali dicente sic : In agro Fallisco est quidam presbyter facultate repletus, qui seducit populum ut deserant templa deorum et baptizentur et efficiantur christiani. Hæc audiens...

Num. 2. ...Spiritus sanctus. Turcius dixit : Depone infelicitatem Dei tui et pare præceptis dominorum nostrorum augustorum. Felix presbyter respondit : Quantum ad nos pertinet, Christo parere utinam mereamur et deprecare nomen ejus. Iratus... muros Sutrinæ civitatis...

Num. 3. ...exinde in Clusinam civitatem... veniens in Clusinam civitatem... christianis. Et dum hæc fierent, audiens... tegumentum. Hoc autem factum est quia in tenebris lumen latere non poterat. Venit...

5. ...pulchritudine ejus et hoc præcepit ut sine injuria revocaretur in domum suam cum grandi honore. Veniens autem Turcius in domum...

6. ...diaconum in conspectu Mustiolæ in eculeo... deficere. Quæ migravit ad Dominum sub die... civitatis Clusinæ...

18° Passio SS. Johannis et Pauli martyrum (fol. 20ᵛ-22ʳ).

Edita apud Mombritium in Actis S. Gallicani, tom. I.

19° Passio SS. Septem Dormientium (fol. 22ʳ-25ʳ).

Edita in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii p. 252-259. — Ex cod. (in initio) Decius fertur ivisse Constantinopolim et rursus Carthaginem et inde Ephesum.

20° Passio SS. apostolorum Petri et Pauli (fol. 25ʳ-28ʳ).

In margine manu recenti add. " quam scripsit S. Marcellus discipulus S. Petri ut patet in fine. „

Edita apud J. Albertum Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti*, Pars III (Ed. Hamburgi 1743), p. 632-653.

21° Passio S. Petri apostolorum principis (fol. 28ʳ-36ᵛ).

Prologus hujus Passionis editus apud Mombritium, tom. II, p. 1, col. 2 et p. 2, col. 1 usque ad lin. 9; initium vero Passionis in *Act. SS.*, ad. d. 29 Junii, tom. V, p. 424. num. 1 ab *His ita gestis-Cæsaream Stratonis.* Quæ vero sequuntur usque ad fol. 34ᵛ, col. 1, lin. 15 a fine, desumpta sunt ex Libris Recognitionum S. Clementis, edit. apud Migne, P. G., tom. I, p. 1207 sqq.

Pro num I-XI lib. I in cod. : *In initio sermonis eorum quæ primo die habituri erant ego Clemens navigavi...;* num. XXIV om.; num. XXVI-XLIII om. præter duas primas phrases num. XXVI; num. LXIV om. præter initium usque ad *frequenter exorat;* num. LV om. præter hæc : *Ascendimus in templum-nuper inductum ;* num. LVI-LXIX om. præter ultimam phrasim num. LXIX ; num. LXXIII om.; num. LXXIV om. præter ultimam partem (*Quæ vero supersunt...*).

Ex lib. II, num. II om.; ultima pars num. III (*Nam si in mandatis...*) om.; num. IV om. præter ultimam phrasim (*Quod si ingesserit*) ; ultima phrasis num. V om. (*Neque enim...*); altera pars num. VI (*sed ingenitus quidam...*) om.; numm. VII-XVIII omm.; duæ primæ phrases num. XIX omm.; num. XX hæc : *Hic ergo hoc est-hujuscemodi inquisitio* omm.; num. XXI præter duas primas lineas (*Nam si-et locum*) om.; numm. XXII ac XXIII contrahuntur; num. XXIV ultima phrasis om.; num XXV contrahitur; numm. XXVIII-XXXV omm.; num. XXXVI altera pars (*Et Simon: Videris...*) om.; num. XXXVII prior pars usque ad *præsens præsenti dico* om.; numm. XXXVIII-LI omm.; num. LII præter hæc : *Tum Petrus: Noli, inquit, indignari-loco quidem moti* om.; numm. LIII-LX omm.; num. LXI om. præter initium usque ad *habebantur in oculis;* num. LXII prima phrasis om., et ultima num. LXIII ; numm. LXIV et LXV omm.; num. LXVI om. præter primam phrasim ; numm. LXVII om. præter primam phrasim, quæ etiam contrahitur ; numm. LXVIII et LXIX omm.; num. LXX sub finem hæc : *Petrus vero cum-undecim* omm.; num. LXXI om. præter primam phrasim ; num. LXXII om. præter duas ultimas phrases (*His dictis cum benedixisse...*).

Ex lib. III, numm. I-XI omm.; num. XII ultimæ lineæ (*cum mihi cui ex consuetudine...*) omm.; numm. XIII et XIV contrahuntur ; num. XV om. præter quatuor primas lineas ; numm. XVI et XVII omm., ac XVIII præter tres ultimas lineas (*si certamen-erunt*); item num. XIX præter quatuor priores lineas (*Et Simon-poterit*); item num. XX præter tres priores lineas (*Tum Simon-incipiat*); num. XXI contrahitur ; num. XXII om., ac num. XXIII præter initium usque ad *testimonium dare ;* numm. XXIV-XXIX omm., cum num. XXX usque ad hæc verba : *Post hæc autem*, et hæc ipsa uti et num. XXXI contrahuntur ; num.

xxxiii altera pars (*et interrogant quidem...*) cum numm. xxxiv et xxxv omm.; num. xxxvi præter hanc phrasim : *sed qui audierint-etiam vitæ instituta suscipiant,* cum numm. xxxvii et xxxviii omm.; numm. xl-xlii et xliii præter hanc phrasim : *Ut autem scias-comprobabo* omm.; num. xliv contrahitur; num. xlv ultima pars (*neque ut infidelis*) om.; numm. xlvi ac xlvii contrahuntur; num. xlix om. præter primam phrasim; numm. l-lxii om.; num. lxiii contrahitur necnon et numm. lxv-lxviii; num. lxix duæ priores lineæ (*Sequestratis-Aquila*) omm.; num. lxxi contrahitur; num. lxxii om. præter finem (*Interea per dies-baptizati sunt*) ; num. lxxiv contrahitur ; num. lxxv om.

In cod. libro III annectitur liber IV hac phrasi : *Nos autem die postera, ut statutum fuerat, a Cæsarea digressi venimus Tripolim.* Tres priores numm. lib. IV contrahuntur ; ceteri omm., ut lib. V totus. Ex lib. VI num. i om.; numm. ii et iii contrahuntur; numm. iv-xiv omm. ; num. xv contractus hanc habet lectionem : *Et ita cunctis competenter dispositis, cum* vi *annorum tempus fuisset expletum, valedicentes his qui erant apud Antiochiam, Laodiciam, quæ est urbs proxima, proficiscitur multum desiderabilis.* Ex lib. VII numm. i et ii contrahuntur; num. iii om.; numm. iv et v contrahuntur ; num. vi om. præter ultimam phrasim (*Sed potius...*) ; tandem num. vii contrahitur, ceteris omnibus omm.

Quæ dein sequuntur in cod., edita sunt apud Mombritium, tom. II, in Passione S. Petri, inde ab hujus Passionis p. 8, col. 1, lin. 4 : *Post hæc autem Petrus Romam.* — Ad finem vero hæc in cod. add. :

Desertus igitur Nero non post multos tunc dies ab omnibus suis, fugit ex urbe cum quatuor libertis suis. Et cum se urgeri imminentibus conjuratis atque agmine adverso videret, in suburbanum clanculo concessit, discissus et laceratus sentibus, dum formidat a quoquam videri ne proderetur. Deinde cum se circumseptum intelligeret, ne graves pœnæ exigerentur, manganum quoddam sibi de ligno paravit, et manibus composuit suis quo se necaret, et ad liberos conversus : O qualis, inquit, artifex moritur. Ita acerbissimus parricida dignum meritis suis vitæ exitum tulit. Petrus itaque et Paulus apostoli Dei passi sunt sub die III° Kalendarum Juliarum, regnante Domino nostro, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

22° Passio S. Pauli apostoli (fol. 36v-38v).

Edita in *Maxima Bibliotheca veterum Patrum* (Lugduni 1677), tom. II, p. 70-73, sub hoc titulo : *B. Lini de passione D. Pauli ad Ecclesias Orientales. Liber II.*

23° Epistola S. Clementis ad Jacobum apostolum (fol. 38v-41r).

Refertur ex interpretatione Rufini, edita apud Migne, P. G., tom. II, p. 31-56. — In fine hæc add. :

Quidam enim requirunt quomodo Linus et Anacletus in urbe ante Clementem fuerint episcopi, ipse Clemens ad Jacobum scribens sibi dicat a Petro docendi cathedram traditam. Cujus rei hanc esse cepimus rationem, quod Linus et Anacletus fuerint quidem ante Clementem episcopi in urbe Roma, sed superstite Petro; videlicet ut illi curam gererent episcopatus, ipse vero apostolatus impleret officium; sicut invenitur etiam apud Cæsaream fecisse, ubi cum ipse esset præsens Zacheum tamen a se ordinatum habebat episcopum. Et hoc modo utrumque verum videbitur, ut et illi ante Clementem numerentur episcopi et Clemens tamen post obitum Petri docendi susceperit sedem.

24° Vita S. Martialis discipuli beati Petri apostoli (fol. 41r-49v).

Edita apud Surium ad d. 30 Junii.

25° Passio SS. virginum Fidei, Spei et Caritatis (fol. 49v-51r).

Edita in *Legenda Aurea* (edit. Coloniensi 1483), foll. 443, 444. Cfr. Simeonem Metaphrasten (P. G., tom. CXV, p. 497 sqq.) et Mombritium, tom. II.

26° Vita S. Karelephi presbyteri (fol. 51r-55r).

Edita apud Surium ad d. 1 Julii. — Hinc inde stylo paululum immutato. Insuper notandum:

Cap. XII sub fin, post *sarcina allevetur* in cod. add.:

Si quem inquinavit luxuria, fornicatio polluit, masculorum concubitus maculavit, aliorumque uxorum sordidavit amplexus, non verecundetur ad redemptoris sui per bonam emendationem et pœnitudinem et misericordiam, quia ille benignus est super bonos; sed magis ante oculos Maria Magdalenam revocet, quæ omnium nefandorum criminum squaloribus fuit sordidata, sed mox ut lacrimarum rivulis auctoris vitæ abluit plantas, dimissa sunt ei immensi ponderis scelera onerosa. At si quis fortasse effusione humani sanguinis, aut furti cupiditate aut perjurii est jaculis vulneratus, confiteatur peccata sua ex animo, nihil hæsitans, latronemque reducat ad memoriam qui pro innumerabilibus flagitiis in crucis suspensus est patibulo, et in ipso mortis articulo pro sola confessione audire a Christo meruit: Hodie mecum eris in paradiso. Nam ubi confessus est, ibi est et sanatus. Unde datur nobis intelligi nullum esse sic impium qui per veram confessionem non posset a Domino veniam promereri. Quicumque ergo avaritiæ malo accensus

fraude abstulit aliena, Zacheum reducat in medium, quem et principem publicanorum et auctum divitiis legimus. Qui ut fontem misericordiæ induit, omnia quæ habere potuit pauperibus erogavit, et quæcumque fraude abstulit quadruplum redditurum promisit. Inde et illi componitur a Domino quod facta esset ipsa die domui illius salus, eo quod esset ipse filius Abrahæ. Nolite...

Cap. XIV post *angelorum consortia meruere*, in cod. add.:

Ne circumveniatis quemquam in quolibet negotio. Exercete vos in omnibus justificationibus Dei et cœlestibus disciplinis. Pauperem et proselitem nolite renuere, sed cum omni gratiarum actione suscipite et alimonia sustentate. Recordamini quia in paupere et peregrino Christus suscipitur. Armamini armis justitiæ et contra invisibilis machinas hostis nequisssimi murum bonæ operationis opponite, atque dilectionis Dei et proximi portis obserate, ut claudestinus supplantator aditum ingrediendi ad cor vestrum non valeat repperire. Momentis...

Cap. XVIII post ultima verba; *glorificans abscessit*, in cod. add. quæ habes in *Act. SS.*, ad d. 1 Julii, tom. I, p. 102 : *Claudere me sermonem-vidisse testantur.*

27° Passio SS. martyrum Processi et Martyniani (fol. 55r-56r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Julii, tom. I, pp. 303, 304.

28° Vita S. Uldalrici episcopi et confessoris (fol. 56r-61v).

Edita apud Marcum Velserum (Opp. ed. 1682), p. 597-617. — Deest prologus, item quæ leguntur p. 617 post *saec. saec. Amen.*

29° Vita S. Goaris confessoris (fol. 61v-65v).

Vita auctore Wandelberto, edita apud Mabillonium, *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 281-288.

30° Libellus miraculorum beati Goaris confessoris et de translatione ejus (fol. 65v-70v).

Editus in *Act. SS.*, ad d. 6 Julii, tom. II, p. 337-346.

31° Passio S. Kyliani martyris (fol. 70v-73r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Julii, tom. II, p. 614-618. — Sed deest ultima phrasis : *Qualiter autem venerabilis pontifex...*

32° Passio S. Cyrilli episcopi (fol. 73r-73v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Julii, tom. II, p. 687. — Num. 1 : *cum esset annorum octoginta quatuor* pro *octoginta duorum.* Pro ultima phrasi *Et ille gaudens...* ita cod.:

Hic autem erat gaudens et collaudans Deum, qui eum a nequissimo judice servatum postea suæ dignum tradidit passioni, et sic offerens caput percussus gladio reddidit spiritum. Martirizatus est autem venerabilis doctor Cirillus in Egipto VI Idus Julii sub Decio imperatore, agente Lucio duce, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

33° Passio S^tæ^ Anatholiæ virginis (fol. 73^v^-74^r^).

Edita apud Surium ad d. 9 Julii.

34° Vita S. Paterniani episcopi (fol. 74^r^-76^r^).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Julii, tom. III, p. 297-300.

35° Passio S^tæ^ Felicitatis VII^tem^ que filiorum ejus (fol. 76^v^-77^r^).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Julii, tom. III, pp. 12, 13.

36° Passio SS. virginum Rufinæ et Secundinæ (fol. 77^r^-78^r^).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Julii, tom. III, pp. 30, 31. — Sed ultima phrasis om.

37° Passio S. Hermagoræ episcopi et discipuli S. Marci evangelistæ (fol. 78^r^-80^r^).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Julii, tom. III, p. 251-255. — Ut plurimum quæ inter parentheses leguntur, omm. in cod. Deinde num. 4 pro *factus est proton episcopus* legitur *factus est pro eo episcopus;* et num. 6 Agrippa dicitur *frater* non vero *filius* Herodis.

38° Passio S. Eugenii episcopi et martyris (fol. 80^r^-81^v^).

Diversa ab Actis auctore Victore Vitensi, editis apud Surium et in *Act. SS.*, ad d. 13 Julii, tom. III, p. 495 sqq., et etiam ab iis quæ vidit Gregorius Turonensis (cfr. ibid. p. 488, n. 7 sqq). Vid. Append.

Annexa legitur Passioni epistola quam exul ad fideles dedit beatus confessor. Hanc habes in *Act. SS.*, tom. cit., p. 492, num. 28-30; sed in cod. hæc præmittuntur: *Post hæc autem, cum audisset in loco in quo corpus ejus sanctum quiescebat, quod tanta scelera Honorius impius erga Domini sacerdotes perageret, seu erga quosdam ex populo quos Dominus per sanctum Vindemialem vel per sanctum Eugenium ad viam veritatis revocavit, alios trucidaret, alios vero in pelagus maris demergeret, propter fidem sanctam catholicam, hanc epistolam post se direxit, cujus textus iste est.* Et ad finem add.: *Si quis non permiserit hanc epistolam legi, reddat pro hoc rationem in die judicii. Amen.*

39° Vita S^tæ^ Margaretæ virginis (fol. 81^v^-84^r^).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Auctor Passionis in cod. nuncupatur non *Tectinus* sed *Theotimus*, ac p. 4, col. 1, lin. 26, pro *Contimus*, in cod. *Theotimus*.

40° Passio SS. martyrum Cirici et Julittæ (fol. 84r-86r).

Passio auctore Hucbaldo, edita apud Migne, P. L., CXXXII, p. 851-858. — In cod. pro *Blasio* p. 852, recte dicitur : *a beato Gelasio papa jure inter cetera apocrifa sunt repudiata;* beata Julitta primoribus non *Hyboniarum* sed *Ychoniarum* dicitur progenita. Quæ inter *Et quia in primori tabernaculo* (p. 856, lin. 25) et *imperium per infinita secula seculorum* p. 858, lin. 15) om., et ad fin. hæc add.: *et Dei ordinatio qua isdem martyr Neversium pater futurus erat, ea interim servatrice quandoque levius fieret.*

41° Passio S. Agylolphi Coloniensis archiepiscopi (fol. 86r-88v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 9 Julii, tom. II, p. 720-726. — A num. 1-15 quidquid inter parentheses legitur, in cod. om.; insuper om. num. 23-27.

42° Vita S. Alexis confessoris (fol. 88v-89v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 17 Julii, tom. IV, p. 251-253.

43° Vita Stæ Praxedis virginis (fol. 89v-90r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 19 Maii, tom. IV, p. 300, num. 5-7. — Incipit vero ut in cod. Namurcensi 53 (vid. *Analect. Boll.,* tom. I, p. 515, 65°). Insuper num. 8 pro *Lateranus* in cod. *Latericius,* pro *IIII Idus Maii* in cod. *III Idus Maii,* pro *post duos annos* in cod. *post annos duos et dies octodecim.*

44° Vita Stæ Mariæ Magdalenæ (fol. 90r-92v).

Constat 1° parte illius Sermonis Odonis abbatis qui editus est in *Act. SS.* ad d. 22 Julii, tom. V, p. 218-222. — Incipit cod. ab iis quæ leguntur l. c. num. 170-172, immutato tamen initio num. 171, ita : Fuit secundum seculi fastum clarissimis exorta natalibus, utpote regia ex stirpe descendentibus, beatissima Maria Magdalene; cujus pater Syrus vocatus est, et mater Chucaria nuncupata ; uterinique ejus Lazarus et Martha fuerunt. Ad progenitores quoque suos dominium maximæ partis Jerusalem et totius Bethaniæ et Magdali castelli, unde Magdalena cognominata fuit, pertinuisse dignoscitur. Sed quia rerum affluentiam quam habuerat, interdum... curricula soluto pudicitiæ freno agitare curavit. Hæc est illa mulier... Deinde om. num. 173-178, sequuntur numm. 179 ac 180 usque ad hæc verba *intrepida pervenit;* inde ceteris omnibus omm. pergit : *misericordissima Dei pietas* (cfr. num. 185 medio) usque ad : *cordibus removeret* (num. 186 post med.).

Constat 2° (fol. 91, col. 2) Prologo edito apud Faillon, *Monuments inédits sur l'apostolat de sainte Marie Madeleine,* tom. II, p. 436.

Constat 3° Vita edita ibidem p. 433-436, cum additionibus ibid. editis p. 445-451. Nam in cod. om. quod ibi pag. 452 ab his verbis : *Non modicam.*

45° De translatione ejusdem (fol. * 92v-94r).

Edita apud Faillon, ibid., p. 746-752. — Ex his quæ leguntur apud Faillon p. 750,

* In margine superiore manu recenti notatur : *Lib. 2 Trajectensis habet a° 749 tempore Karolomanni et Pipini et ce*[tera], *de isto Gerardo queratur quid verius.* Dein paulo inferius eadem margine : *per alumnum Vizeliacensem, ut patet infra.* Denique *Martii 19.*

quædam omm. ut in cod. Namurcensi 53 (vid. *Analect. Boll.*, tom. I, p. 516). Ad finem post *reposuerunt* add.: Quo in loco exhinc diversis atque innumeris signorum virtutibus ipsa Deo dilecta, beata scilicet Maria Magdalena, claruit, præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

46° Miracula S[tæ] Mariæ Magdalenæ (fol. 94[r]-94[v]).

Inc. *Miraculorum vero magnitudinem, quia plurima sunt, sermo noster non sufficit comprehendere; sed ad fidem et devotionem fidelium pauca ex illis referemus.* Deinde narratur miraculum de mortuo ad tempus revocato ad vitam, quod paucis contractum legitur in *Legenda Aurea*, edit. Dresdensi 1846 p. 415, num. 4, his in cod. add.:

> Cujus miraculum testes et assertores plurimi fuerunt, quorum quidam Vizeliacum venerunt et coram innumerabili populo qui ex diversis terrarum partibus illuc convenerant rem gestam exposuerunt. Resurrectionis Dominicæ paschalis solemnitas agebatur ; de peregrini a mortuis et peccato resurrectione Christus glorificabatur et beatæ Mariæ meritum episcopo qui tunc orationis causa advenerat Caturcensi concionante et toto populo in Dei laudibus acclamante prædicabatur.

Secundum miraculum narratur ibid. p. 416, num. 8; tertium vero et quartum contracta reperiuntur in *Act. SS.*, ad d. 22 Julii (tom. V, p. 224, num. 201). *

47° Passio S. Apollinaris discipuli S. Petri apostoli (fol. 94[v]-97[r]).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Julii, tom. V, p. 344-350. — Quæ in editis sunt inclusa uncinis, in codice non leguntur.

48° Passio S[tæ] Crystinæ virginis (fol. 97[r]-100[r]).

Inc. Erat quædam sancta et sacra puella de Tyro, nomine Crystina, spem Dei habens in virginitate custodienda, nondum annorum undecim. Erat autem pater ejus de genere magno, dignitate magister militum.

Des. Tunc iratus Julianus duas sagittas misit contra cor ejus, et unam contra latus ejus, et ita emisit spiritum. Venit autem quidam de genere ejus, qui et ipse crediderat in Deum per beatam Christinam, sed et alii christiani, et curaverunt corpus ejus ex more, et collocaverunt eam in optimo loco. Implevit autem martyrium beata Crystina VI° Kl. Augusti, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, virtus et potestas in secula seculorum. Amen.

Rebus narratis haud absimilis Passioni editæ apud Mombritium, tom. I; in codice tamen prolixior.

* Ad finem in margine eadem manu recenti de qua modo, notatur: *En auctorem habes Vizeliacensem circa annum 849.*

49° Passio S. Jacobi apostoli fratris S. Johannis evangelistæ (fol. 100r-101v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

50° Translatio ejusdem (fol. 101v-103r).

Narratio, ut videtur, satis antiqua et diversa ab ea quam edidit Surius ad d. 25 Julii et ab aliis quæ citantur in *Act. SS.*, tom. VI Julii, pag. 12-13. Vid. Append. — Completa narratione subnectitur miraculum quod leges in *Act. SS.*, l. c. pp. 53, 54 seu numm. 222-226.

51° Passio S. Christophori martyris (fol. 103r-104v).

Edita apud Mombritium, tom I. — Occurrunt tamen in cod. non paucæ variantes lectiones.

52° Vita sanctissimæ Glodesindis virginis (fol. 104v-106r).

Vita auctore Joanne, abbate S. Arnulphi Metensis, edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Julii, tom. VI, p. 210-212.

53° Passio S. Pantaleonis martyris (fol. 106r-109r).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Passim in cod. occurrunt variantes lectiones. Insuper in fine post *combureret sanctum corpus* (pag. ultima, col. 1, lin. 10 a fin.) ita cod.:

> Quod et factum est. Christiani vero tollentes cineres ejus, posuerunt in locello argenteo, et collocaverunt absconse sub sacrosancto velamine altaris sancti Liberii. Spiculatores vero qui duxerant (*corr. in marg.* quibus jussum fuerat) sanctum Pantaleonem decollare non sunt reversi, sed cum reliquiis corporis ejus abierunt simul cum cineribus quos tulerunt. Locus autem ubi decollatus est sanctus Pantaleon in Nicomedia civitate est foris murum in villa cujusdam nomine Konanti scolastici, illicque cimiterium a christianis factum est.

54° Passio S. Felicis papæ et martyris (fol. 109r).

Edita apud Mombritium, tom. I.

55° Passio SS. Simplicii, Faustini et Beatricis (fol. 109r-109v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Julii, tom. VI, p. 36.

56° Vita S. Lupi episcopi et confessoris (fol. 109v-110v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Julii, tom. VII, pp. 69, 70. — Codex plurimas exhibet variantes lectiones quæ notantur tom. cit. ex cod. Bodecensi. Præterea num. 2, pro *solo Lyrinensi*, in cod. *Solobrinensi*; num. 5, pro *armis immunitam et mare cum infensaret sui agminis densitate*, in cod. *nec armis munitam nec muris cum nullus defensaret sanguinis densitate*; pro *secum indicit iturum*, in cod. *alias se dicit itu-*

rum. Num. 6, pro *ut vidit servorum dispersionem... festinavit,* in cod. *ut vidit se suorum desperatione turbatum... experto sollertior festinavit;* pro *venientium caritate,* in cod. *venientum raritate;* pro *quædam mulier Alisia prostrata... paralytica,* in cod. *quædam se mulier juxta basilicam prostrata... paralyticam;* pro *prædio Matisconii,* in cod. *præsidio Matischone.* Num. 7 initio: *Videtur utile vitæ ejus qualitatem replicare.* Num. 11, pro *qui affuerunt vera ex scholis,* in cod. *quæ vero fuerunt ex scolis;* pro *quam in collisionem suorum corporum cernui laberentur,* in cod. *quam collisionem suorum corporum.*

57° Passio Stæ Seraphiæ virginis (fol. 110v-111v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Aug., tom. VI, p. 500-503.

58° Passio SS. Abdon et Sennen martyrum (fol. 111v-112v).

Ea est Passio quæ legitur in cod. Namurc. 53. Cfr. *Analect. Boll.*, tom. I, p. 519, 81°.

59° Passio SS. virginum Floræ et Lucillæ (fol. 113r-113v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Julii, tom. VII, p. 23-24. — In cod. ad nomen barbari regis *Eugegii* num. 1 recens manus supra lin. add. *qui et Aucia.* De S. Auceia, cfr. *Act. SS.* ad d. 25 Junii, tom. V, p. 11 sqq.

60° Vita S. Germani Autisidiorensis episcopi (fol. 113v-118v).

Vita auctore Constantio, edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Julii, tom. VII, p. 201-220. — Sed in cod. num. 2-8 om.; num. 12, pro *Icauna flumine,* in cod. *Cauna flumine;* num. 17-37 om.; item num. 42-44; num. 49 om. præter primam phrasim *(Compressa-acturi petierunt);* num. 55, pro *in Alisiensi loco,* in cod. *in Alesia;* num. 56 *Arari famulante* om.; num. 58 om.; num. 60 ita in cod. legitur: *Adjuncto itaque Severo episcopo totius sanctitatis, mare conscenditur, ad itineris...* (usque ad fin. num.); num. 62 in cod. *Ethius* pro *Aetius* et *Gochari* pro *Eochari;* num. 64 om. præter duas primas phrases *(Erat-sexus occurrit);* num. 66 om. præter initium *(Decursis-cervice transposuit)* et ultimam phrasim *(Et cum studiossime-non possit);* num. 73, pro *Acholii eunuchi tum præpositi,* in cod. *Acoli eunuchi tum præpositi;* num. 77 altera pars om. *(Sedit autem...)* itemque epitaphium om.; tandem om. epistola ad S. Censurium (ibid., n. 101).

61° Passio S. Felicis martyris [Gerundæ in Hispania] (fol. 118v-120r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Aug., tom. I, p. 26-28. — Sed non raro est stylo diversa. Incipit vero:

> In diebus illis sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus talis orta est persecutio christianis ut non solum in orientali parte ubi dominabantur, sed etiam in occiduis partibus

constitutis talis ab eis emanaret impiissima jussio ut non esset civitas aut vicus ubi non idolum erigeretur. Sanctus autem Felix de Scislatana civitate oriundus fuit. Contigit autem eum Cæsaream civitatem pergere quæ est in littore Mauritaniæ ubi sapientes studiis atque liberalibus litteris vacabant; seque eis adjungens studebat ut perfectior appareret cunctis. Illico advenientibus classibus navium nuntiatur ei eo quod christianis exorta esset gravis persecutio in omni littore. At ille hæc audiens, omnia volumina legum quæ...

Num. 1, *Barvolanensis contigit littus* pro *in Barcinonensem appulsus est civitatem;* pro *de Barcinona ad Empuricas,* in cod. *de Barcilona in Puritanam civitatem;* num. 3, pro *in Ilerdensi civitate successit,* in cod. *contulit se in Gerundensem civitatem.* Num. ultimo, post *cum provincialibus inito consilio definivi* ita cod.:

Ut loculum in nostro navigio deportaremus ad propria. Et cum diu a nobis fuisset pernoctans oratio, ut se habet tribulatio obdormivimus, et expergefacti non invenimus corpus. Ex adverso enim cœnaculi quædam fidelissima matrona amore fidei et sancti martyris desiderio gliscens, sanctum corpus furtu copioso abstulit, quem in monumento suo dignissime sepelivit ac basilicam nomini sancto titulavit. In quo loco tanta Domini nostri Jesu Christi miracula exuberant ad laudem nominis ejus ut quicumque pio desiderio et fideli voto advenerit ibique Dominum per beatissimum martyrem exoraverit, qnacumque infirmitate vel inimicorum infestatione oppressus invicti martyris liberetur auxilio. Nam et dæmones ex obsessis corporibus mugitum reddentes solidaque membra per aera suspendentes fugantur, et omnium fidelium devotio suscipitur. Populis vero in ejus venerabili die e diverso confluentibus festivitatis gaudia decuplantur. Nos vero de cruore sanguinis ejus reliquias nobiscum detulimus una cum ejus Passione, gratias agentes Domino nostro Jesu Christo, qui coronavit martyrem suum per bonam confessionem. Ipsi honor et gloria una cum Deo Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

62° Passio S. Stephani papæ et martyris (fol. 120r-122v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Augusti, tom. I, p. 139-144. — Ultima phrasis num. 11 *(Ipsum vero Nemesium...)* om. in cod.

63° De revelatione SS. Stephani prothomartyris, Nicodemi, Gamalielis atque Abibon (fol. 122v-123v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed sub finem (p. 3, col. 2), post *prodigia*

facta sunt, add. in cod. : *Septuaginta namque et tres homines tunc a variis languoribus curati sunt;* post *sanctum Stephanum in civitatem* non leguntur hæc verba : *Capharlagam non longe a sancta Syon.*

64° Translatio ejusdem prothomartyris Stephani qualiter ab Iherosolimis Constantinopolim devectus sit (fol. 123v-125r).

Edita in Append. ad Opera S. Augustini apud Migne, P. L., tom. XLI, p. 817-822.

65° Translatio ejusdem prothomartyris de Constantinopolim ad urbem Romam (fol. 125r-126v).

Textus diversus ab eo cujus pars edita est ab Angelo Mai, *Spicileg. Roman.* tom. IV, p. 285-288. Eam narrationem memorat Baronius in Notis ad Martyrol. Rom. die 7 Maii.

66° Relatio de miraculis ejusdem prothomartyris (fol. 126v-129v).

Ex vetusto lectionum ecclesiasticarum libro Bisuntino sæpius citato et, quod ad miracula S. Stephani pertinet, magnam partem edito apud Joan. Jac. Chifflet, *Vesontio civitas imperialis libera, Sequanorum metropolis* (Lugduni 1618, in-4°). Vid. Append.

67° Passio S. Memmii martyris (fol. 129v-130r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Aug., tom. II, pp. 11, 12. — Incipit in cod. ita : *Antiquis temporibus, cum beatissimus Memmius episcopus, qui de nobili genere Romæ urbis oriundus erat, a sancto Petro apostolo in episcopatum benedictus fuisset... ;* deinde num. 1 in cod. nulla mentio fit nec de Euchario Trevirensi nec de Saviniano Senonensi; num. 6 soror B. Memmii Catalaunensis episcopi vocatur *Pumia,* et pro *Illa vero mortuos suscitavit, ægrotos curavit,* in cod. *Ille mortuos suscitavit, illa ægrotos curabat.*

68° Passio SS. Sixti et sociorum ejus (fol. 130r-131r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Aug., tom. II, pp. 140, 141. — Sed in cod. ita incipit : *Tempore quo, Galba mortuo, Decius a Babilonia Romam rediit, et sanctos martyres Abdon et Sennen subregulos martyres coronavit, eodem tempore Decius.*

69° Passio SS. martyrum Justi et Pastoris (fol. 131r-131v).

Edita ibid., ad d. 6 Aug., tom. II, p. 154.

70° Passio SS. Donati episcopi et Hilarini monachi (fol. 131v-134v).

Edita in *Monumenti e Notizie istoriche riguardanti la chiesa primitiva vescovile di Arezzo* (Luccæ 1755), pag. 43 sqq. (cfr. Aug. Albergotti, *De vita et cultu S. Donati Arretinæ ecclesiæ episc. et mart.* (Aretii 1782), Præf. p. XXXI.

71° Conversio et passio S^{tæ} Afræ martyris cum sociis suis (fol. 134^{v}-136^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Augusti, tom. II, p. 55-58. — In cod. num. 19, pro *in insulam Lyci fluminis*, legitur *in insulam fluvii quæ dicitur Lechee;* et num. 21 med.: *Sic factum est ut eadem die quo* (sic) *sepulta est Afra, id est VII Idus Augusti, simul etiam sorores ejus in Christo...*

72° Passio S. Justini presbyteri et sociorum ejus (fol. 136^{v}-138^{r}).

Eadem ac Passio quæ edita est in *Act. SS.* ad d. 1 Junii, tom. I, p. 35-37, sub hoc titulo: *Acta SS. Secundiani et sociorum, 9 Augusti, SS. Florentio et sociis inepte aptata.* — At servato nomine Marcelliani, *Secundianus togatus* mutatur in *Virianum togatum, Timotheus presbyter* in *Justinum presbyterum* ac *Virianus* in *Faustinum.* Insuper in cod. ita incipit: *Temporibus Decii cesaris sub Valeriano præfecto.* Num. 3, lin. 18 a fine ad hæc verba: *sic eum salutavit Secundianus dicens ei: Rogo...* ita cod.:

... sic eum salutaverunt, dicentes: *Pax tecum, frater et magister.* Sperans igitur beatus Justinus presbyter quod in martyrii certamen veniret, cœpit prædicare diligenter de nomine Christi et dicere: *Fratres, pœnitemini et convertimini, ut deleantur vestra peccata. Profecto volo vobiscum ad illam vitam festinare et pertingere, et istam vitam pro nihilo debemus computare, et illam debemus appetere quæ in sempiternum permanet. Ista enim vita fugitiva est et misera et caduca, quæ nec amicis suis fidem custodit. Ista vita ammonet furem ut rapiat, iracundum ut sæviat, mendacem ut fallat. Ipsa inter conjuges discordias seminat, inter pacificos lites, inter justos injustitiam, inter fratres scandala. Ipsa tollit judicibus justitiam, castis pudicitiam, artificibus peritiam, et ipsa aufert moribus disciplinam. Festinemus ergo, fratres, istam miseram vitam despicere, ut ad illam valeamus pervenire ubi lux sine fine manet, requies sine labore, satietas sine fastidio, ubi omne bonum adest, ubi nunquam malum invenitur; sed ubi fulget angelorum chorus cum Christo, ubi omnes sancti assistunt cum eo et regnabant in secula seculorum.* Adhuc loquente beato Justino presbytero de nomine Christi, in ipsa hora cecidit beatus Virianus ad pedes ejus, dicens: *Rogo te per Christum quem tu colis, ne tardes me baptizare in nomine ejus.* Itaque Marcellianus et Faustinus rogabant beatum Justinum presbyterum ut eos similiter baptizaret. Tunc beatus Justinus allata aqua catezizavit eos, et ita dixit in confessione: *Credis, Viriane, in Deum...*

Num. 4 quæ uncinis continentur, ita in cod.: *Vere firmum eum speravi, et*

tamen infirmus esse cognoscitur, si hoc fecit quod dicitur. Tunc Valerianus præfectus quasi propter amicitiam... Num. 7 *Centumcellis* om. Num. 8 (p. 37, lin. 1) post *Promotus* ita cod. :

Consularis iracundia plenus, dedit in eos sententiam, dicens ut capite truncarentur et portarentur longe a civitate trans Tiberim in pagum Fenestri in heremi locum, ut nullus christianorum interitum eorum videre potuisset, aut aliquid sibi de martyrio eorum subriperet, et ne colerent eos quasi deos. Qui deducti sunt in prædictum locum qui appellabatur pagus Fenestri, uno miliario ab urbe, et ibi decollati sunt, et corpora eorum jactaverunt in fluvium Tiberim, sanctorum scilicet Justini, Viriani et Faustini et Marcelliani. Tunc sanctus et venerabilis episcopus Decius prænominatæ civitatis Perusinæ occulte mandavit beatissimo Exuperantio, qui ibidem deserviebat ecclesiæ sanctæ et gloriosæ semper virginis Mariæ, ut diligenter colligeret corpora eorum et dignæ sepulturæ traderet. In ipsa nocte venit presbyter nomine Exuperantius cum suis hominibus et requisivit corpora in fluvio Tiberis et duo capita. Alia autem die tertium caput invenit et univit illud ad corpora sanctorum Viriani et Faustini et Marcelliani, illorum trium virorum, quos ita sepelivit juxta locum ubi decollati sunt. Passi sunt autem beatissimi martyres Christi Justinus, Virianus, Faustinus et Marcellianus in civitate Perusina sub Decio impiissimo imperatore, Valeriano præfecto, VII Idus Augusti. Quorum orationes florent usque in hodiernum diem, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

73° Passio SS. Cyriaci sociorumque ejus (fol. 138r-140r).

Edita in *Act. SS.*, ad. d. 16 Januarii, tom. II, p. 5-9 in Actis S. Marcelli papæ et martyris.

74° Passio S. Laurentii martyris et levitæ (fol. 140r-141v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed in cod. mortuus dicitur *V Id. Augusti.*

75° Vita S. Gaugerici episcopi et confessoris (fol. 141v-142v).

Sermone et subinde etiam aliquantum rebus narratis diversa ab edita in *Act. SS.* ad d. 11 Augusti. Edenda mox in *Analectis* nostris, adjectis lectionibus variantibus ex aliis quibusdam codicibus.

Inc. Beatissimus Gaugericus episcopus, Germani oppidi Eposio castro oriundus fuit, parentibus secundum seculi dignitatem non infimis.

76° Passio S^tæ^ Susannæ virginis (fol. 142^v-143^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Februarii, tom. III, p. 61-64. — Sed in cod. ob folia ut videtur excisa abrumpitur num. 10, lin. 8 a fine, ad verba *et me ac filios meos.*

77° Sermo in Assumptione beatæ Dei genitricis Mariæ (fol. 144^r-148^r).

Inc. Hodierna festivitas Dei genitricis Mariæ dormitione toto orbi venerabilis, et angelorum et hominum communitas est. Hujus quidem quis dignus sufficiat tam inenarrabilia narrare miracula quæ per eam mirabiliter sunt patrata ?

Des. Sed placide suscipe quod amore optamus, et dignanter nos respice, et impetum nostrarum passionum cohibe et feros motus compesce, quoniam tu es veraciter Dei genitrix, o vitæ dominatrix et cunctorum domina ; ideoque te supplici prece deposcimus, orbem terræ pacifica, ecclesiæ fidem corrobora et memor bonæ consuetudinis propitiatrix semper nobis esto apud filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum salvatorem mundi, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

78° Sermo de Domina nostra sancta Maria (fol. 148^r-148^v).

Inc. Solemnem memoriam sacrosanctæ virginis Mariæ matris Dei decet filios Ecclesiæ solemni officio celebrare, quippe cum multis sanctorum concessum sit quadam speciali dignitate familiaritatis, ut quicumque eorum celebres extiterint non fraudentur ad salutem eorum patrociniis.

Des. Igitur si ad terreni regis honorem quodammodo renovatur paschalis solemnitas, dignum ac religiosum valde est ut mundi domina, gloriosa Maria, in solo sabbato honoretur solemni officio ad Filii laudem, qui diligit et honorat bonam matrem. Quid longius ? Mariæ memoriam diligentibus ab ejus Filio unico sit pax et longa salus, ipso patrante qui vivit cum Patre et Spiritu sancto, dies clarus, dies æternus, in longitudine dierum. Amen.

79° Vita S. Arnulphi Metensis episcopi (fol. 148^v-151^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Julii, tom. IV, p. 435-440. — At hæc notanda : Num. 1 om., item num. 7. Num. 8 ita in cod. inc. :

Cumque in his et aliis bonis jugiter invigilaret, forte contigit ut urbs Metensium præsule indigeret. Fit una vox populorum Arnulfum, domesticum regis et consiliarium, dignum esse episcopum acclamantium. Ille autem, quamvis multum repugnaverit, tamen tandem compulsus, quia ita placuit Deo, urbem...

Num. 9 ita:

Miracula autem aliqna de multis quæ gessit, narranda aggredimur. In contiguis... Stephani, cum vir sanctus advenisset, mulier quædam a dæmonio graviter arrepta discrimine vitæ...

Num. 15, pro *Dodiniaca, Dodiniamaca.*

Num. 35... volumen affuisset legentibus. Nunc vero pauca de pluribus dicta sufficiant.

Reliqua omm.

80° Passio S. Agapiti martyris (fol. 151r-152r).

Edita apud Mombritium, tom. I. — In cod. cornicularius non *Anastasius* sed *Attalus* vocatur.

81° Vita beatissimi Phileberti abbatis (fol. 152r-155r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Aug., tom. IV, p. 75-80.

82° Passio S. Privati martyris (fol. 155r-156r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Aug., tom. IV, pp. 439, 440.

83° Passio S. Simphoriani martyris (fol. 156r-157r).

Edita in *Act. SS.*, ad. d. 22 Aug., tom. IV, pp. 496, 497. — Sed om. in cod. quæ num. 10 uncinis continentur.

84° Passio SS. Tymothei et Apollinaris martyrum (fol. 157r-158r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Aug., tom. IV, pp. 578, 579. — Sed:

Num. 1 ita in cod.: Agente Lampadio præside in tempore Neronis facta est persecutio christianis. Lampadius præses audiens sanctum Tymotheum prædicantem et docentem populum verbum veritatis Dei, jussit eum comprehendi a ministris suis et adduci ante tribunal suum. Astante autem illo, præses dixit: Audio *(ut ibid. p. 517, num. 12, lin. 8)*... Ergo immola diis, et ego tribuam tibi divitias multas, et a piissimo imperatore pecuniam magnam accipies. Timotheus respondit: Divitiæ tuæ tecum sint in perditionem, et ibis cum ipsis in æternum ignem. Dominus meus Jesus Christus, qui Filius est Dei, ipse te judicaturus est. An nescis quid contigit Simoni mago, dæmones colens quos et tu colis, qualiter eum præcipitaverunt beatissimi apostoli Petrus et Paulus? Ita et in caput tuum sententia Dei revertetur.

Num. 2. Tunc... torqueri. Et cum torqueretur, ait ad eum præses: Dic nunc, furcifer, cur adhuc perseveras in ista superflua vanitate? Per caput Neronis juro quia data est mihi potestas occidendi et vivificandi. Tymotheus respondit: Per caput Christi juro quia tibi potestas non est data vivificandi, nisi forsan occidendi. Quos vero putas occidere... ipsi te...

Deinde post num. 5 add. quæ leguntur in eodem tomo p. 518, numm. 18 et 19 *(Ipsa nocte... Kalendas Septembris).*

Num. 7, pro *decimo Calendas,* in cod. *undecimo,* et ad finem add. quæ p. 573,

n. 3: *Eusebius-nostri Jesu Christi cui est virtus et gloria, honor et imperium in secula seculorum. Amen.*

85º Passio S. Bartholomei apostoli (fol. 158r-159v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V. p. 34-38. — Sed ob folia excisa abrumpitur in his verbis (num. 22, lin. 7): *evertisti fratrem.*

86º [De S. Bibiano episcopo et confessore Santonis in Gallia] (fol. 160r-160v).

Edita in *Act. SS.*, ad. d. 28 Aug., tom. IV. p. 462-466. — Ob folia excisa cod. incipit ab his verbis num. 8, lin. 10 a fin.: *cognoscens pedibus...*

87º Passio S. Juliani martyris (fol. 160v-161r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 173.

88º De revelatione capitis S. Johannis Baptistæ (fol. 161r-163v).

Editum in *Act. SS.*, ad d. 24 Junii, tom. IV, p. 716-718, num. 113-118 et p. 724-728, num. 144-157.

89º Relatio de inventione et translatione capitis S. Johannis Baptistæ (fol. 163v-164v).

Editum ibidem, p. 757-759, num. 254-265. — Num. 255 prima phrasis om. *(Igitur-celebrata est)*, sed ad fin. num. 256 inter *custodiendum* et *Ideo hodierna* ponuntur quædam ex initio num. 255: *Nemo autem dubitet-puellæ caput ejus.*

90º Passio Stæ Sabinæ virginis (fol. 164v-165r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Aug., tom. VI, pp. 503, 504, in Actis S. Serapiæ.

91º Vita Stæ Savinæ virginis (fol. 165r-166v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Januarii, tom. II, p. 944-946. — Num. 1 de priore conjuge Savini ita incipit cod.: Tempore antiquo erat Savinus quidam nobilis... Hic amisso... in domo suorum, et sic adolescebat... accepit conjugem unius sui civis unicam parentibus procreatam, et valde nobilem; habuitque ex ea filium et vocavit nomen ejus secundum nomen suum Savinianum. Dicitur dein in cod. accepisse alteram uxorem " de Philosophia civitate ex gente Caldeorum „ et habuisse ex ea filium, et vocasse nomen ejus " secundum nomen suum vel filii sui Saviniani; „ et post hunc genuisse filiam nomine Savinam. Initio num. 2, pro *Savinus*, in cod. *Savinianus*, ac num. 3 in objurgationibus patris ad filium, inter *domos nostras* et *Facilius*, in cod. add.: Aut non audisti dicere propositum dari a principe hujus patriæ de his qui non adorant deos suos? Melius est ut te solum disperdas... Num. 7 hæc verba: *usque in diem ab Abgaro rege* omm.

92º Passio SS. Felicis et Adaucti martyrum (fol. 166v-167r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Aug., tom. VI, pp. 546, 547, numm. 5, 6. — Sed ita in cod. incipit: *Cum fervor Diocletiani et Maximiani sanctos Dei diversis pœnis interficeret, duo fratres...* Deinde ad sacrificandum ductus est sanctus martyr secundum cod. *juxta murum urbis via hostiensi ad locum qui secundo miliario ab urbe erat.*

93° Vita S. Paulini Treverorum archiepiscopi (fol. 167r-168v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Aug., tom. VI, p. 676-679. — Sed : Num. 2 quæ uncinis continentur, omm. Num. 6 om. præter primam phrasim *(Cui-sepelivit)*. Huic autem verbo *sepelivit* hæc add. in cod. :

Hujus igitur operis parti quædam intercalamus quæ ex Tripartita ecclesiastica Historia, ad gloriam tanti patroni communemque ceteris catholicæ fidei propugnatoribus excerpsimus.

Num. 8, pro *visi doctrinam*, in cod. *nisi doctrinam*. Num. 9, post primam phrasim *(... subscripserunt nostris)* ceteris om., ita cod. :

Hæc quidem de præfata Historia sumpsisse sufficiat. Deinceps ad ejus de quo cœpimus singularis meriti coronam spectantia prosequamur.

Num. 10 om.; num. 16 *non longe ab urbe* pro *non longe ab oratorio B. Maximini*. Num. 23 ad finem hæc add. :

Anno Dominicæ Incarnationis cc° nonagesimo quinto Paulinus Trevirorum archiepiscopus ob catholicam fidem a Constantio exilio relegatur et usque ad mortem etiam ultra christianum nomen mutando exilia fatigatur; ad ultimum apud Frigiam beatæ passionis coronam percepit, et inde Treveris reportatur.

94° Vita sanctissimi Egidii abbatis (fol. 168v-170v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Sept., tom. I, p. 299-303.

95° Vita S. Justi episcopi et confessoris (fol. 170v-171r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Sept., tom. I, p. 373-376. Scilicet e Vita prolixiori numm. 3-5 (pp. 374, 375); quibus assuuntur e Vita priori numm. 3-6 (p. 373-374). — Sed in prima phrasi num. 3 Vitæ prioris hæc notanda :

Ibi ergo... nomine et merito non solum cum Helia sed etiam cum Johanne est locutus, id est fratrum cohabitantium multitudine, mellisque silvestri, hoc est secreta dulcedinis Dei pastus est. Cum primum autem illuc advenit, jam inter sanctos positus, diu se quis...

96° Passio S. Antonini martyris (fol. 171r-172v).

Edita apud Labbeum, *Nova Bibliotheca manuscriptorum*, tom. I, p. 685-689. — Sed omm. prologus et *Hoc enim ad laudem* (quæ leguntur tom. cit., p. 688, lin. 15) -*manibus angelorum sanctorum* (lin. 24).

97° Passio S. Marcelli martyris (fol. 172v-173r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Sept., tom. II, p. 196-197.

98° Vita S. Evortii episcopi (fol. 173r-175v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 7 Sept., tom. III, p. 52-58. — Sed in cod. prologus om. Num. 1, in cod. præfectus urbis dicitur *Porphirius;* num. 8 om. præter primam phrasim *(Peractis-beneficium infinitum);* num. 9 ultima phrasis om.; num. 10 init., post *intulisti* ita in cod.: *de sacerdote tuo firmiter a nobis servanda sunt; revertere in pace. Tunc jussit Anatolium præfectum;* deinde eodem num., pro *illud quod fuerit interjectum,* in cod. *illud quod fuerit majus,* et pro *lances* legitur *lanceas;* tandem sub finem post *adminiculum tribuere,* omissa phrasi interposita, sequitur: *His delegatis bullato et quia ecclesiæ triplam pecuniam dederat, quantitatem ejus sacris...* Num. 11 prima phrasis om. *(His ergo-repererit);* num. 12 om. præter finem *(Quid multa? ædificatur ecclesia...).* Num. 13 ita contrahitur: Post dedicationem autem sanctarum reliquiarum et postquam solitum est reliquias condere... præbuit. Num. 15 prima phrasis contrahitur ita ut post *parvulis* statim sequatur: Complentes vero benedictionem reliquias... collocaverunt in medio altaris sacratissimi, partem videlicet crucis; in dextera... conduntur reliquiæ. Baptizati...; eodem num. ultima phrasis *(Ne quæso...)* om. Num. 16, om. initium usque ad *plenitudine splendescebat,* et post *præfecerat sacerdotem* cetera omm.; num. 17 (sub finem) *ita citius-jurgiorum* om.; num. 18 post *antistite fructificaverunt* statim subsequitur *Dumque hæc ac talia,* omissis quæ interposita sunt. Num. 20 (ad finem) *Ego Lucifer-non pejeravi* om.

99° Incipit præfatio S. Iheronimi presbyteri ad Eustochium virginem de nativitate Stæ Mariæ virginis (fol. 175v).

Est num. 1 Epistolæ L editæ apud Migne inter opera dubia S. Hieronymi, P. L., t. XXX, p. 297, sed contractus.

100° Sermo de nativitate ejus (fol. 175v-176v).

Reliquum ejusdem epistolæ, scilicet numm. 2-11, t. cit., p. 298-305.

101° Passio S. Adriani martyris (fol. 176v-180v).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Codex tamen non paucas exhibet lectiones variantes, quas inter notandum est quomodo nomen *Loculii* (p. 8, col. 2, lin. 19 a fine) migraverit in: *loci illius.*

Eamdem Passionem sed alia versione habes in *Act. SS.*, ad d. 8 Sept., tom. III, p. 218 sqq.

102° Passio SS. Gorgonii et Dorothei martyrum (fol. 180v-181v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Sept., tom. III, p. 340-342.

103° Vita S. Corbiniani episcopi et confessoris (fol. 181v-186v).

Recens manus titulo addidit *per Aribonem episcopum.*

Edita apud Surium ad d. 8 Sept., hinc inde stylo paululum mutato et nonnullis omissis. -- Insuper et hæc sunt animadvertenda:

Ad finem cap. I add.: Quæ opera pietatis auctor non passus est latere bonitatis, sed palam innotuit cunctis quantæ apud eum hic vir futurus esset dignitatis.

Cap. III ultima pars *(Sed quid mirum...)* om.

Cap. VI, omissis duabus prioribus phrasibus, ita incipit: *Vir itaque sanctus quamvis coactus.* Item ultima phrasis om.

Cap. VIII a verbis *Sed quid mirum-Sicque factum est ut de pœnis* om.

Cap. XIII ultima pars *(Res mira et valde inaudita....)* om.

Cap. XXXIII om. præter hæc verba: *Cumque corpus sanctum plaustro impositum deportaretur, cœpit* (Cap. XXXIV) *de naribus...*

Cap. XLIII et XLIV omm.

104° De exaltatione S^tæ^ Crucis (fol. 186v-187r).

Edita est hæc narratio apud Mombritium, tom. I.

105° Incipit relatio de passione ymaginis Domini (fol. 187r-187v).

Edita inter opera spuria S. Athanasii apud Migne, P. G., tom. XXVIII, pp. 811, 812.

106° Incipit libellus Athanasii archiepiscopi Alexandrinæ urbis de passione imaginis Domini qualiter crucifixa est in Siria in urbe quæ Beritus dicitur temporibus Constantini imperatoris junioris et Hyrenæ uxoris ejus (fol. 187v-189v).

Edita ibid., p. 813-820. — Sed pro temporum notatione posita p. 820 legitur in cod.: *per annos singulos in mense septembrio, die* XIIII°, *hoc est* XVIII° *Kl. Octobris.*

107° Passio S. Cornelii papæ et martyris (fol. 189v-191r).

Videtur inedita. Vid. Append.

108° Passio S. Cypriani episcopi et martyris (fol. 191r-192v).

Diversa tam a Vita auctore S. Pontio quam ab Actis proconsularibus quæ leges in *Actis SS.*, ad d. 14 Sept., tom. IV, p. 325 sqq ac pp. 332, 333, nec non a Passione edita inter opera Pauli Diaconi apud Migne, P. L., tom. XCV, p. 725 sqq. — Vid. Append.

109° Passio S^tæ^ Eufemiæ virginis (fol. 192v-194v).

Hæc Acta græci auctoris edita sunt in *Act. SS.*, ad d. 16 Sept., t. V. p. 266 sqq. Hic autem in cod. habemus versionem compendiariam eorumdem. — Cfr. Mombritium, t. II, ac Surium ad eumdem diem.

Cod. incipit: Quinto persecutionis anno imperatoris Diocletiani in Europa, in civitate Calcidonia erat congregatio magna christianorum. In qua civitate erat quidam etiam

sophista gentilium, nomine Appellianus, acerrimus inimicus christianorum.

110° Passio SS. Luciæ et Geminiani martyrum (fol. 194v-196v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Incipit vero ita:

Imperantibus Diocletiano et Maximiano sæva persecutio... interficeretur. Erat igitur vidua quædam, nomine Lucia, permanens in viduitate per annos triginta sex.

In cod. S. Geminianus nondum conversus non *tria millia ducenta* (p. 3, col. 2, lin. 7), sed *ducenta* deorum simulacra habuisse fertur; p. 5, col. 2, lin. 26-41 *(de Elymis-lapidem)* omm.; p. 6, col. 1, lin. 21, pro *Idus Septembris,* cod. *idus Decembris;* quæ leguntur a lin. 33-43 (*et fugit-potati essent)* omm.; item quæ eadem pagina col. 2, a lin. 17-25 *(Et ecce angeli-abscedit).*

111° Passio S. Lamberti episcopi et martyris (fol. 197r-201v).

Passio auctore Sigeberto Gemblacensi, edita in *Act. SS.,* ad d. 17 Sept., tom. V, p. 589-601. — Hæc vero sunt notanda:

Num. 1, *et bonis ac religiosis parentibus-baptismate filius* om.; post *illustrabant de proximo* add.: Is pater scilicet, Aper nomine dictus, in palatio regis inter illustres viros dignitate nobilitatis excellebat. Matrem... Herisplendem. Dein *Pater vero-primos excellebat* om.

Num. 2 inc.: Regebat autem regnum Francorum filius mediani Lotharii, Dagobertus, qui regnum Austrasiæ filio...

Num. 3, post *Martino papa Romanorum* add.: quia sanctitate, ut dictum est, et scientia præminebat,; post *militabat* add.: sub prædicto episcopo; dein *Requievit-in mundo* om.

Num. 4, post *dulcedinem indidit* add.: qui etiam aquas de petra produxit.

Num. 5, *Renovatur-sanctificaverunt* om.

Num. 6, *Jussus-materialem superaverit* om.

Num. 7, *Hic videor-successor fieri* om.

Numm. 8 ac 9 omm.

Num. 11, *Talis apparuit-patrum suorum* om.

Num. 12, *Quam unanimis-princeps super nos* om.

Num. 14, *Erant quippe-Meldensis* om.

Numm. 15 et 16 omm.

Num. 18, post *pravorum factioni* add.: zelo ductus invidiæ et primores populi data pecunia ad odium Lamberti concitasse.

Num. 19, *Habebat sane vir-committens* om.

Num. 20, *Quale rogo-annorum quantitate* om.

Num. 21, *Re vera-in causam meam* om.

Num. 22, post *crucem adivit,* ceteris omm., ita cod.: Ibique psalmis et hymnis intentus immobilis pernoctavit. Crux hæc lapidea erat, inter oratorium et

dormitorium ad hoc statuta ut respectu ipsius crucis hi qui erant Christi carnem suam crucifigerent cum vitiis et concupiscentiis et, si quando graviusculis delinquerent excessibus, ad hanc addicti regulariter pœniterent.

Num. 23, *Lantbertus-immobilis* om.

Num. 24, *Egregius vero præsul-haberis* om.

Num. 25, *Punito divinitus-in regnum* om.

Num. 26, *Et merito-pulchritudo* om.; pro *qualiter omnes-discernit* ita cod.: Quantum clerici et monachi, quantum advenæ et peregrini, quantum senes et pueri, quantum juvenes et virgines in sua unusquisque causa fuerint jocundati, cujuslibet etiam diserti non sufficeret promere lingua, si vellet currere per singula.; dein *Et ut David-se extendebat* om.

Num. 27, pro *Illi cum fremerent-futurus sis* ita cod.: Nunc verbi dulcedine eos mulcebat, ut ad viam veritatis errantes adduceret; nunc ultro ingerens se bello templa et simulacra gentilium destruebat, ut quavis occasione fremitus eorum compesceret. Illi vero ut barbari fremebant et eum ut bestiæ ferocissimæ discerpere cupiebant.

Numm. 28-31 omm.

Num. 32, *His et talibus-odorem* om.; post *Christi confirmari* pergit cod.: Ita bellator Christi paulatim abolens ab eorum cordibus barbariem gentilitatis, inescabat eos ad mansuetudinem christianitatis et idolatriæ removens fœtorem spargebat ubique bonum Christi odorem. Nec ante destitit...

Num. 35, *Et hæc quidem-exuberant dona* om.

Num. 37, *Et quid mirum-fidem fecisse* om.

Num. 39, Inter *Lantbertus* et *oportune* inserit cod.: solus zelo zelatus pro domo Domini; *et quorum imitabatur-vendidisset* om.

Num. 40, *Joannem Herodes-rabiem* om.; item *Helias in cœlum-calicem Domini* om.

Num. 46, *Audite rem mirabilem-indicem* om.; pro *Constat quibusdam-sancti pontificis* ita cod.: Hos qui hoc videre meruerunt credo quod Dodonem magis ex debito stipendii et spe pactæ mercedis et ad augendum militum numerum quam ex studio persequendi innocentes et aviditate fundendi sanguinis prosecuti sunt.

Num. 48 om.

Num. 49, *vestra Jesu peccata-vivere* om.

Num. 62, *Post decessum-abstulissent* om.

Num. 63, *quam licet pro simplicitate-litteris scripsit* om.; item hæc ultima verba: *in regem promotum*, om.

112° Passio S. Ferreoli martyris (fol. 201r-202r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Sept., tom. V, pp. 764, 765.

113° Passio S. Januarii episcopi et martyris sociorumque ejus (fol. 202r-203v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Sept., tom. VI, p. 866-868. In cod. ipsi Passioni adjuncta

est appendix edita tom. cit., pp. 869, 870. — Sed num. 1 hujus append. post *juxta Neapolim* sic pergit cod :

Posuerunt in basilicam ubi per longa annorum curricula requievit. Postea Sico, Longobardorum dux et princeps, ex eadem basilica corpus ejus auferens, cum magno honore Beneventum adduxit et in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ, ubi episcopatus illius sedes fuit aliquando, collocavit. Qui præstante... in basilica ubi per tempora longa requievit. Cujus postea corpus Sycardus, Longobardorum dux et princeps, Beneventum perduxit, atque in basilica prædictæ Dei genitricis locavit die VIII° Kalendarum Octobris. Puteolani autem sanctum Proculum diaconem et sanctum Euthicem et sanctum Acuthium sustulerunt... Desiderium cives sui Beneventum tulerunt. Ut autem mirabilia Dei quæ Dominus fecit in sanctis suis audiatis per ordinem narrabo.

Num. 4, post *habere filios* ita cod.:

Horum autem corpora ex eadem basilica præfatus Sico dux et princeps auferens, juxta beati Januarii episcopi corpus cum magno honore locavit. Sancti igitur martyres divino auxilio civitatibus suis patronatum gerentes...

Tandem finis hujus num. *(Passus est...)* om.

114° Miracula ejusdem (fol. 203v-204v).

Homilia edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Sept., tom. VI, p. 884-887. — Sed in cod. omm. numm. 10, 12, 13, 14.

115° De translatione S. Januarii episcopi et martyris (fol. 204v-205r).

Editum ibid., p. 888-890.

116° Passio S. Mathei apostoli et evangelistæ (fol. 205v-208r).

Edita apud Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti* (Hamburgi 1719) Part. I, p. 636-668. — Subinde quædam in cod. Brux. addita sunt aut omissa. Insuper Passioni præponitur hic prologus :

Quoniam Deo cura est de hominibus et plus animarum eorum curam gerit quam corporum, ex immensitate ejus misericordiæ manifestissime comprobatur. Plerumque etenim accidit ut lætitia corporalis, cum sit temporalis et in lubrico posita et magis quasi desinendo incipiat quam manendo, æternam animæ tribulationem infligat. Ex ipsa enim peccata universa nascuntur. Et ideo dixi Dominum Deum nostrum plus animarum curam gerere quam corporum, dum ex aliquo casu nata tristitia temporalis *(intelligendum forsan*

temporales) quæ in corporibus sunt molestias permittit immorari, quoniam ex ipsis æterna gaudia oriuntur. Cura ergo, ut inchoavimus loqui, Deo nostro de hominibus magna est, ut majoribus morbis majora genera medicinæ procuret.

Omissa dein priore parte § I, incipit: Erant itaque duo magi...; ad finem adduntur hæc:

Zarohes autem et Arphazat, illi duo magi, ab ea hora qua beatus Matheus apostolus in nomine Domini nostri Jesu Christi suscitavit filium regis, fugientes ab Ethiopia in Persidem devoluti sunt. Sed, sicut præfati sumus, quia Deo cura est de hominibus et homo est carus Deo, si se ipse vilem non faciat, missi sunt ad Persidem sancti duo apostoli, Judas Zelotes et Symon Chananeus. Qui qualiter cum eis conflixerint in Dei nomine, Passionis eorum libellus ostendit.

117° Passio SS. martyrum Mauricii sociorumque ejus (fol. 208v-210r).

Edita apud Surium ad d. 22 Sept., — Prætermissa est in initio epistola Eucharii Lugdunensis et in fine quædam inversa sunt ut in cod. Bruxellensi 64 (supra p. 16).

118° Vita S. Sollempnis episcopi et confessoris (fol. 210r-211r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Sept., p. 68-70. — Sed quædam in codice reperiuntur lectiones admodum variantes, fere ut in apographo S. Maximini Trevirensis de quo sæpius inter Annotata in *Act. SS.*, l. c.

119° Passio Stæ Teclæ virginis (fol. 211r-213v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

120° Vita et passio S. Firmini episcopi et martyris (fol. 213v-215v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Sept., tom. VII, p. 51-55. — Sed incipit prout legis in Annotato *c* (tom. cit., p. 52); item habet lectiones Ann. *o* et *p* (p. 53). Loco num. 17 leguntur in cod. ea quæ habes t. c. in Ann. *w* (p. 56). Num. 18 ita in cod.:

Faustinianus vero quem... linteaminibus condidit. In quo loco multas et innumerabiles usque in hodiernum diem virtutes Dominus operatur. Cui est gloria, virtus et potestas per infinita secula seculorum.

Et tunc adduntur quæ leguntur Ann. *z* (p. 56).

121° De translatione S. Castoris confessoris (fol. 215v).

Editum in *Analect. Boll.*, tom. I, pp. 118, 119.

122° Relatio de inventione reliquiarum S. Celsi confessoris (fol. 216r-217v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Feb., tom. III, p. 397-400, num. 5-24.

123° Miracula S. Celsi confessoris (fol. 217^{v}-220^{r}).

Edita ibid., p. 400-404. — Num. 15 om.

124° Vita S^{tæ} Adeheydis virginis (fol. 220^{r}-223^{v}).

Edita in *Act SS.*, ad d. 5 Feb., tom. I, p. 714-721. — Legitur in cod. alter Prologus ad sacras virgines, qui desideratur in *Act. SS.* Hunc edidimus in *Analect. Boll.*, tom. II, pp. 211, 212.

125° Vita S^{tæ} Burgundoforæ virginis (fol. 223^{v}-227^{r}).

Vita auctore Jona, abbate Elnonensi, edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 1069-1084. — Num. 9, pro *Demechildis*, cod. *Deurichildis ;* num. 12, pro *Willesinda*, cod. *Quillesinda ;* num. 18, pro *Landeberga*, cod. *Landoberta ;* num. 19, pro *Burgundofora pontifexque Meldensis*, cod. *Burgundoforus pontifex Meldensis ;* num. 21 (ad fin.) ita cod. :

> Finem vitæ ejus expectarent. Sed postea quantisper convalescens diu febris correptione vitam finivit.

Num. 22 om.

126° [Vita S. Bertulphi abbatis] (fol. 227^{r}-228^{v}).

Vita auctore Jona, partim edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Aug., tom. III, p. 752-753. Hic vero amplius duplo prolixior, addita scilicet appendice de Blidulpho, Meroveo, Agibodo et aliis monachis Bobiensibus ejusdem temporis. Sed omnia edita sunt apud Mabillonium, *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 160 sqq., et apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 1061-1070.

127° Vita S^{tæ} Euphrasiæ virginis (fol. 228^{v}-232^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 265-274.

128° Vita S. Roberti Wormacensis episcopi (fol. 232^{v}-233^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Martii, tom. III, p. 702-704. — Num. 1 om.

129° Passio SS. Rufini et Valerii martyrum (fol. 233^{v}-234^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Junii, tom. II, pp. 796, 797.

130° Passio S^{tæ} Symphorosæ et septem filiorum ejus (fol. 234^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Julii, tom. IV, pp. 358, 359. — Codex adjecta habet quæ notantur ibidem, p. 355 (numm. 22 et 24).

131° Passio SS. Sysinnii, Martyrii et Alexandri (fol. 234^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Maii, tom. VII, pp. 40, 41. — Num. 1, pro *Anaunia*, cod. *Anagnia ;* et pro *Metho*, cod. *Mecho*.

132° Passio SS. Gethulii et Cerealis martyrum (fol. 235^{r}-235^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Junii, tom. II, pp. 265, 266. — Sed incipit :

Tempore Adriani imperatoris erat quidam doctissimus...

Deinde quædam phrases seu phrasium membra hinc inde omm.

133° Passio S. Sperati et sociorum ejus (fol. 235^{v}).

Passio haud absimilis illi quæ ex codice Ecclesiæ Toletanæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 17 Julii, tom. IV, p. 215, sed styli simplicitate narratio cod. Brux. magis accedit ad Acta proconsularia edita tom. cit., p. 214.

> *Incipit:* Residentibus Saturnino et Claudiano consulibus XVI Kl. Augusti Carthagine in secretario et impositis Sperato, Nartado, Citino, Donata, Secunda et Bestia, Saturninus proconsul dixit: Potestis.

Ex actis proconsularibus Saturninus martyres et hæc interrogavit: " Qui sunt libri quos adoratis legentes? „ ex cod. vero hoc ita interrogatum est:

> Quæ res sunt in capsa vestra? Speratus respondit: Venerandi libri legis divinæ et epistolæ Pauli apostoli, viri justi.

134° Vita S^{tæ} Verenæ virginis (fol. 235^{v}-237^{r}).

Edita in *Act SS.*, ad d. 1 Sept., tom. I, p. 164-167. — Sed:

Num. 1 altera pars *(Hæc fratres-sanctitate)* om.

Num. 2, cod. habet *ut ferunt* secundum Ann. *a* (tom. cit. p. 166); eodem num., post *describebatur,* ita cod.:

> Quo tempore illa beatissima virgo thebea jam Mauricii præelecta tenebatur. Cui virgo Christi ad Italiam venire desiderans...

Num. 6 ultima pars *(Crescente-Jesu Christo)* om.

Num. 7, pro *ubi confluunt ante nominata flumina,* cod.: *ubi confluunt Rhenus et Mosella.* Eodem num. deinde sub finem omm. hæc verba: *et omnis homo-detentus est.*

Denique num. 12 om. cum initio num. 13 *(Nunc nos libet-seculum reliquit).*

Appendix ad cod. 98-100.

DE S. NAZARIO. (Cfr. supra, pag. 24, 5°.)

Incipit passio Nazarii discipuli sancti Petri apostoli.

1. Nazarius genitus patre nomine Affricano, et genere et patria afro, matre vero nomine Perpetua, cive romana, baptizata scilicet per manus Petri apostoli, Simone jam devicto. Cum autem esset annorum novem, beatus Nazarius oravit ad Dominum, dicens: *Religionem matris meæ et baptismum beati Petri apostoli demonstra mihi, Deus, ut agnoscam recte justificationes ejus.* Annuit autem Deus

orationi Nazarii et Spiritus sanctus adhæsit ei, et anima matris ejus exultavit super eum. Affricanus autem, pater ejus, dicebat intra semetipsum: *Hic puer poterit in urbe Roma implere ministerium religionis meæ.* Puer vero studebat diligenter litteris. Et veniens Affricanus post aliquot tempus vidensque filium suum summe proficere in studio litterarum, cum gaudio dixit ei: *Nazari, tibi tradam ministerium religionis meæ, et servabis illud in secula, et nominabitur filius Affricani gloriosus apud urbem Romam.* Subridens autem beatus Nazarius, dixit patri suo: *Salvus sum, si audieris me pater, et quod te rogo volo ut facias. Deum enim colens debes omnino sapiens esse. Nullus hominum cognoscit cœlorum signa, et cursum solis et lunæ ordinem, et omnia quæ sub cœlo sunt, nisi qui fecit ea priusquam fieret homo. Ipse est Deus qui fecit te, patrem meum, et matrem meam. Ipse mihi ostendat quæ sunt justa et viam suam, quomodo oporteat me ingredi et egredi coram ipso. Si vero es tanquam Dei cultor et curam de filio tuo habes, concede mihi accipere baptismum beati Petri apostoli, in quo baptizata est [mater] mea.* Hoc audito, Affricanus pater ejus cum tristitia dixit ei: *Fili Nazari, in omni dignitate mea contendo ut vivas mihi annis multis et Deum colas meo more, et excites mihi semen de uxore quam dabo tibi cum coronis et choris, cum gaudio totius Romæ: et tu dicis mihi ut discas baptismum Petri propter quod occisus est.*

2. Tunc accedens beatus Nazarius ad successorem beati Petri apostoli, nomine Linum, qui egit episcopatum annis XII, dixitque ei: *Dona mihi in Domino signaculum, et sic proficiscar in nomine Domini ex hac urbe in aliam provinciam.* Sanctus autem Linus baptizavit eum, et confirmatum dimisit eum. Audientes autem parentes ejus, timuerunt valde, quoniam grandis malitia succensa erat contra Nazarium. Dixit autem parentibus suis sanctus Nazarius: *Date mihi de hereditate bonorum vestrorum partem aliquam, et egrediar de civitate hac, ne me interficiant, et vos tribulemini.* Et gavisi sunt parentes ejus, et dederunt ei septem onera animalium ex omnibus bonis suis. Et egressus est beatus Nazarius gaudens ab urbe Roma, et iter agens longo tempore per singulas civitates prædicavit baptismum regni æterni, et in nomine sanctæ Trinitatis faciens eleemosynas. Post annos autem decem ingressus est beatus Nazarius Placentiam civitatem, docens omnem populum baptizari. Post dies vero aliquos pervenit Mediolanum et invenit in custodia retineri beatos Prothasium et Gervasium ab Anolino principe, qui etiam virtutes multas faciebant in carcere. Quibus beatus Nazarius factus est socius, et confortans eos dicebat: *Viriliter agite et confortate corda vestra, ut digni inveniamini in conspectu gloriæ Dei.* Audiens hæc Anolinus, jussit vocari Nazarium, dixitque ei: *Nazari, deos quos non colis ne vituperes.* Et jussit eum projici foris civitatem. Nocte autem ipsa mortua fuerat mater sancti Nazarii. Cui dixit in somnis: *Fili, exi hinc et salvare in civitatibus Galliarum.*

3. Egressus autem beatus Nazarius a Mediolanensi urbe, pervenit in civitatem Galliæ quæ dicitur Cimellus, ubi sedens docebat baptismum Christi. Ubi erat mulier prima civitatis quæ volutans se ad pedes beati Nazarii, tradidit filium suum parvulum, nomine Celsum, et dixit ei: *Hic puer sequatur vestigia tua et baptizetur.* Suscipiens vero beatus Nazarius puerum, baptizavit eum et profectus est. Audiens

Denovaus, præses Galliarum, quod beatus Nazarius multa contra deos eorum ageret, missa apparitione jussit eum adduci in conspectu suo. Cui et dixit: *Quis es tu vel cujus generis aut ex qua civitate?* Beatus Nazarius respondit: *Ego sum servus Dei; de civitate autem Roma, ubi beatus Petrus apostolus pro Christo passus est; civis sum Genuensis; confiteor Jesum Christum crucifixum.* Denovaus præses dixit: *Dæmonium habes.* Sanctus Nazarius respondit: *Ego dæmonium non habeo, quia non colo eos dæmones quos vos dicitis deos.* Indignatus Denovas jussit eum recludi in carcerem. Alia vero die Denovatus jussit adduci beatum Nazarium, et dixit ei: *Exi hinc cum puero, et alibi morare.*

4. Sanctus autem Nazarius exiens inde, venit in civitatem quæ dicitur Treveris, et prædicabat Jesum Christum crucifixum. Cornelius autem præerat civitatibus Galliarum, et hæc audiens scripsit Neroni, imperatori suo: " Neroni consuli et venerabili cæsari Cornelius salutem. Apparuit nobis homo, nomine Nazarius, in civitate, prædicans Jesum Christum crucifixum a Pilato, et murmurans contra deos quos decrevistis omnes viventes exorare debere. Bene valete. „ Nero autem imperator repletus furore magno, vocavit Dentonem, primum militem suum, et dixit ei: *Cum omni festinatione percurre provinciam Galliam cum multis militibus, inquirens hominem nomine Nazarium cum puero parvulo, murmurantes in maledictis contra deos.* Dento autem accipiens litteras et idoneos milites et inquirens beatum Nazarium, invenit in civitate quæ dicitur Ebreduno, ubi oratorium Domino consecravit. Quem interrogans Dento dixit: *Tu es Nazarius?* Sanctus Nazarius respondit: *Ego sum servus Christi.* At illi festinaverunt ligare manus ejus. Et dixit ei Dento: *Magnus Nero te vocat. Nam nos jussi ad te venimus.* Et dixit ei beatus Nazarius: *Incompositus judex incompositos habet milites. Quarea utem non dixisti: Nero te vocat?* Puer vero Celsus plorans sequebatur; quem milites cædentes conturbabant eum.

5. Agentes vero iter pervenerunt ad Neronem. Et sedente eo in curru suo, rogavit eum Dento dicens: *Oro te, o cæsar, ego sum servus tuus Dento, et hic est Nazarius et puer, inimici deorum.* Et jussit Nero illi dari talentum auri. Beatus vero Nazarius militibus dicebat: *Meus rex servis suis fidelibus vitam immortalem præstat; vester autem rex mortem et tenebras vobis præstat.* Et cædentes milites os ejus, recluserunt eos in carcerem. Alia vero die maturans imperator Nero venit ad portum maris, ubi erat multitudo navium, et jussit venire Nazarium et dixit ei: *Exi hinc de civitatibus et de terra mea.* Et vocavit nauclerum et dixit ei: *Tolle hunc in navi, et ligatis manibus et pedibus mitte eum in mare. Accipiat eum profundum maris, et demergant eum fluctus barathri. Et si salvus egressus fuerit in locum quempiam, incendite eum igni, et cineres in mare mittite, ne surgens adhuc majora damna nobis faciat; et renuntiate mihi, et dabo vobis bona hujus mundi et honorabo vos et eritis gloriosi in diis.* Et levantes nautæ in navim beatum Nazarium navigaverunt. Beatus autem Nazarius gratias agens Deo, texit faciem suam et pueri et obdormivit. Nautæ vero projecerunt eos in mare et nubes mox suscepit eos. Et factum est circa navim tenebrosum mare. Angelus autem Domini descendit ad beatum Nazarium et ostendit ei testamentum Domini in mare. Et suscitavit spiri-

tum stridentem ex inferioribus abyssi, et facta est tempestas magna circa navem, et timuerunt nautæ, dicentes: *Peccavimus coram Deo Nazarii, ideoque perimus.* Navigantes vero stadia fere quinquaginta, cum jam demergerentur, viderunt beatum Nazarium super mare ambulantem cum puero, et exclamaverunt nautæ omnes, una voce dicentes: *Serve Dei, salva nos per Dominum qui te salvavit, et credimus ei et adducemus navem in quemcumque portum volueris.* Respondit et dixit eis: *Creditis quia Deus meus potest liberare vos?* Et dixerunt nautæ: *Nos quando exclamavimus invocantes Deum tuum, credidimus quia potest Deus tuus liberare nos.* Et accedens beatus Nazarius dixit nautis: *Custodite vos a doctrina dæmoniorum Neronis.* Tunc cathezizavit eos in fide Christi et navigare cœperunt. Et factum est mare pacificum. Et iter agentes venerunt ad ripam, et deposuerunt sanctum Nazarium in locum a Genuense urbe passus fere sexcentos, ubi pro ipsorum meritis orationes et vota solvuntur, et vocatur locus *ad sanctum Peregrinum.*

6. Deinde egressi a civitate Genuense, perrexerunt Mediolanum, ubi requisivit in carcere quos reliquerat sanctos Dei Prothasium et Gervasium, et invenit eos. Quibus adhærens confortabat eos. Audiens hæc Anolinus qui eum jam ex urbe Mediolanensi expulerat, quod hæc faceret beatus Nazarius, repletus indignatione dixit militibus suis: *Quomodo effugit manus Neronis homo iste?* Et jussit eum in alium carcerem mitti. Et misit munera et præmia ad Neronem imperatorem, et scripsit ei: " Neroni cæsari, imperatori et consuli piissimo in omnibus diis nostris, Anolinus, servus tuus, salutem. Virum qui dicitur Nazarius, invenimus fugientem potestatem tuam et seditionibus perturbantem civitatem nostram et pervertentem alios quos jamdudum in carcere retinebam, expectans jussa tuæ magnitudinis qualiter eos de terra perdam. Ut et diis gloria tua permaneat salva. „ Accipiens vero epistolam Nero exilivit de sede sua, dicens: *Adhuc vivit deorum nostrorum adversarius?* Et quærebat occidere nautas, et non inveniebat eos. Et scripsit Anolino, dicens: " Incide colla eorum et da avibus carnes eorum. „ Non post multos vero dies jussit Anolinus decollari beatum Nazarium cum puero Celso. Et observantes christiani furati sunt pretiosa corpora eorum, et tulerunt ea V^{to} Kl. Augusti foris portam quæ dicitur Romana, in propriis hortis.

7. Et in ipsa nocte visi sunt sancti cuidam, Ceratio nomine, qui susceperat eos, et dixerunt ei: *Magnum sit gaudium in domo tua. Altitudine magna absconde nos in terram propter Neronem, et ne dixeris amicis tuis quod apud te absconderis nos.* Tunc rogavit eos Ceratius dicens: *Rogo vos, domini mei, servi Christi, salvate unicam filiam meam, quia paralytica est.* Dicunt ei sancti: *Qui exultare facit animas nostras cum omnibus sanctis, dabit tibi quod petisti, quia tua filia salvata est.* Et volens eam offerre sanctis, confestim invenit eam sanam. Et sancti a gloria Dei absconditi facti sunt. Ceratius autem cum festinatione nuntiavit uxori suæ, Fortunatæ nomine, et fecerunt omnia sicut præceperat eis sanctus Nazarius, et adoraverunt sanctos cum filia sua et omnis domus eorum, dicentes: *Deus sanctorum qui propter nomen tuum posuerunt animas suas, salva nos in secula. Benedicimus te, quia videmus et habemus, Christe, vere sanctos tuos et discipulos apostoli tui beati Petri.*

8. Consequens vero quidam philosophus sancto Nazario ab initio scripsit libellum certaminis hujus, et conservans apud se fideliter retinebat. Exterritus autem in somnis a sanctis, dedit illum Ceratio qui pretiosa corpora sanctorum sepelierat. Et dixerunt Ceratio sancti: *Absconde libellum certaminis nostri ad caput nostrum usque in diem quo Dominus voluerit demonstrare nos.* Et accipiens libellum cum festinatione posuit eum ad caput sanctorum martyrum. Constituti sunt autem sancti martyres in civitate Mediolanensi foris portam Romanam in loco qui dicitur *Tres muros.* Ipso autem in tempore vindictam fecit Dominus sanctorum suorum, et exsiccatus est pes dexter Neronis et mortuus est. Denovaus autem et Anolinus strangulati a diabolo mortui sunt. Quando vero beneplacitum est Deo, qui est gloriosus in sanctis suis, revelavit eos in novissimo tempore Ambrosio, Mediolanensi episcopo et confessori, imperante piæ memoriæ Theodosio imperatore. Qui cum omni populo accedens ad locum quem divina gratia ostenderat ei et requirens, invenit sanctos martyres velut thesauros absconditos. Quibus intercedentibus cum multitudine inenarrabili et canticis angelicis in civitate signa fecit Dominus Jesus Christus in gloria sanctorum martyrum suorum ac si ejus præsentia efficerentur quæ facta sunt. Cæci enim post multos annos receperunt lumen, claudi ambulaverunt, dæmonia quicumque a nativitate sua habuerunt, mundati sunt confestim in virtute et gratia Domini nostri Jesu Christi: ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

DE S. VITO MARTYRE. (Cfr. supra, pag. 24, 7°.)

Incipit passio sancti Viti martyris.

1. Inclitam et a seculis præelectissimi meriti coronam tam liliis integritatis albescentem quam rosa martyrii rutilantem ter quaterque beati pueri Viti, libet, fratres, carptim stilo qualicumque connectere, quatinus, inter jocundissimam ejusdem animæ, veræ Sion pulcherrimæ filiæ speculationem, etiam quibus vel qualibus instrumentis tantus cuderetur ornatus paucis advertentes et in parte totum capientes, sanctimoniam ejus, quam tantopere nimirum ardetis, quo strictius apprehendere eo tenacius in armariolo cordis includere ac præsentius valeatis circumferre. Exigunt hoc debitum tanta quæ reditus annuus * indixit solemnia; sitit hunc haustum divinitus æstuans immensa caritas vestra.

* *cod.* annuis

2. Ortus est idem omni mundano splendidior jubare Vitus Lucanus in Lucania provincia nobilibus sed paganis parentibus, vixque septennium implens a Deo semet electum fide monstrabat et operibus. Quem pater, Hilas nomine, zelans præsidi provinciæ Valeriano præsentavit; qui etiam illum ad immolandum simulacris compellens nec prævalens, manum interea perdidit, sed oratione martyris mox sanam recepit. Brachia nihilominus tortoribus aruerunt, quæ statim ipsius merita restauraverunt. Videns autem pater quia tormenta irrisit, domum reducens cubiculo illum deliciis affluente reclusit. Ibi cum arcana quædam idem Hilas con-

spiceret, cæcus efficitur et coactus idolis renuntiat ac Christum confitetur; sicque illuminatus per merita filii, Christum denuo negavit, et Vitum interficere quæsivit. Monitu angelico atque ductu, Modestus, jam grandævus pædagogus, cum puero trans mare navigat et ad Siler fluvium una cum nutrice * ejus, nomine Crescentia, pervenientes, ibi sub arbore quadam vacant orationibus, aquilis victum quotidianum divinitus ministrantibus. Populis visitantibus eum puer prædicat Christum; plures convertit, plures baptismum suscipere fecit. Commendabat namque Christus virtutum ac signorum efficacia quidquid in ætate despiciebatur immatura.

* *cod.* nutrici

3. Post hæc a Diocletiano cæsare vocatus, Romam proficiscitur. Cujus et filium a dæmonio purgans, thura diis offerre cogitur. Quod respuens * bestiis objicitur nec læditur; deinde in clibanum ardentem jactatus angelo flammas sedante sanus egreditur. Ingenti vinculorum ferro oneratus carceri traditur, ubi a Domino et angelorum multitudine laudem Deo canentium visitatur. In illa autem hora crediderunt in Christum quasi mille homines. Diocletianus imperator dixit: *Vite, multi hæc tua gesta videntes, credunt artibus tuis, quibus igni et feris imperas.* Sanctus Vitus respondit: *Ignis et feræ non artibus imperantur, sed quia creaturæ sunt, creatori suo reddunt honorem, Domino meo Jesu Christo. Unde tu plus confundi potes, quia quod res insensibiles et bestiæ irrationabiles faciunt, tu qui rationabilis es creatus, irrationabilibus es deterior.* Tunc Diocletianus jussit ministris ut beatum Vitum una cum sancto Modesto, papate suo, et Crescentia, quæ prædicatione beati Viti Christo credidit, in catasta extenderent. Sanctus Vitus dixit imperatori: *Ridiculosam et imbecillem ostendis * virtutem tuam, quia mulierem torquere jubes.* Torquebantur autem in catasta sancti Dei, ita ut dissiparentur ossa eorum atque viscera apparerent. Et in hac tortura clamavit ad Dominum sanctus Vitus, dicens: *Domine Deus, salvos nos fac, et in virtute tua libera nos.* Et statim terræ motus factus est magnus et coruscationes terribiles, et ceciderunt templa deorum et magna pars populi mortua est. Imperator quoque cum festinatione territus fugiens percutiebat frontem suam manu, cum ingenti clamore dicens: *Væ mihi, quia a tantillo infantulo turpiter superatus sum.*

* *cod.* respiciens

* *cod.* ostende

4. Descendit autem angelus Domini et elevavit eos de catasta, et subito inventi sunt juxta fluvium qui dicitur Siler et requieverunt sub arbore, invocante sancto Vito Dominum et dicente: *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, perfice desiderium cordis eorum qui in tuo sancto nomine volunt gloriari de passione martyrii mei. Custodi illos, Domine, ab omnibus periculis hujus seculi, et perduc eos ad gratiam et gloriam magnificentiæ tuæ. Et per dies quatuor natalis mei musca non appareat, quæ imago est dæmonum, in hoc loco martyrii mei.* Et cum complesset sanctus Vitus orationem, facta est vox de cœlo dicens ad eum: *Vite, exauditæ sunt orationes tuæ.* Et his dictis, beatæ sanctorum animæ sacris egressæ corporibus in similitudine columbarum nive candidiores, comitantibus eis angelorum psallentium choris cœlum cum gaudio petierunt.

5. Per triduum autem superno munere aquilæ custodierunt corpora eorum. Tertia vero die dum Florentia quædam, illustris femina, secus locum gestaretur in basterna ab equis super ripam fluminis Siler, subito exsilientibus eisdem equis

quasi pavore quolibet territis, rapta est modo mirabili in medium fluminis. Et cum cœpisset mergi, apparuit ei sanctus Vitus ambulans super aquas. Ad quem Florentia ingenti clamore dixit : *Si angelus Dei es, libera me.* Cui beatus Vitus respondit: *Ego sum Vitus, a Domino, salutis humanæ auctore et provisore, transmissus ut liberem te, quo sepelias corpora nostra. Et quæcumque in nomine Salvatoris cum orationibus nostris petieris, impetrabis.* Et hoc ordine ab impetu fluminis erepta Florentia collegit corpora sanctorum, et aromatibus condiens sepelivit ea in eodem loco qui dicitur *Marianus*, ubi requieverunt, regnante unigenito Dei Filio, Domino Jesu Christo, cum Patre et Spiritu sancto, salvatore cunctorum, per cuncta et infinita secula seculorum. Amen.

DE EODEM S. VITO. (Cfr. supra, pag. 24, 8°.)

De translatione sancti Viti martyris.

Qualiter autem vel quo tempore ejusdem pretiosissimi martyris Christi corpus in Saxoniam translatum sit et in monasterio quod Corbeia Nova dicitur collocatum, is qui de translatione ejus inscribitur libellus intimat, juxta quod ipse scriptor partim se præsente, totum autem suis temporibus testatur perpetratum.

Anno quippe Dominicæ incarnationis octingentesimo XXXVI, indictione XIIII, sacratissimi vero Luodewici imperatoris XXIII imperii anno, Warinus, abbas monasterii Corbeiensis Novi, expetivit a viro religioso Hildewino, abbate monasterii sancti Dionysii quod est in pago Parisiaco, ut de sanctorum martyrum corporibus quæ apud se loco eodem recondebantur aliquid ei tribueret, ad confirmandam scilicet fidem gentis suæ quam nuper industria gloriosissimi imperatoris Karoli sub jugo Christi inflexisset. Quam petitionem idem Hildewicus, cum licentia piissimi imperatoris Ludewici, consensu etiam episcopi Parisiaci ceterorumque nobilium virorum in eadem diocesi commorantium, libenter annuit, atque sæpedicti pueri et martyris Christi Viti Lucani corpus in ecclesia sancti Dionysii coram innumerabili multitudine tam monachorum quam canonicorum diversæque conditionis et ætatis virorum ac mulierum, post peracta die dominico missarum solemnia, XIIII Kl. April. commendatum summo cum honore tradidit.

A temporibus etenim Pippini, regis Francorum, usque ad illam diem idem pretiosissimum Christi martyris Viti corpus ipso in pago multis semper insigne miraculis manserat, ex quo illud videlicet quidam Folradus, abbas monasterii sancti Dionysii, Romam consensu regis profectus, a loco quo positum erat in Francia transtulerat. Quod inde ordine digesto susceptum Warinus cum suis veneratione dignissima deducens, cum copiosa comitantium turba Saxoniæ finibus tandem invexit, et Idus Junii Corbeiam Novam perveniens, eamdem spem salutemque patriæ totius, etiam Saxoniæ specialem patronum, ibidem cum inæstimabili populorum tripudio deposuit. Quot quantasve sanitates per itineris ejusdem XX scilicet stationes Salvatoris clementia concesserit, quadragenarium quippe numerum

excedunt, in propatulo est legere, non vacat in præsenti replicare, præsertim cum eisdem semper præsentia Christi miracula reliquiis fidem præstare prævaleant plus litteris. Ex hoc, ut in gestis Saxonicis legitur, sub tanti defensione advocati res Saxonum crescere incipiebant, donec dilatatæ jam ipsa sui magnitudine laborant. Unde non solum in Saxoniæ sed et in cunctis pene Europæ finibus ecclesiis quampluribus ipsius nomini constructis et consecratis, ejus fidele patrocinium ab universis imploratur, quantique apud Deum sit miraculis declaratur. Qui nos sui nominis indignos præcones utinam non despiciat; verum suæ venerationis servitiis inhærentes placabili de supernis vultu prospiciat. *(Cetera, utpote parænetica, transmittimus.)*

DE S. AVITO ABBATE IN GALLIA. (Cfr. supra, pag. 24, 9°.)

Incipit vita sancti Aviti presbyteri.

1. Avitus infra Aurelianorum mœnia plebeio sanguine cretus, exiguis parentibus ortus est. Virdonensis namque oppidi genitrix oriunda refulsit. Ingenuitas ejus tamen genus et meritum ipsi [1] vindicabat [2]. Illam enim ad prædictam urbem conditio egestatis et inopiæ causa convexerat, illicque cuidam Belsicolæ viro adnectitur puella conjugio. His Avitus soboles digna conceditur, salusque maxima populis condonatur. Natum illum fore beatum nocturno tempore cum magno splendore veridica relatione compertum est, ita ut obstetricum subito dilapsum hospitio lumen cœleste tegeret famulatum, et tanti miraculi stupore perculsæ pavescerent intuendum. Jam tunc Dominus sibi famulum præscius in ipso ortu sanctificavit futurum.

2. Cumque ætatis infantiæ rudimenta transisset, ad monasterii congregationem devotus illico convolavit, depositaque coma monachi professionem suscepit. At ubi abbatis imperio vel omnibus pura ejus simplicitas obediret, invidia quidam circumfusi, fatuum vocantes illum aut brutum, sæpius monachi ipsi detrahebant. Is [3] tamen ei mos erat ut partem ciborum suorum furtim egentibus consignaret, eosdemque exutus sæpius et veste contegeret. Sed ut in eo abbas cœleste lumen inspexit, clam diligere cœpit. Cellulam itaque sibi intra vestibulum monasterii eminus et semote construxerat, ne jejuniorum ejus aut vigiliarum assiduitas a fratribus jactantiæ traderetur. Sed ut visibiliter hominem Dei omnes manifestis indiciis esse conspiciunt, invito cellarium illi tradiderunt. Sed nec ille poterat denegare quod abbas regulariter decreverat ordinare. Jam vero sarcina suscepta cœnobii, ab immiti familia crebris insidiis honesta simplicitas ejus frangebatur.

3. Accidit autem die quadam cum ipse famulans singulariter semper ut consueverat abbatem thoro deponere, accipiens cingulum clavesque colligans, capiti cauta manu supposuit, onereque [4] relicto se Calauniæ [5] locis abditissimis collocare

[1] *ita nunc post erasionem. Textus hujus Vitæ non uno in loco correctoris manum prodit.* — [2] *corr.* vendicabat. — [3] *cod.* His. — [4] *cod.* onerique. — [5] *sic, pro regione Galliæ vulgari nomine* Sologne.

[festinavit [1]] et vilibus contextam virgultis cellulam sibi contegere [2], quæ decem aut amplius fere a monasterio millibus aberat; ibique se multis diebus Dei famulus occultavit. Cumque abbas ad canendas laudes matutinas ex more surgeret, cingulo dilapso resonant instrumenta cellarii. Ille obstupefactus confugium fecisse non dubitat Avitum, inquiritque et ad cellulam ipsius citius cucurrit; omneque cœnobium vel septa cellulæ nemorosa [3] perlustrans nullatenus potuit reperire cujus fugam nox valuit occultare. Nec multum post vir sanctissimus Maximinus, qui tunc temporis abbatiæ fungebatur officio, sibi debitos migravit ad cœlos. Sanctumque cadaver monachi tumulantes, ad inquirendum beatum Avitum omnis turba perrexit, ipsumque repertum solio pertrahunt et tandem ad monasterium precibus futurum revocant [4] genitorem et sibi abbatem pontifice jubente constituunt.

4. Ingrata sub fasce humilitas sublimata gemiscit et causas contubernii compescendas vix bonitas insueta consuescit. Hic terrenarum [rerum [5]] sublimia vitans, sublatus nocte, uno tantum comite contentus, vastas Perticæ solitudines beatus expetit latitandus. Erat namque eremi [6] locus nemorosa fronde contectus, satis abditissimus silvæ Pictiacæ fundo, quem olim manus prisca construxerat, hederæque [7] complexa horrebant culmina diruta silentio. Illic spontaneus extruditur in deserto, exiguamque sibi ex corticum fragmento christicola providus erigens domum, longe a villarum culmine Dei famulus clandestinum fuerat consecutus exilium. Nam diu multumque ignotus a ruricolis [8], pomiferis dapibus sanctum silva cibavit.

5. Eodem autem tempore sanctus quo se locaverat in deserto, uberrima glandium copiam [9] nemus omne contulerat. Cumque a subulcis geminis immensa illa vastitas lustraretur, unus olim mutus silentio longo fratrem ad juga comitabatur. Illi [10] pastorali ritu inter cærulæ noctis spatia accensis brandonibus vagantes, pecudes sequebantur. Contigit autem ab immenso imbre subito cortiferum [11] lumen fuisse extinctum; factumque est pecus invisibile oculis et omnia rapuere tenebræ. Atque unde lumen caperent in deserto spes nulla poterat adipisci; sed formidantes gregi commisso ponunt oculo solertiorem custodiam. Tandem velut stellam radiantis Olympi procul ignem conspiciunt, illucque mutus plus nutibus quam vocibus ire destinavit. Ubi vero ad tugurium beati viri usque pervenit, in limine fixus balbutiensque protensa cortice duris gemitibus lumen sibi innuit commodandum. Sanctus autem postquam in umbrifera nocte tetrum facie, crine deformem, atque exiguis pannorum drappiculis [12] semitectum inspexit, formidinis metu perterritus, autumans se de horrendæ solitudinis vastitate a portentis silvestribus attentari [13] et inter nocturnas tempestates dæmonem affuisse consortem, mox ad orationis arma ex ritu conversus, solo defixus incubuit, diuque multumque Deum deprecans fletibus oravit utrum si ex parte diabolica an catholicæ legis

[1] *add. ad sensum perficiendum.* — [2] *cod.* contegeret. — [3] *cod.* nemorasa. — [4] *cod.* revocarent. — [5] *add. ad sensum perficiendum.* — [6] *cod.* heremi *et similia in aliis.* — [7] *cod.* edereque. — [8] *cod.* ruriculis. — [9] *cod.* copia. — [10] *cod.* Ille. — [11] *forsan pro* corticiferum. — [12] *cod.* drappicolis. — [13] *cod.* attemptari, *et similia in aliis.*

ipsum imago torvida fuisset aggressa ut suo imperio ostenderet, et nullis se artibus ille occultaret, nisi ut interrogatus genus et opera declararet. Beatus igitur a terra consurgens, astanti elevata obviam manu, crucis signaculum capiti destinavit, ac talibus verbis affatur ignarum: *O nescio cujus sis phantasmatis tribulatio, cum subito sis allata meo tugurio : quisquis es, per omnipotentis Dei sobolem Christum, cruci suspensum, te sedula voce conjuro ut cujus generis monstrum sis et vel cujus rei familiaris in desertis existas, ad hanc discussionem ore promas.* Mox ad imperantis verba insontis lingua dissolvitur, voxque faucibus innovatur, et necessitas petitionis et genus exponitur, et majora sibi suggerit meruisse quam nutibus visus fuerat supplicasse, in tantum ut qui lumen petiit vocem referret sine mercede. Nec ignorans a quo vocis officium per virtutis munera juvenis recepisset, sancti pedibus provolutus immensas gratias pro collata sibi medicina rependit. Tunc Dei famulus ut cognovit ipsum non tantum a pastoribus quantum a Deo sibi fuisse transmissum, gaudio suffultus pro virtutis beneficio reddebat gratias divinæ subditus Trinitati; osculatusque est eum ac crucis signaculo præmunivit, et congesto lumine sospitem et querulum abire permisit.

6. Jamque se effrenus porcorum grex cum custode longius contulerat in profundo, isque ignarus erat ubi deflectens inter opaca quæreret illum servatorem; aususque silvam novo jubilo complevit et fratris nomen sæpius vocis clamore compellat. Ille ut nomen audit jactare per auras, obstupuit, et turbatus mente pensabat quis muto vocem contulerit, aut quis tumultuosis vocibus temerarius eum quæreret, vel unde ignotus exul tertius advenisset. Hæc eum inter nemorum umbras gestantem [1] lumen obvium quod ille ferebat sub motu supponitur, et venientis quærit legere vultum. At ubi prodente lumine incolumem [2] cognovit esse parentem, irruens in fratrem colloque eum complexus fletus inter gaudia commiscet, medicum inquirit et virtutis gesta cognoscit.

7. Exorta itaque diei luce ad sanctum pariter properantes, prostrati immensas gratias detulerunt ingentemque sua [3] pro recepta sospitate porcum offerunt sacerdoti. Cumque nullis ille unquam carnibus vesceretur, renuit [4] gregique munus restaurare pueris imperavit, eosque obsecrabat magis ut ne cui ipsum aut locum aut rem gestam e populo indicarent. Sed clam esse non poterat quod divina virtus Domino jubente prodebat. Igitur inde progressi, mox ad genitoris domum ex muto [5] vocifer destinatur. At ubi festinus successit tecta parentum, incolumis astans, medio sic est orsus hospitio : *En, genitor optime, tua soboles tuos* [6] *dudum damnata per annos hodie te nova salutis voce compellat, et cœlesti virtute solutus lingua pronuntiat te. Surgite ergo gaudentes, et una mecum pergite cuncti divinum medicum in silvis adorare, sanctoque Avito pro recepta voce referre gratias in deserto.* Pater ut liberum infantem inspexit ex ordine gesta narrantem, paululum substitit, atque super pignoris sui dilapsus collum membra complectitur, et variis inter gaudia lacrimis caput dulce rigabat. Nec minus gaudiis accita genitrix, occurrit et ipsa genitum visura loquentem. Mox vero vicinas percurrit virtus collata per aures, et

[1] *id est* ei ... agitanti ? — [2] *cod.* incolumen. — [3] *cod.* sue. — [4] *cod.* rennuit. — [5] *cod.* mutu. — [6] *ita cod.*

Aviti volat fama per orbem. Hinc inde populi coiere devoti, artaque instructa ad sanctum semita ducit tugurium sacerdotis. Languentium eum turba contingit, et inmensa miseris stipatur silva catervis. Fit foro qui olim abditus fuerat in deserto. Omnis ægritudo cessat, languor omnis pellitur, ad cœlosque divinæ potentiæ laudes et gratias attolluntur, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini. Deus Dominus, et illuxit nobis per sanctum Avitum.* At ubi famulum Dei cœpit multitudo immensa populi coartare, voluit se exinde furtim nocturno tempore ad occultiora loca transferre. Sed tam populi prece quam antistitum potestate vix tandem loco obtentus est residere; ibique monasterium insigne constituit, atque priscorum patrum, Pauli Antoniique, regulam hodie et adhuc inconvulsam reliquit.

8. Sub idem tempus accidit ut Dei famulus ad liberandos vinctos qui ergastulis tenebantur in Aurelianensi mœnio properasset. Cui occurrit obviam innumera multitudo languentium. Et ecce quidam ex agminis turba filium suum parvulum a nativitate cæcum ante sancti pedes genitor devotus exponit, deprecans ut qui fuerat damnatus ab ortu, illuminaretur a sancto. Cujus se precibus plebs universa conjunxit, ut postulanti salus non negaretur. Sanctus itaque Avitus tam precibus quam paterna pietate commotus, ubi super oculos cæcati parvuli signum salutis impressit, mox puer cui lumen ab origine erat denegatum, præsentem meruit cernere mundum. Quam virtutem ab ipso qui cæcus fuerat, nuper claris oculis referente cognovimus. Longum est cuncta volvere quales quantasque virtutes in supradicta urbe vel per diversa loca Dei famulus visus est operasse. Nam et judicum loci ipsius superba potestas inspectis miraculis sic ei fuerat inclinata ut ante omnia ei laxarentur vincti.

9. Nec illud virtutis miraculum præteribo quod unus ex Micciacensium monachorum qui multum a sancto Avito peculiari diligebatur affectu et prius cum ipso comitans in solitudinem eum fuerat prosecutus, [obtinuit [1]]. Cum constrictus tædio jam [2] vicinus morte deficeret, fratrum turbam precatur ut nullatenus eum terræ antea tumularent quam sanctus ac beatissimus Avitus super corpus ipsius peculiariter divinas gratias dignaretur impendere. Beatus igitur Avitus [3], semper ut sui mos erat, absque ullo vehiculo itinere longo ad visitandum animalium terga [4] procul secesserat in desertum, ibique demoratus est usque ad solis occasum. Tunc festinus unus ex fratrum contubernio subito ei nuntiat. Quo audito, plurimum tristitiæ et mœroris suscepit, et confestim ad monasterium cum omni celeritate pervenit. Jam itaque mediæ noctis spatium fuerat evolutum. At ubi oratorium vir mœstus fuisset ingressus, una cum defuncto in medio templi ipse et omnes prostrati jacebant. Sed fessi vigiliis monachi in somnum fuerant resoluti. Conticuit vero sanctus, ac silentia ibi esse gaudens, feretro est conjunctus; et ad orationis arma conversus, ex more prostratus humo incubuit, et profusis fletibus sanctorum pavimenta metuenda lavabat, atque Omnipotentis throno indesinenter precum suffragia destinavit. Postquam expleta oratione vir sanctissimus surrexit a solo et

[1] *add. ex conjectura, deest in cod.* — [2] *cod.* tam. — [3] *add.* qui *codex, sed redundat.* — [4] *ita cod. Intellige* septa.

sensit jam pietate sibi Domini monachi sui vitam fuisse concessam, sic defunctum sub silenti nocte Avitus voce compellat: *In nomine Dei Patris omnipotentis surge,* inquit, *frater, et tuam celerem nobis assumptionem edissere.* Illico surrexit qui fuerat mortuus, feretroque residens omnia quæ apud ipsum acta fuerant, vel qualiter suis orationibus a tetræ mortis vinculo ad vitæ pristinæ lucem fuerat revocatus, ex ordine cuncta narravit. Monachi ex confabulantium murmure suscitati obstupefactique de cœlesti miraculo, tenebantur affixi quod mortuus sancto Avito inferre fabulas cerneretur. Tunc omnes solo subnixi sacerdotis vestigia lambunt, et in excelsis Deo gratias gloriæ tollunt, quod tanta per sanctum Avitum gratia diffusa per orbem vel in præsenti monasterio virtutis Dei magnalia concessit. Ipse tamen beati dextera comprehensa [1] incolumis [2] surrexit a grabato, et cum hymnis et canticis spiritualibus ad diligendam sibi cellulam suis gressibus remeavit, multosque postea vixit annos. Quam rem a sancto beatoque Leobino, Carnotinæ civitatis episcopo, divulgatam fuisse comperimus. Cujus virtutum miracula ideo succincta brevitate conclusimus, quia lingua deficit [3] explicare testimonia quæ olim probata collegimus, ne mysteriorum solemnia usque ad vespertina tempora protrahamus. Jam vero virtutum ejus materia se non solum per diversa sed etiam per contigua diffuderat castella.

10. Interea quidam ex Dunensi castro pro cujusdam plebiculæ salute eorum legatione functus ad sanctum Avitum devotus accessit, obsecrans eum ut corpus suum ob tutelam loci ipsius castri illic concederet tumulari. *Dignam enim fabricam,* inquit, *modis omnibus nomini tuo promittimus construendam.* At ille indignum esse fatetur hominem peccatorem ac multis criminibus involutum sub templorum tegmina recondendum, nisi campis patentibus ad futuram examinationem: ossa enim humiliata tellure subfossa decet reponi. *Sed tamen ut cordis vestri quod optas voluntas obtineat, templum in Dei nomine, si persistitis, non dissimulo* [4] *fabricandum. Nam corpus meum juxta Aurelianorum urbem a Domino decretum est collocandum. Verum, si aliquid partibus vestris opportunum esse censetis, ut futura non minima jurgia abeant* [5], *indignas meas reliquias, si poscitis, capietis.* Quod ita factum est. In illo enim loco hodie magna congregatio noscitur residere, et Deo cum sacris officiis feruntur incessabiliter deservire.

11. Nec multo post vir beatus certaminis sui finem obtinuit sanctumque ad cœlos direxit spiritum. Cumque ejus transitum Aurelianorum ac Dunensium caterva sensisset, propter obtinendum corpus pariter in bella consurgunt. Plebs quidem Dunensium abbatis sui corpus cupiebat suo privilegio vindicare [6]: deinde Aurelianorum assertio monachum sibi ex Miccianensi [7] monasterio intendebat, ac sic mortuum ipsum justissime Aurelianorum finibus humandum. Sed dum monasterium ubi vir Dei recens fuerat [8] Dunensibus vicinius haberetur, omnes illic gressu velociori currunt ac defunctum in justo ordine castrenses invadunt et sublatum ad constructam basilicam anticipant deponendum. Sed nec segnes Aurelianorum

[1] *cod.* dexteram comprehensam. — [2] *sic post correctionem.* — [3] *corr.* defecit. — [4] *cod.* dissimulalo, *prius forte* dissimulabo. — [5] *cod.* habeant. — [6] *corr.* vendicare. — [7] *ita cod. perspicue.* — [8] *cod.* recensuerat.

phalanges qui tardius illic arma commoverant affuerunt, et ante fores templi clipeis contecti atque sanctum cadaver venientis [1], prælia parant aulamque sepulcri celeres sibi defensant. Ab ubi prædonum ex silvis secura cœpit turba procedere, conspiciunt armatas a longe acies optata limina velocius occupasse. Tunc mente turbati diffidunt votum obtinere se posse, hisque admotis in mediis laribus onus sacrum inviti deponunt. Talia quis congestis castris castra constituit [2] ? Statuitur ergo thesaurus inter media tela præliorum, fitque intentio de cœlis de præsidio, ne præsens causa, quæ multis sæpius vitam contulerat hominibus, mortis periculum generaret. Vir igitur insignis ac summa præditus potestate affuit Deo imperante, Leusus nomine, et jurgantium lites rector deificus existens utrasque compescuit atque armigerum sæva consilia dissipavit, et post hæc corpus salutiferum ad Aurelianensium urbem jubet publicum deferre per aggerem.

12. Tum Dunensium turba amaris fletibus spargunt voces in auras, deprecantes ut cujus membra vi faciente non fuerant consecuti, vel ipsius reliquias valeant adipisci. Nec potuerunt illi beneficia denegare, quia cum lacrimis dolentes eos cernebant salubria postulare. Tunc summi qui advenerant sacerdotes, trementes audent contingere corpus et reliquiarum magnarum poscentibus conferunt munus [3]. Igitur inde progressi sacerdotes corpus in sublimia tollunt, et urbana manus lecticulo protinus nobilia colla supponit, gaudens qui posset feretri sacrum contingere lignum. Ast tunc sanctissimum funus cominus hostilis turba præcedit atque strata passim restat in ordine plebs, urbemque petentes populi condenso pede feruntur. Cerneres illic cereis succensis ruralia arva candere flammis, et in millibus multis stipatur caterva. Jam primorum cornu populorum perveniebat ad arcem et adhuc multi castro se necdum commoverant ex Dunense. Quis tam magnum clericorum psallentium chorum qui ex vicinis urbibus sub sacra religione ad Aviti obsequia alacres convenerant celebranda, valet explicare ? Quorum ignificus clamor velut cœleste tonitruum sidereum pulsabat Olympum. Vox erat una omnium clamantium et dicentium : *Gloria in excelsis Deo et in terra pax Aurelianorum* [4] *in perpetuum sub Avito.* Illi ergo vix tandem inter congesta agmina duriter perrumpentes defunctum perferunt ad sepulcrum, ibique sancto in loco centum ab urbe gressus continente [5] formidanter et cum summa reverentia magni pontificis tumulant defensorem. Tumulo vero supponitur vilissima ligni memoria ; interim tamen membra venerabantur ab universa seculi terra.

13. Eodem tempore Hildebertus rex, inclitus Frankorum princeps, qui Galliam suo imperio coercebat [6], per commotum exercitum ipse subjiciendam sibi Hispaniam decreverat properandum. Sed audita tanti viri fama et quod sepulcrum ipsius exiguis fuerat parietibus circumseptum, cœlesti regi sub integra devotione pollicitavit ut, si incolumis ad regni sui solium ipsius sancti Aviti intercessionibus remearet, immensam ibidem super sepulcrum ipsius præciperet suis cultibus basilicam construere [7]. Ab adversariis itaque in itinere multa perpessus est, et quoties

[1] *ita cod., forsan pro* adque ... venientes. — [2] *ita corr., prius* constituunt. — [3] *cod.* manus. — [4] *ita corr., prius forte* Aurelianis. — [5] *cod.* continentem. — [6] *cod.* cohercebat. — [7] *ita corr., prius* construeret.

insidias ei fecerunt, toties ab imminentibus periculis per Aviti nomen liberatus est, et sic sospitem ac triumphantem regia recepit auctorem. Tunc in supradicto loco egregiam fabricam excelsis titulis ut spoponderat fastigavit, ac velut[1] margaritam aureis conclusam locellis proceris sui Waddonis solertia decoravit. De cujus operis parte illi credimus non deesse mercedem. Illic enim assiduis miraculis virtutum gesta clarescunt. Oculorum quippe claustra solvuntur, debilium membra subito solidantur, mutus vocem recipit, surdus auditum postulans apprehendit. Datur salus integra regioni et per omnium infirmitates velox medicina percurrit. Vir sanctus conjungitur Aniano et turba Aurelianorum circumsepta virtutibus servatur in medio. Sub quorum patrocinio nos divina Trinitas custodire et conservare dignetur : cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

DE S. EUGENIO CARTHAGINENSI. (Cfr. supra, pag. 30, 38°.)

Incipit passio sancti Eugenii episcopi et martyris.

1. Cum orta fuisset persecutio in christianos ab impiissimo Honorio, rege gentis Wandalorum, apud urbem Carthaginensem die Kalendarum Februariarum sexcenti septuaginta episcopi Affricæ, Corsicæ, Mauritaniæ (*cod.* Mauritanis) et ceterarum provinciarum ad Carthaginensem urbem sunt evocati a jam dicto Honorio rege. In quibus episcopis Carthaginensibus erat Eugenius, Vindemalis et Longinus et alii septem episcopi, viri summæ scientiæ virique summæ sanctitatis, columnæ ecclesiæ solidatæ supra immobilem basim. Ita enim fundati in Christo erant ut omne ædificium ecclesiæ catholicæ sua stabilitate firmarent. Sanctus vero Eugenius dum ad concilium ex regis edicto veniret, in atrium domus Dei ingrediens, puellam mutam et surdam comperit, quæ erat annorum circiter XIII. At ubi illius infirmitatem beatissimus amicus Dei a circumstantibus comperit, ait ad eam : *Tibi dico, puella, in nomine trinæ Beatitudinis, vade in domum matris tuæ et exhibe aquam manibus meis.* Quæ statim sermone ejus audito ingrediens in domum matris suæ cum gaudio magno, omnes qui præsentes erant provocavit, dicens : *Venite una mecum ad ecclesiam, et ostendam vobis angelum Dei, cujus oratione vinculum linguæ meæ solutum est.* Quo audito stupefacta est mater, et ceteri hæc audientes miraculi stupore perculsi ad prædictum virum puella præcedente veniunt, gratiarum actiones reddentes, et ante pedes beati viri Eugenii prosternuntur. Tunc ab universa plebe tam christianorum quam hæreticorum indifferenter trina majestas glorificata est.

2. Sed cum Honorius nunc blandimentis modo terroribus omnes episcopos quorum superius fecimus mentionem, sexcentos septuaginta, ad dogmata arrianæ perfidiæ transire suasisset in ipso tempore corpus cujusdam mortui a creditore, cui nomen Amuandalus erat, tenebatur. Dicebat enim se ei dum viveret XXX aureos

[1] *add. a corr. supra lin.*

præstitisse. In hac vero conditione, casu affuit vir venerabilis, domnus Eugenius, et quam ob causam sepeliri mortuus prohiberetur interrogavit. Tunc illi creditor dixit xxx solidos ipsi dum vixit commodasse. Sed mortui vidua relicta dicebat: *Homo, jam viginti aureos recepisti, decem tibi polliceor reddere : tantummodo ut virum meum sepeliri permittas.* Ad hæc barbarus cum sacramentis respondebat se nec denarium accepisse. Tunc motus vir Dei, beatus Eugenius, plenus gratia, pro hujuscemodi infelicitate omnes orare admonuit. Igitur expleta oratione conversus ad corpus exanime, dixit : *Per inseparabilem Trinitatem et unius baptismi gratiam, te adjuro ut nobis solvas istum errorem, si ita est ut creditor dicit.* Et ecce citius resedit qui mortuus erat, et respondit ita se habere ut uxor sua professa esset. At ille : *Requiesce,* inquit, *in pace, frater, et ora pro me et pro hac plebe quam Cirilla, unus ex ministris Antichristi, a recto tramite deviare persuadet.* Quo viso, clamor confusus ab universis in cœlum usque tollitur, ita ut præ clamore tota civitas terreretur. Hæc in Carthagine gesta sunt sub agone sanctorum. Wandalus vero metu ac timore perterritus ante pedes beati viri prosternitur, veniam sceleris sui implorans, ita ut etiam pro decem solidis pro quibus jurare cœperat faceret concessionem.

3. Sed cum hæc omnia Honorio regi fuissent relata, suis eum obtutibus jussit præsentari. Cui et dixit : *Non magnum miraculum est diu mortuum vivum facere loqui, cum nonnunquam de inferis magorum incantationibus mortuorum animæ revocentur. Unde hæc actio magica potius erit credenda quam veritas. Sed si tibi præsumis fidei habere virtutem, hunc cæcum videre facito, et in vobis esse credemus summam fidei catholicæ legis.* Sanctus vero Eugenius respondit : *Quis sum ego aut quæ virtus mea, ut faciam quæ dixisti ? Sed Deus creator populi terræ, qui omnia suo imperio condidit, cujus ego non mereor discipulus dici, claritatem sui nominis per hunc cæcum manifestare dignetur et me Eugenium magica maleficiorum argumenta non nosse, et tribuat illi in nomine sancto suo præsens et futurum lumen aspicere.* Ait itaque ad cæcum : *Quot annos habes ?* At ille respondit : *Sexaginta.* Sequitur interrogatio : *Ex quo tempore visum perdidisti ? — In annis pubescentibus mihi est lumen negatum.* Tunc accedens ad eum Eugenius et super oculos ejus signum crucis exprimens, dixit : *In nomine sanctæ Trinitatis aperiantur oculi tui.* At ille : *Amen,* respondit. Qui oculis et mente illuminatus fidem catholicam cum virtute signorum suscepit, et ceteri hæc videntes in dogma fidei nostræ transierunt.

4. Unde Honorius cum principibus suis miraculi sui opere tentus, affixit Cyrillam arrianæ parti. Episcopus vero Cirilla dixit : *Nolite in hoc facto tanta admiratione teneri, quia promitto regi sequenti die me cæcum illuminare.* Dum igitur ad promissionem ejus suspenderetur rex, jussit omnem multitudinem plebium a prætorio suo discedere. Hæreticus vero Cyrilla accipiens quinquaginta solidos, suasit quemdam infelicissimum hominem ut, accepta pecunia, venientibus illis ad ecclesiam, oculis clausis clamaret ut sibi Cirilla misereretur. Quid non faciant aures sacrilegæ, quando Judas immemor apostolatus sui honore Filium Dei xxx argenteis vendidit ? Cum ergo Cirilla ad statutam diem venisset, fecit præfatos episcopos

evocare catholicæ legis; quibus et ait : *Nunc diffiniam manifeste quæ facturus sum famulus Dei.* Omnes autem una voce dixerunt : *Incipe facere opera patris tui.* Cirilla respondit : *Et quis est pater meus?* At illi dixerunt : *Ille (cod.* illa) *qui dicitur diabolus et sathanas.* Et dum ista dicuntur, exclamavit homo peccator, sicut erat edoctus, ut sibi Cirilla ferret auxilium. Cui hæc respondit : *Quid vis ut faciam tibi?* Respondit : *Domine, ut aperiantur oculi mei per te.* Interrogatus vero ab eo ex quo tempore non videret, respondit : *Ex utero matris meæ.* Erat autem annorum viginti. Accedens autem Cirilla tetigit oculos ejus, ei his sermonibus dicens : *In nomine Patris Dei majoris et Filii Dei minoris et Spiritus sancti, qui est minister eorum, aperiantur oculi tui.* Sed cum hæc profana et sacrilega voce locutus esset, tanta obscuritate oculi ejus in his sermonibus astricti sunt, ut tantum dolorem ferre non posset; sed statim in clamorem prorumpens dixit : *Peccavi coram Deo et vobis, ministri baptismi, quia habebam oculos sanos, et ab arriano amore pecuniæ provectus cæcatus sum. Precamini, quæso, ut mihi divina majestas per pœnitentiam indulgentiam præstet, et pro tanto scelere largiri dignetur veniam, quia cum fallacia artis diabolicæ cæcitatem incurrisse inventus sum.* Beatissimus vero Eugenius Vindemiali dixit : *Si mihi contra meritum meum hesterna die illius cæci illuminationem Christus pro sui nominis claritate donare dignatus est, scias quia et ipse hunc stantem et orantem illuminet.* Tunc episcopus ait : *Accede absque ambiguitate, quia ut manus tua cæcum tetigerit, signo crucifixi Domini nostri illuminabitur mox mente et oculis, quibus eum diabolus gemina cæcitate per manum sacrilegam orbavit.* Et statim ut præfatus signum crucis super oculos nuper excæcati depinxit, illuminatus est. Tunc ab utraque plebe fides catholica magnificata est, fallaciaque adversarii detecta atque confusa est.

5. Aliud quoque miraculi genus per sanctum Eugenium et sanctum Vindemialem gestum est, cum audissent quamdam viduam admodum religiosam calumniam infelicitatis suæ deflere. Dicebat enim hospitium suum ei absenti (*cod.* absente) ab hominibus malis clam direptum, ita ut sibi alimentum unius diei non relinqueretur. Ad hæc beati viri miseratione commoti, oratione facta, ut eis mos erat, una voce dixerunt : *Vade,* inquit *(sic), mulier, et quæcumque te dicis perdidisse in domo tua salva invenies.* Quo audito repetens domum intrepida, quidquid se dissimulaverat perdidisse restauratum invenit. Et ita factum est ut in ipso tempore ad matronam quamdam paralyticam dum tanta eorum virtutis fama perlata fuisset, rogaret virum suum ut eam perduceret ad sanctum Dei Eugenium. Dicebat enim se ex toto corde credere, si ab ipso reciperet sanitatem. Cum igitur ad eum pervenisset mulier, cœpit eos utrosque rogare ut pro ejus debilitate dignarentur orare. Hi etenim renuebant (*cod.* rennuebant), dicentes quod non essent hujus meriti, per quos divina dignatio aliquod signum ostenderet sanitatis. Porro eos attentius exorabat, testificans quod ab ejus domo nullatenus recederet, nisi firmam incolumitatem (*cod.* incolomitatem) reciperet. Videntes autem fidem atque perseverantiam ejus, fusis lacrimis et oratione prostrati orabant ut fidei ejus Christus effectum tribueret. Completa vero oratione, apprehenderuut eam dicentes : *In nomine Trinæ Virtutis surge;* et mox sana in domum suam regressa est.

6. Longum est autem cuncta revolvere, quæ vel quanta magnalia per eos Christus nostris temporibus ad laudem nominis sui in Affrica ostendere dignatus est. In quibus virtutibus inflammatus diabolus Honorius, omnes episcopos in exilium traxit. Dum ergo exilium consummaret (*cod.* eosummaret), justo Dei judicio damnatum arripuit eum spiritus malus et rabie excæcatus linguam suam comedit, et quamcumque partem corporis sui attingere potuit propriis dentibus laniavit, et sic inaudito cruciatu perpetuum excepit exitium (*cod.* exitum). Etenim dum adversus sanctum Eugenium adhuc in isto seculo infelix in malis suis positus et adversus catholicos dimicaret, gladio eos animadverti simulato terrore præcepit, credens eos formidine mortis territos ad suos libitus declinare, ea scilicet conditione ut, si hora qua decollandus erat jussioni ejus obtemperaret, quinquaginta libras auri acciperet. Recensita vero auctoritate beatus Eugenius dixit: *Data ipsius cum ipso vadant in perditionem et in interitum.* Et facta oratione pallio a cervice sublato percussorem his verbis admonet: *Veni et adimple sententiam regis tui qui te misit.* At ille respondit: *Non sibi vindicaturi erunt homines legis tuæ ut te in honorem martyrum collocent;* et sic eum (*cod.* ad eum) ad exilium filius diaboli direxit, qui animas confessorum volebat jugulare non corpora (*cod.* corpore). Sanctus vero confessor Eugenius dum tanta cum Domini confessoribus in provincia Affricæ peregisset mirabilia, per Dei nostri misericordiam in multis locis ampliora prodigia facere cœpit quam Carthagine fecerat, et non solum ab hominibus in nomine Trinitatis immundos spiritus expellendo (*cod.* expellendos), sed et in diversis insulis maris, ubi antiquus ille serpens, venenatus draco, nocebat, suis sanctis orationibus genu flexo deprecans Dominum expellebat. Et ita sanctus Eugenius pervenit inter alia multa in partes Liguriæ in insulam maris, ubi florent ejus beneficia, temporibus Wandalorum, regnante filio iniquitatis Honorio, qui eum in exilium transmisit, nobis autem regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat. Amen.

DE S. JACOBO APOSTOLO, HISPANIÆ PATRONO. (Cfr. supra, p. 33, 49°.)

Incipit translatio ejusdem.

1. Post Salvatoris nostri passionem ejusdemque gloriosissimum resurrectionis trophæum mirabilemque ascensionem, qua paternum usque scandit ad solium, necnon et paracliti Pneumatis super apostolos effusionem, sapientiæ radio irradiati ac (*cod.* ad) cœlesti gratia illustrati, passim gentibus nationibusque quos idem elegerat, Christi nomen sua prædicatione patefecerunt discipuli. Quorum ex præcluenti (*sub lin. man. rec.* i. e. valde resplendenti) numero miræ virtutis sanctus exstitit Jacobus, vita beatus, virtute mirificus, ingenio clarus, sermone luculentus, cujus uterinus Johannes habetur evangelista et apostolus. Huic nempe gratia fuit tanta concessa divinitus, ut etiam idem inæstimabilis gloriæ Dominus incomparabili claritate coram ejus visibus super montem Thabor transfigurari non sit dedignatus, astantibus cum eo Petro et Johanne, veridicis testibus. Hic vero, aliis

diversa cosmi climata adeuntibus, nutu Dei Hesperiæ oris appulsus, hominibus inibi degentibus patriamque incolentibus, verbum Dei prædicando disserit intrepidus. Ubi, dum parva seges quæ tunc excoli vellet inter spinas fructifera inveniretur, paululum commoratus, fertur VII clientulos præelegisse Christo subnixus, quorum collegio lolium evellendo extirparet radicitus verbique semina telluri diu sterili permanenti committeret propensius.

2. Cumque dies immineret supremus, Hierosolimam tendit festinus; a cujus contubernali solatio prædictorum vernularum nullus exstat subtractus. Quem saducæa ac pharasaica dum stipat manus improba, antiqui serpentis illecta versutia, innumera opponit de Christo problemata. Verum sancti Spiritus debriatus gratia, ejus eloquentia a nemine est superata : unde eorum fremens ira furit in eum acriter incitata. Quæ in tantum instimulante invidiæ zelo succenditur atque debachatur, ut importunitate sæva violentorum impetu caperetur, Herodisque præsentiæ necem percepturus traderetur. Qui capitali ac digladiabili sententia plexus, rosei quoque cruoris sui unda perfusus, triumphali martyrio coronatus ad cœlum evolat, immarcescibili corona laureatus.

3. Exanime vero corpus discipuli furtim arripientes, summo cum labore et percita festinatione ad littora devehunt. Navim sibi inveniunt paratam, quam alto ascendentes pelago committunt, atque die septena Iriam perveniunt, remisque desiderabile solum carpunt. Nec est hæsitandum rerum auctori tunc temporis copiosissimas grates ac digna eos persolvisse præconia, tum pro tanto munere sibi a Deo concesso, tum eo quod piratarum insidias, nunc vitandas scopulorum allisiones, nunc hiantium cæcas vertiginum absque ullius detrimento transegerant fauces. Igitur tanto ac tali subnixi patrono, ad cetera suis usibus profutura intendunt, quemque suo martyri requiescendi locum Dominus præelegerit explorare pertentant. Itaque itinere ad Orientem directo, in cujusdam matronæ, Lupariæ nomine, prædiolum ferme quinque milliariis ab urbe semotum sacratum comportant atque deponunt loculum. Quis autem illius fundi possessor haberetur sciscitantes, quorumdam comprovincialium ostensu comperiunt, suæque indaginis compotes effici vehementissime atque ardentissime gestiunt. Demum quippe feminam adeuntes collocutum, narrantesque per ordinem rei eventum, sibi impendi quoddam expetunt delubrum, ubi ad adorandum statuerat simulacrum, atque illic devio quoque gentilitatis errore frequentabatur fanum. Quæ clarissimis natalibus orta ac etiam suprema interveniente sorte viro viduata, tametsi sacrilegæ fuisset superstitioni dedita, non suæ nobilitatis oblita, juste nobilium et ignobilium sese appetentium abdicaverat conjugium, ne tanquam scortum priorem pollueret maritalem thorum. Hæc quidem eorum petitionem et verba sæpius revolvendo (*cod.* revolvenda) priusquam responsum daret ullomodo, cogitat cordis in imo quonam modo eos traderet ferali exterminio, ac tandem sermonem reciprocat, sæviens in dolo : *Ite,* inquit, *petite regem qui moratur indugio* (sic), *locumque postulate ab eo, in quo vestro sepulturam paretis mortuo.*

4. Cujus dictis parendo, pars exequiarum ritu servans apostolicum corpus uno excubat in loco. Postquam autem alii ad regale palatium calle perveniunt citato,

ante ejus ducti præsentiam eum quidem more salutant regio. Qui et unde sint et quamobrem advenerint aperiunt narrando. Rex autem licet in initio libenter eorum adverteret assertionem attentus atque benevolus, tamen incredili stupore attonitus, hæsitans quid sit acturus, dæmoniaco jaculo jaculatus clam insidias tendi atque christicolas necari jubet ad modum efferus. At (*cod.* Ad) hoc ejus velle comperto, clanculum divertendo propere abscedunt fugiendo. Ut autem regi indicatum est de eorum fuga, acerrima commotus ira, rabidi quidem leonis imitatus ferociam, cum his qui in ejus erant curia fugientium deicolarum pertinaciter insequitur vestigia. Cumque jam ad id foret ventum quo pene crudelium manibus cæderentur, cujusdam fluminis isti trepidantes, illi confidentes una subeunt pontem, uno eodemque momento : cum subito Dei omnipotentis judicio, quo gradiebantur pons dissolvitur cæmento ac finditur, diruiturque in imum ab alto ; sicque decrevit deliberata judicis et regis æterni censura quatinus ex omni insecutorum turba ne unus quidem superesset, qui ea quæ fuerant gesta renuntiaret regis in aulam. Sancti ad armorum lapidumve corruentium sonitum sua vertentes capita, Dei præconanda insonant magnalia, prospectando magnatum corpora equosque et militaria arma, miserabiliter rotata sub fluminis unda, haud secus quam quondam exercitum Pharaonis in Rubro mari acceperunt submersum in regione Canopica.

5. Igitur Dei auxiliatrice dextera adjuti atque erepti, ad rem animati ac accensi, salubrem usque ad Lupariæ (*ita corr. in marg. pro* illius) domum pergunt callem edocentque quemadmodum regis sententia exasperata eos perditum ire voluerat in necem, et quid Deus in eum egerat ad sui ultionem. Insuper efflagitando instant uti domum prædictam dæmoniis dicatam Deo concedat dicandam ; idola vero manufacta, quæ nec sibi prodesse nec aliis possunt obesse, quæque oculis non videre nec auribus audire, nec naribus odorare, et quæ penitus nullo membrorum officio utuntur, respuat hortantur. Cujus mens quomodo (*intellige* quæ modo) in regis dimersione de propinquorum aut affinium morte videbatur commota ideoque salubris consilii, uti sæpe fieri in humanis solitum est rebus, ignara, longe aliter quam dicebantur fraudulenta ac frivola machinabatur machinatione cassa. Dum vero vehementius eam urgerent precibus ut vel prædioli aliquantulum ad sacratissimi viri membra præberet humanda, nova et inusitata meditata prælia, putans eos aliquo interimere dolo, hujuscemodi sententia est exorsa : *Quandoquidem,* inquit, *vestram tam efficaciter intentionem adhuc cerno intentam fore nec aliquando ab ea velle resipiscere, sunt mihi boves indomiti quodam in monte : quos euntes assumite, et quidquid vobis majoris visum fuerit utilitatis, quæque necessaria erunt cum eis deferentes ædificate. Si quid victus defuerit, propense vobis et illis impertire curabo.*

6. Hoc apostolici viri audientes neque muliebria figmenta perpendentes, gratanter abeunt, ad montem usque perveniunt, atque quod non verebantur cernunt. Dum enim montis confinia gressibus calcant, ex improviso ingens draco, cujus frequenti incursu villarum habitacula circumcirca vicina eadem tempestate agebantur deserta, proprio digrediens ab antro, in sanctos Dei flammivomos ignes evomendo, quasi impetum facturus evolat, exitium minando. Quem contra, fidei

dogmata recolendo, impavide crucis munimina intentando illum propulsant resistendo ; Dominicique signum stigmatis ferre non valens, ventris rumpitur medio. Quo bello peracto, oculorum figentes lumina cœlo, regi summo vota reddunt cordis ab imo. Demum igitur ut dæmonum frequentia ab illinc omnino esset explosa, aquam exorzizant, quam totam super montem undique aspergunt. Is autem mons antea vocitatus est *Illicinus*, quasi diceretur illiciens, quod plures ante id temporis mortalium male illecti ibi ritum dæmoniis exhibebant : ab his mons sacer, id est mons sacratus, appellatus est.

7. Inde quoque boves abeuntes procul contemplantur indomitos ac mugientes, cornibus summa fronte aerem ventilantes, pedumque ungulis fortiter terram terentes. Quibus sese per montis devexa innitendo mortis crudelitatem cursu infestissimo minitantibus, tanta lenitatis extemplo irrepsit mansuetudo ut, qui prius præcipites atrocitate feroci ad inferendam cladem properabant currendo, summissi colla, sanctorum manibus cornua deponerent ultro. Sancti vero corporis delatores mulcendo animalia ex immitibus mitia facta, absque mora eis superimponunt juga, ac recta incedendo semita jugatis bobus intrant mulieris palatia. Illa quidem stupefacta mira agnoscens miracula, his tribus evidentibus signis excitata, eorum obtemperans petitioni, ex proterva obediens facta, illis domuncula tradita et trino fidei nomine regenerata, sua cum familia nominis Christi efficitur credula. Sicque inspirante Deo fidei dogmate imbuta, quæ prius phantastico errore delusa efflagitaverat, humilis et prona super erecta proterit ac frangit simulacra, quæque sub ejus fuerant dominatu funditus diruit fana.

8. Quibus obrutis atque minutatim in pulverem redactis, cavato in altum solo construitur sepulcrum miro opere lapideo, ubi apostolicum conditur corpus artificiali ingenio. Cujus quantitatis *(sic perspicue in cod.)* ecclesia eodem superædificatur in loco, quæ altari ornata divo, felicem devoto pandit aditum populo. Post aliquantulum vero temporis ab ejusdem apostoli alumnis innumeris in fidei agnitione plebibus edoctis, squalentibus prius campis cœlesti rore roratis brevi adolevit fecunda ac Deo multiplicata messis. Tres autem magistri pedissequi pro illius reverentia, dum summo cum affectu ad præfatum sepulcrum pervigiles indesinenter pervigilarent, definito dubiæ termino vitæ naturæ debitum persolventes, felici excessu spiritum exhalaverunt cœlisque animas gaudendo intulerunt. Quos præceptor non deserens egregius cœlo terraque secum collocari obtinuit divinitus, stolaque purpurea purpuratus in ætherea curia suis cum asseclis vernifica micat redimitus corona, miseris se deposcentibus invicto suffragio patrocinaturus, auxiliante Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium cum Patre et Spiritu sancto perenniter manet in secula seculorum. Amen. Hæc sunt nomina septem discipulorum : Torquatus, Eufrasius, Disefons, Sicilius, Isicius, Secundus, Endalecius. Ab his in occiduis partibus delatus et in finem totius Hispaniæ contra mare Brittannicum est sepultus.

DE S. STEPHANO PROTOMARTYRE. (Cfr. supra, pag. 36, 65°.)

Incipit translatio ejusdem prothomartyris de Constantinopolim ad urbem Romam.

1. Totius veritatis auctorem immo veritatem ipsam, Dominum nostrum Jesum Christum, suppliciter exoramus ut de corporis translatione beati protomartyris Stephani vera nos dicere concedat. Ad tuæ felicitatis cumulum, o Roma, factum esse credimus ut, cui Deus et regni monarchiam et apostolorum principes et totius Ecclesiæ principalem tribuit sedem, tibi quoque primum martyrem saltim post obitum legaret. Decebat enim multumque conveniens fuerat ut, quæ tot pretiosorum martyrum cruore purpurata eras, tantumque per tuæ impietatis ministros ubique terrarum sanguinem fuderas, primi quoque martyris vel ossa custodias. Recipis igitur jam nunc cum processione magnisque jubilationum laudibus Stephanum martyrem primum, quæ quondam cruentis gladiis ipsius jugulasti sequaces. Quis non videat illud modo vaticinium in te esse completum, quod olim per prophetam Dominus dixerat: *Propterea non timebimus dum turbabitur terra et transferentur montes in cor maris.* Tu es enim cor maris; in te unius mundi est vita, consilium et sapientia; ad te montes transferuntur, ad te apostoli deducuntur, ad te sancti martyres venire coguntur. Sed alii quidem cum supplicio veniunt, Stephani vero translationem cum jubilo fieri videmus. Hæc autem qualiter acta sint, sequentia manifestant.

2. Temporibus igitur Theodosii imperatoris, cum apud Bizantium, quæ nunc Constantinopolis appellatur, ipse imperator habitaret, divina dispensante providentia factum est, ut filia ejus, Eudoxia nomine, quæ Romæ in regali palatio morabatur, a dæmonio correpta graviter vexaretur. Quæ quidem res et parentibus tristitiam et familiæ luctum et cunctis amicis immoderatum incussit mœrorem. Tristabantur enim parentes pro filia, famuli pro domina, totaque nobilitas imperatoris tristitiæ compatiebatur. Quid facerent, quo se verterent, cujus auxilio, qua fortitudine, quibus viribus tantum expellerent inimicum? Ecce cui civitates, provinciæ, regna et pene totus mundus subjectus erat, unicam filiam et ipsam obsessam liberare non valet. O miseram hujus mundi potentiam, o admirabilem superni regis virtutem: fugantur reliquiis martyrum qui imperatorum despiciunt arma.

3. Ducitur interea supradicta regis filia ad apostolorum limina, ad sanctorum monasteria, ad servorum Christi suffragia. Sed cum malignus ille spiritus qui eam torquebat ipse quoque graviter torqueretur, jam quidem et quid disponeret et a quo ejici deberet fateri compellitur. Ait ergo: *Ego quidem ab ea separari nullatenus potero, nisi mihi præsenti præsens Stephani corpus protomartyris assit.* Quo dicto siluit. Quibus auditis, custodes puellæ et pædagogi quasi de salute gratulabundi confestim ad imperatorem nuntios dirigunt, qui dæmonis responsa nuntiarent. Reperta igitur via recuperandæ sospitatis, quantocius Romam imperator mandavit

quatinus ad se filia ejus Constantinopolim duceretur, ubi beati Stephani protomartyris corpus jacebat. Euntes ergo redeuntesque legati, velociter ferunt referuntque mandata. Sed quia dæmones et natura callidi et sermone nugaces et responso dubii sunt, malignus ille spiritus non se ad Stephanum, sed Stephanus ut ad se veniat oportere minatur: alioquin non se exiturum; quod ab ipsis etiam apostolis, Petro videlicet et Paulo, sibi concessum esse dicebat. Unde factum est ut consilio beati Pelagii, urbis episcopi, qui tunc temporis apostolicæ cathedræ præsidebat, iterum ad imperatorem legati mitterentur.

4. His augustus cognitis, mox Constantinopolim episcopum omnesque nobiles et primates civitatis, quorum consilio et prudentia respublica regebatur, ad se accersiri jubet. Quibus circumstantibus ait: *Non latet dilectionem vestram, patres, quid mœroris et sollicitudinis mihi sit, cum meam progeniem tam atroci periculo videam subjacere. Quod quidem et ego perspicue cognovi, et vos ipsi mihi multoties condoluistis. Si vester igitur modo nobis assensus assit, invenimus consilium quo ab hoste valeat liberari.* Cumque omnes et assensum et auxilium læti totis viribus pollicerentur, imperator omnem rem, sicut erat, ex ordine patefecit. Jam demum igitur cives intelligentes ad quid regis sententia tenderet, perterriti turbatique quid super hac re respondere debeant invenire nequeunt. Mox fama volat, totaque civitas hoc uno sermone repletur, quod videlicet imperator beati protomartyris Stephani corpus auferre disponat. Ingens oritur luctus, fit concursus populorum, domus ululatibus resonant, omnesque plateæ inordinatis vocibus reboant. Hic urbem perire, ille libertatem ademptam (*cod.* adeptam), alii tutamen et auxilium sublatum clamant.

5. Tandem pauci quibus altior ingenii et sapientiæ intellectus erat, scientes præsertim se in tanta necessitate voluntati regis obviare non posse, quoddam inveniunt temperamentum quo tanto vulneri civitatis mederi valeant. Quocirca Græcorum astuti adeuntes imperatorem, talibus eum affantur verbis: *Sciat gloriosissimus omnique virtute et dignitate præditus imperator semper augustus, quod audito verbo civitas scandalizata nimio dolore nimiaque tristitia languet. Quis æque non doleat tanto se privari patrono? Quis æque ferat tanti martyris deprædationem? Unica spes civium, ægrotantium medicina, miserorum refugium in hoc uno martyre erat. Hoc uno intercessore apud superni judicis clementiam quasi proprio sibique a Deo donato totus hic populus utebatur, Dives est Roma, reliquiis martyrum; ebria est, ut putamus, sanguine sanctorum. Quid est igitur quod ebria sitit? Habet apostolos. Ibi Petrus, apostolorum princeps, ibi Paulus, gentium doctor. Cui isti non sufficiunt, utique insatiabilis est. His ligandi et solvendi potestas in cœlo et in terra præstita est. Prout igitur volunt, quomodo volunt et in quibus volunt sua utuntur potestate. Et istis quidem, si vellent, facile esset regis filiæ conferre salutem. Sed quid multa? Quandoquidem regis censura decrevit, idque animo sedet ut martyrem nostrum hinc asportari faciat, saltim pro recompensatione, ut tanta omnium perturbatio placari valeat, unum quem eligimus martyrem nobis a Romanis donari faciat.*

6. Placuit augusto, statimque Romam beato Pelagio papæ propere litteras

direxit, quorum *(sic)* exemplar infra scriptum est: " Nostri cives audita legatione, pater apostolice, de dæmonis expulsione, quantum ad salutem puellæ, maxime sunt gavisi. Sed cum de sancto corpore transferendo audirent, quasi mortui redditi sunt, et omnino quidem, si possent, contradicerent. Sed cum voluntatis nostræ intellexerunt instantiam, humiliter supplicarunt quatinus vice ejus aliud sanctum corpus acquireremus, ne penitus urbs tali tristitia immoderate absorberetur. Pro levamine igitur tantæ desolationis rogamus caritatem tuæ paternitatis largiri nobis tale corpus unde populus a clamore cesset et nobis quietus et tranquillus possit existere. „ Quo nuntio paulisper papa perterritus, ad quem martyrem petendum regis sit intentio attentius cogitare cœpit. Timebat enim ne in apostolos fortasse vellet injicere manus. Præcepit igitur convocari concilium in quo super tanto negotio disceptaretur. Conveniunt episcopi, assunt cardinales, coadunantur sacerdotes et levitæ cum toto senatu. Non minor sollicitudo Romanis imminet quam superius Constantinopolitanis affuisse meminimus. Nihil enim præter apostolos se habere putabant quod beato Stephano posset æquiparari (*cod.* æquiperari), tum quia ab ipsis apostolis ordinatus fuerat, tum quia primus martyrum erat. Unde ad optionem eis dari decernunt, ut quem velint pro tali commercio præter apostolos habeant.

7. Finito ergo concilio, supradictus papa ipse quoque ad imperatorem litteras misit, quæ inferius scripta sunt continentes: " Vale, fili carissime, semper auguste. Quod tibi licitum est, postula : tantum ne quod non debeas quæras, ut Roma suis privetur possessoribus primis. Quod tibi poscere valde inhonestum, nobisque concedere nihilominus constat illicitum. Nunc pro salute filiæ tuæ, cum gubernatione reipublicæ, licet inviti faciamus, elige de nostris quodcumque vis; exceptis corporibus Petri et Pauli, tali commercio promereri non inficiabimur. At si ad apostolos verteris expetendos, viventibus Romanis minime poteris efficax fieri hujus voluntatis. Nam ut petendum est, pete; quid petas attende, quo tua valeat postulatio utilis esse. „ His ita relatis, jussu imperatoris conveniunt Constantinopolitani. Tunc apostolicæ sedis litteræ recitantur et Romanorum responsio pariter declaratur. Certi igitur cives quomodo quemcumque sanctorum peterent, exceptis apostolis, eis non negaretur, in voce exultationis et gaudii beati Laurentii corpus unanimiter se velle proclamant, felices tali petitione, si beatus Laurentius suos Romanos tantum non dilexisset. Quadam igitur abundantia exultantes Laurentii dignitatem vitam et triumphum extollunt, qualiter Decium vicerit, qualiter in craticula assatus fuerit, qualiter ecclesiæ thesauros pauperibus dederit.

8. Interea legati ab imperatore missi redeunt Romam, qui supra denominatum apostolicum virum per omnia religiosum commonefaciant quatinus aliquos episcoporum suorum Constantinopolim dirigat, qui beati Stephani corpus et diligenter recludant et decenter secum ferant. Quod et factum est. Advenientes igitur episcopi, scilicet apostolicæ sedis legati, postquam regiæ urbi appropinquaverunt, obvias eis imperator cum uxore fuit, quem totus senatus cum magno comitatu sequebatur. Tandem ut ad tumulum beati protomartyris Stephani ventum est, præfati pontifices cum hymnis et laudibus, sicut decuerat, locum

adeunt. Postquam ergo diutissime ab omnibus est oratum, tumulus aperitur; unde tanta tamque miri et suavissimi odoris abundantia prodiit ut qui aderant jam se in illam beatam vitam translatos esse putarent. Sed quis valeat dicere quanti fuerunt cæci illuminati, leprosi mundati, dæmoniaci liberati? Tantas enim ibi ac in itinere per eum Dominus est virtutes operatus, quantas, si quis referre velit, majoris indigeat temporis et voluminis. Tum demum sentiunt cives quantum thesaurum amittant, et quamvis cujus commercio id fieret non ignorent, tamen adhuc, si auderent, imperatoriæ voluntati omnino contradicerent. Commendantes se orationibus martyris, ut suorum civium vel in alia patria meminerit, deprecantur.

9. Pergunt interea gaudentes episcopi, beati Stephani reliquias deferentes secum. Postquam autem Capuam propinquaverunt, tota civitas simul cum episcopo in occursum ruit. Quo in loco quia per triduum morati sunt, multi ibi paralytici sunt curati, et quicumque salute indigens advenit, lætus et incolumis ad propria remeavit. Dicitur etiam quod episcopus et populus Capuanus tandem magnis precibus obtinuerunt ut eis brachium martyris concederetur. Inde vero cœpto itineri insistentes, tandem Romam veniunt. Quibus venerabilis papa Pelagius una cum clero lætus extra urbem obviam procedens, cum magno honore summaque veneratione usque ad basilicam beati Petri quæ dicitur Ad vincula, quam in ejus etiam honore dedicare disposuerat, corpus venerabile subsecutus est. Ibi vero omnipotens Deus quam sit mirabilis in sanctis suis, mirifice declaravit. Namque ut civitas major et populus copiosior erat, ita etiam per martyrem suum virtutes et miracula tunc temporis multiplicavit. Videres languentes quacumque infirmitate detentos ab amicis et propinquis undique bajulari. Videres eosdem subito sanos et incolumes nullo bajulante reverti.

10. Interea nitebantur corpus martyris in ecclesiam introducere. Mira res, dum id sæpe tentarent et nihil proficerent, tandem lassi quieverunt. Sed dum hæc ita aguntur, ecce regis filia, magna comitante caterva et miserabilis, plena dæmone et plus solito vexata, vix a multis detenta, ad martyrem trahebatur. Cui neque calor *(sic)* erat idem, nec facies eadem, nec vox hominem sonabat. Flebat populus, lugebat familia omnesque una et consona voce beatum protomartyrem Stephanum pro ea rogabant: *Succurre miseræ, adjuva infelicem, usitatam ostende virtutem.* Confestim malignus ille spiritus qui eam torquebat, per os virginis declamans: *Non hic*, inquit, *sed cum Laurentio foris murum Stephano dabitur locus.* His dictis evanuit, et continuo liberata est puella. Unde tanta lætitia tamque ingens omnium exultatio facta est quanta a temporibus Constantini imperatoris usque ad id temporis nunquam Romæ fuisse ferebatur. Quantas laudes Deo, quantas grates agerent martyri, non est nostræ facundiæ evolvere posse.

11. Illico igitur sublevato loculo in quo martyris corpus positum erat, cantantes et spallentes omnes simul ad ecclesiam beati Laurentii proficiscuntur. Quam ingredientes et juxta martyris tumulum martyrem ponentes, aperiunt locum in quo et ipse quiescebat et hic quiescere debebat. Tunc vero Constantinopolitani et ceteri hujus commutationis interventores beati Laurentii corpus, prout constitutum fuerat, sibi dari deposcunt, Ad hæc apostolicus: *Si præsumitis*, inquit, *vos*

ipsi propius accedentes tollite illud. At illi simul appropinquantes, beati viri corpus et ossa non videnda viderunt. Continuo, mirabile dictu, quasi mortui ceciderunt. Unde omnes qui aderant tantus terror invasit ut jam ulterius prope ad tumulum accedere non auderent; seseque indignos arbitrabantur qui tanti martyris corpus vel a longe videre debuissent. Neque enim leve est oculis carnis eos velle videre qui jam in illa cœlesti gloria cum Christo regnant. Venerabilis igitur papa cujus jam sæpe mentionem fecimus, ferens corpus beati protomartyris Stephani, postquam ad tumulum accessit, continuo beatus Laurentius congaudens adventui fratris in unam se colligens partem, non quasi hospiti sed velut coheredi, medium ei sepulcrum divisit. Et merito commune possident sepulcrum qui nihil proprium in hac vita habere dilexerunt. Illius quippe congregationis beatus Stephanus dispensator fuerat, de qua in Actibus apostolorum legitur quod nemini licebat aliquid habere proprium, sed erant illis omnia communia. Sed nos quid jocundius quidve decentius in hac tanta talique copula decantare et psallere possumus quam illud Davidicum (*cod.* Daviticum): *Ecce quam bonum et quam jocundum habitare fratres in unum?* Habitant equidem in unum etiam corpore fratres quibus fuit et est mens et cor et anima una, quibus unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis.

12. Post hæc autem beatus papa Pelagius fundens orationem ad Dominum et deprecans martyres pro his quos superius quasi exanimes cecidisse diximus, quoniam temerario ausu ad tumulum accedere præsumpserant, pristinæ eos restituit sanitati. Sed quid profuit eos tam cito ad salutem reverti, quibus mors tam proxima imminebat? Nec unus quidem superfuisse dicitur qui infra x dies ex hac vita non migrasset. Hoc autem cur acciderit, ignoramus. Occulta enim sunt judicia Dei. Unum tamen scimus quoniam nemo ulterius, non dicam de transferendo, sed nec de videndo quidem beati Laurentii corpore locutus est. Quippe, quod valde mirabile est, quidam etiam ex amicis imperatoris, quoniam solum transferendi assensum præbuerunt, donec tumulus clauderetur quasi phrenetici debachantes huc et illuc quadam insania ferebantur. Unde factum est ut nemo in tota urbe inveniretur qui vel transferre vellet vel transferre volenti auxilium daret. Et ego quidem arbitror quod, nisi hæc talis necessitas incubuisset, hodie Roma Laurentium non haberet. Postea venerabilis papa magna cum diligentia clauso sepulcro, ne hoc tantum negotium oblivioni traderetur, volens in posterum per omnes generationes commendari memoriæ, hæc quidem suæ compositionis carmina tumulo superaddidit:

Hic duo sanctorum requiescunt membra virorum:
Stephanus est alter, sibi par Laurentius atque (*forsan pro* alter.)
Istorum meritis scandamus gaudia Christi,
Et cœli cives semper vivamus in ipso
Qui cum Patre Deus regnat per secula cuncta.

Hæc autem Lucius, sanctæ Romanæ ecclesiæ archidiaconus, quemadmodum præsens vidit et audivit brevi sermone conscripsit. Amen.

DE EODEM S. STEPHANO. (Cfr. supra, pag. 36, 66°.)

Incipit relatio de miraculis ejusdem prothomartyris.

1. Anno Dominicæ incarnationis ducentesimo quadragesimo III, postquam Diocletianus sibique collega Maximianus, imperiali dignitate deposita, pro persecutione in Christi nomen facta impiissimam vitam, digno mortis exitio pessumdati, etiam deposuerunt, Maxentius, et carne et moribus Maximiani filius, Romanum invasit imperium, ex decreto senatus. Eodem itaque tempore in Aquitaniæ et Britanniæ partibus cœperat se rex regie exercere Constantinus, ex Helena Constantii filius, licet paganus tamen pietatis actibus nec non totius honestatis informatus, sicut decet et assolet esse in regibus. Maxentius vero e contrario in omnibus fœdior patre fœdissimo, libidinis nota omnique vitiorum malitia deturpaverat imperium, quod est in principibus perniciosissimum. Unde principes romani cum plebis scito justissime contra illum irritati suæ commotionis cœperunt habere participem Constantinum, in supradictis terrarum plagis regnantem. Hac necessitate Romam cœpit tendere, ut rempublicam eriperet a tyranni pernicie.

2. Interim mater Helena filii prosequebatur vestigia, quia pugnaturus erat valde sollicita. Sicque sequendo filium pervenit Vesontium. Hæc enim metropolis in confinio montium sita est Jurensium. Quæ a primatibus loci utpote mater regis suscepta honorifice, post multa habita cum eis necessaria colloquia, cœpit ab eisdem inquirere cujusmodi et quali esset locus tutus religione. Quibus respondentibus ad ritum romanarum cæremoniarum: *Multorum deorum protectione*, prosecuta est, ac si non curando, an ibi essent aliqui cultores fidei christianæ. Erat enim Deo devotissima, et occulte christianissima. Cumque ab astantibus didicisset ibi aliquos adesse, interstitiata ad breve de christianis ratione, quasi sub obtentu mirandæ civitatis situm videndi pervenit ubi locorum manebant christiani. Tunc nacta opportuna occasione episcopum alloquendi, manifestavit se illi verbis et maxime lacrimis christianam. Quo viso episcopus verbis divinis amplificavit lacrimarum illius sacrificium.

3. Enimvero tunc temporis Hilarius antistabatur Crisopolis. Quem quia sanctissimum viderat beata Helena, exorabat rogare sanctum Stephanum ut interveniret apud Dominum pro salute sua et regni in manu filii prosperitate; et si per ejus fieret orationem filio victoria de tyranno, non solum in ædificiis loci illius sed etiam ubivis locorum ecclesiam adjiciens illi se ad posse quæsituram et mittere ex suis reliquiis. Didicerat enim a prælibato episcopo in honore sancti Stephani loci basilicam, nec esse ibi suarum reliquiarum aliquam particulam. Tandem deposita construendæ ecclesiæ pecunia discessit, episcopi conviario et Dei benedictione munita. Interea Constantino imperatori sollicito de conflictu Maxentii secum pugnaturi, affectus enim vera jam philosophia, nulla ejus erat in diis confidentia, ut ecclesiastica refert historia apparuit Dominus per visum, eique dixit ostendens signum crucis: *Hoc erit signum tuæ victoriæ et salutis.* Qua visione confirmatus

congressus est juxta pontem Mulivium Dei adjutorio, et potitus est victoria cœlesti judicio, in flumine necato Maxentio. Itaque in cunctis Dei præcedente gratia, Constantino cessit totius imperii monarchia.

4. Beata vero Helena ardore fidei adiit civitatem Hierosolimam, adorare in loco sollicita ubi erant pretiosa Domini vestigia. Tunc itaque tempestatis Macharius erat præsul Hierosolimitanæ sedis, vir per omnia beatus, nomine, voluntate et opere. Igitur prudentissima Helena in omni providentia post oblatam visitationem sanctorum, et loci imploravit clementiam episcopi, si essent apud se aliquæ protomartyris Stephani reliquiæ, ut dignaretur sibi aliquid earum concedere, non immemor horum quæ promiserat Vesontii Deo et sancto Stephano. Cujus supplicationibus clementer annuens patriarcha Macharius, obtulit cum dalmatica partem sanguinis Stephani protomartyris. Factaque ibi quæstione crucis Dominicæ, et cum clavis inventa (*cod.* inventæ), disposuit reverenter de his, ut legitur in historiis, suffulto in loco Macharii defuncti episcopo Quiriaco.

5. Sicque repedavit Romam quam citius, ibi enim tunc temporis se agebat in sceptris filius suus Constantinus, mittens inde sancto Hilario Vesontium pretiosissimum quod secum detulerat pignus reliquiarum. Insuper præparat Romæ classem, quæ deducta per mare evasit Arelatum. Inde emetito Rodani fluminis ascensu, ingressa Ararim pervenit ad aquam cui nomen est Dubis (*cod.* Danubium) : hæc est enim decurrens juxta urbem Vesontium. In quam paululum ab Arari emersa, cum ascendendo laboraret, est dissoluta compagibus, ignotum qua occasione et casu. Sicque onus navis in fluminis gurgitem non comparuit mersum. Erat enim onusta marmore et ære et diversi generis materia (*cod.* materiæ) quæ erat necessaria construendæ ecclesiæ. Sed et beata Helena ad hoc reparandum longum non habuit vitæ terminum. Statim utique in Domino quievit fine beato. Unde qualiter misit Vesontium protomartyris Stephani prætaxatum reliquiarum thesaurum et de bona ejus voluntate in loci istius restauratione, quia quantum fuit competens in præsentiarum diximus, nunc quemadmodum brachium ejusdem protomartyris sit deductum ad hunc locum propalemus.

6. Præterito igitur multorum dierum curriculo, anno Dominicæ incarnationis trecentesimo LXIIII^{to}, regni vero Honorii VII°, facta est beati protomartyris Stephani corporis revelatio. Ignotum vero erat omnibus quo loco tempore martyrii fuerat reconditus, ut testatur scriptus de inventione illius libellus. Quo audito imperator Honorius..... *(pergit cod. ut tom. cit., p. 101)*..... Postquam vero beatus Stephanus cœpit in hac urbe patrocinari, non est possibile alicui referre volenti quanta per eum Dominus hic miracula dignetur assidue operari. Sed labente temporum intercapedine alia sunt in persecutione Ecclesiæ subducta hominum memoriæ, quædam litteris tradita cum ipsa ecclesia igne consumpta, multisque aliis modis per corruptionem religionis perniciata; sed tamen aliqua pars horum, licet minima, et litteris et relatu fidelium nobis cognita, et ætas humana hic loci defluens cernit hæc, usuque suo et seculo et transmittet suis posteris retinenda narrando, de quibus volenti scire est invenire facile.

7. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus in

reliquiis beati Stephani protomartyris, quas in Hierosolimæ confinio diu latentes probabili prius revelatione glorificavit, deinde per orbem terrarum plerasque ecclesias cum his copiosa largitate sublimavit, ut inventa martyris integritas particulatim imminuta universalem confessionem plebis christianæ illum ubique venerantis coadunaret in Christo. Ex his reliquiis civitas Vesonti incomparabiliter dives, quæ olim romanorum principum sedes principalioribus et almis pollebat, nunc in brachio beati Stephani longe potentior, lapsis præbens veniam, ægrotantibus signorum efficaciam, hosticam rabiem diaboli triumpho Christi eliminat. Nec mirum si Stephanus liber et ereptus de carcereo nexu corporis precibus apud Deum miracula facit, qui inter ictus lapidantium faciebat prodigia et signa magna in populo. Ineffabilis pietas omnipotentis Domini servis suis hanc mercedis vicissitudinem proposuit, ut qui in terra viventes meritis suis exigentibus magna faciebant, ipsi post mortem carnis majora facerent, unde fides christianæ religionis robur acciperet eos veraciter vivere in cœlis per quorum mortua corpora vivida virtus signorum patescit in terris. Unde ex infinitis beati Stephani miraculorum beneficiis unam rem memorabilem narrare opportunum duximus, quæ infra suæ magnitudinis spatiositatem reliquorum signorum continere videtur veritatem.

8. Tempore Prothadii archiepiscopi surrexerunt quidam de synagoga diaboli, insidiantes brachio beati Stephani quod in ecclesia Vesontiensi, ut superius memoratum est, auro et gemmis præparatum populum suffragia quærentem a periculis instantibus defendebat. Bene igitur brachium beati Stephani auro includitur, merito arca testamenti circumtecta ex omni parte auro, a fidelibus Christi gemmis adornatur, in qua urna aurea habens manna ad monimentum benevolentiæ Dei servatur. Vere arca testamenti Stephanus erat, qui testimonium fidei Judæis sævientibus præferebat, cujus sapientiæ et spiritui nemo resistere poterat. Urna aurea habens manna cor Stephani, plenum munditia et caritate divina, exemplo Domini Salvatoris persecutores suos sanctissimis precibus reficiebat, ne perirent. Latebat brachium Stephani in auro, thesaurus in thesauro ; thesaurus desiderabilis et indeficiens in thesauro transitorio occultabatur. Metallum primum et præcipuum primo martyri congruebat, ut subrubeus color auri roseum cruorem martyris præsentaret. Videntes autem hæc quidam fures et latrones dissecabantur cordibus suis et stridebant dentibus cupiditatis in aurum. Quadam vero nocte cum custodes plus solito vagi aditum ecclesiæ negligenter observarent, ingressi fures brachium sanctum corripiunt, exeuntes totum aurum eruunt, brachium nudum sancti martyris in flumen quod vocatur Dubis (*cod.* Danubius) projiciunt, magis tanti sacrilegii facinore quam auri pondere gravati recedunt, nec minori vesania obligati qui Stephanum vexabant quiescentem quam illi qui eum lapidabant viventem. Pergite, latrones, aurum subducite nobis, brachium contemnite Stephani. Nihil est commune vobis et illi. Quæ enim conventio Christi ad Belial, aut quæ societas luci ad tenebras ? Eo tenore impunite abite quod amorem auri prætulistis brachio Stephani, quod abhorruistis cunctorum martyrum decorem propter auri fulgorem. Vilescebat vobis Stephanus propter aurum, possessor propter possessionem, dominus propter servum, margarita propter sterquilinium. Species

decepit vos, et avaritia subvertit cor vestrum. Ite, continentes aures vestras, ne audiatis miraculi famam sequentem. Assimilate vos prioribus adversariis Stephani, quia simili more bachamini ut illi. Ejecistis Stephanum extra civitatem, despoliastis eum tegmine auri quo a fidelibus fuerat indutus; collisistis illum ad lapides fluminis, immersistis eum acervis arenæ, et pro tantis contumeliis insultantes ei recedebatis.

9. Nunc vero locus est aperire virtutis immensæ gratiam qua Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, martyrem suum dignatus est glorificare. Projecto brachio in fluvium, illico ...... *(pergit cod. ut tom. cit., p. 133)* ...... valebat. Ecce verus Israelita, in quo dolus non erat, in mediis aquis siccam stationem cum divino lumine obtinuit, velut olim populus Dei mare Rubrum siccis vestigiis pertransivit, cui nubes lucida per diem et columna ignis per noctem ministravit. O admirandam potentiam Dei in antiquo populo! O prædicandam ipsius gloriam in Stephano, cujus meritis natura mutata flectitur ad obedientiam. Creatura legem suam propter creatoris famulum deseruit; brachium sanctum aqua circumfluens non humectavit. Frigiditas undosa calori ignis nullam contrarietatem demonstravit. Splendorem sancti luminis non obscuravit nebulosus impetus fluminus, ut miles Christi insolito et memorabili beneficio remuneratus post cœli præmia exaltaretur in terra. Non erat incongruum inter latronum persecutiones beato Stephano sponte aperiri (*cod.* aperire) secreta fluvii, cui inter lapidantium manus aperti sunt cœli. Dic iterum, beate Stephane: *Ecce video fluctus apertos et Jesum stantem a dextris virtutis Dei ne commovear. Qui eripiat me de luto ne infigar (cod.* infiger), *et liberet me ab his qui oderunt me et de profundis aquarum.* Non enim licuit denuo Stephanum perfundi aqua, quem perfudit inter acerbos lapides sacri sanguinis unda. Qui lotus est non indiget ut lavet, sed est mundus totus. Qui semel lavit stolam suam et candidam fecit in sanguine Agni, non valet ulterius ulla illuvie contaminari.

10. Dum igitur tale obsequium reliquiæ sancti martyris divinitus haberent, piscatores supervenerant, et videntes brachium sanctum inter aquas cum luminis claritate in sicco positum, nimio stupore gravati in ripa consederunt, et de causa incognita valde mirabantur, ignorantes quid sibi tam manifestum prodigium vellet. Felices piscatores, felix venatio vestra. Non incassum laxastis illa nocte retia vestra in capturam, qui talem meruistis circumcingere prædam. Præda sancta, præda gloriosissima inventa est a vobis, dulcior rhombis *(cod.* rumbis) et echinis atque cunctis piscibus maris, immo pretiosior omnibus divitiis terrenis, qui inter primitias martyrum triumphat in cœlis. Sedete custodientes vestrum dominum, annuntiate populo miraculum, indicate viva voce quod non tacent muta elementa, ut non desit Stephano testimonium ab omni creatura. Scribantur hæc in generatione altera et populus qui creabitur laudabit Dominum. Interea quæstio facta est in ecclesia sancti Stephani de brachio ipsius. Quo non invento, a furibus sublatum esse per totam civitatem sine mora vulgatum est. Unde maximus oriebatur tumultus populi lamentantis et dicentis nihil sibi restare præter mortem cum vitam suam in brachio Stephani perdidissent. Quem tumultum ...... *(pergit cod. ut tom. cit., pp. 133, 134)* ...... reliquerunt. Videbant omnes qui erant in concilio Vesontiensi

brachium Stephani et intuebantur illud tanquam vultum angeli stantis inter aquas. Mox universus clerus cum populo, urbani, suburbani et omnes qui erant in circuitu convenerunt cum letaniis et hymnis et in maxima aviditate sumentes brachium beati Stephani in ecclesiam ipsius unde sublatum est cum gaudio inenarrabili reportabant. Lumen vero quod in aqua ante sacras reliquias videbatur, sublatis illis ulterius non comparuit.

11. Parum minus gaudium erat populis de redeunte brachio quam si integrum Stephanum redeuntem de cœlo corporaliter viderent in terra. Nemo querebatur de sancti brachii perditione, quia commune gaudium erat omnibus de ejus inventione. Reperta salus abolevit præteritum dolorem, inventum lucrum vicerat antecedens damnum, gratuita misericordia mitigavit ingrata flagella. Sic patriarcha Joseph distractus atque venditus, postquam agnitus et inventus est gaudium populo suo faciebat. Sic in Evangelio drachma perdita et inventa vicinas mulieres gratulari docebat; sic ovis quæ perierat in humeris reportata gaudium magnum convocatis amicis attulerat. Nunc, beatissime martyr, nos famulos tuos in peccatis perditos et errantes ac deceptos ab hoste maligno defende; extende brachium tuum et libera animas nostras ne pereamus. Afflicti pro peccatis nostris, domine sanctissime Stephane, lacrimabiliter oramus per sacros lapides tuo sanguine pictos, per cœlos tibi apertos, per Jesum stantem et te adjuvantem, per sanctissimam orationem quam effudisti pro inimicis, per beatum spiritum tuum quem orando intulisti cœlis, per sanctum brachium tuum nobis a Deo redditum, ut posisit genibus intercedas pro nobis, famulis tuis, sicut intercedebas pro Judæis, dicens : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt.* Ignoramus quid agere debeamus; sed tu, martyr invictissime, martyr piissime, testis Christi idonee, interpres divinæ legis, signifer æterni regis, radix martyrii, flos vernalis, messis primitiva, incitamentum fidei, ardor caritatis, patientiæ speculum, dignare pro nobis peccatoribus intercedere ad Dominum, ut sancti brachii tui miraculo a criminum nostrorum torpore excitati in bonis operibus vigilemus et post terminum hujus vitæ obdormiamus tecum in pace, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

12. Aliud miraculum beati Stephani narrare ad commendandam boni operis perseverantiam opportunum videtur. Erat quidam vir ..... *(pergit cod. ut tom. cit., pp. 134, 135)* ..... peregit. Vere pius et misericors Deus, qui Abacuc prophetam, sanctum Danielem visitantem, in lacu leonum per capillos illæsos transportari fecit, ipse hunc virum religiosum visitantem Stephanum ad laudem et gloriam nominis sui de faucibus mortis dignatus est subtrahere : cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

13. Est et aliud beati protomartyris miraculum quod non minus placeat ad audiendum fidelium devotioni memoriæque condendum religiositatis et fidei, quod Dominus Jesus dignatus est facere per meritum martyris sui. Fuit igitur vir ..... *(pergit cod. ut tom. cit., pp. 136, 137)* ..... egit. Sicque denuo sancto brachio a quo sibi ignoranti salus fluxerat signatus, cum omni prosperitate cœptum iter peregit. Sane

clemens ac propitius Deus qui infirmos in plateis positos umbra Petri obumbratos ad laudem sui sanari permisit, hunc virum fidelem sancto brachio in confessione sui nominis lapidibus contrito signatum ad augmentum suæ gloriæ liberari constituit: cui laus et imperium in secula. Amen.

DE S. CORNELIO PAPA. (Cfr. supra, pag. 44, 107°.)

Passio sancti Cornelii papæ et martyris.

1. Clara nobilitatis lampade antiquitus illustravit Romam Adamanorum prosapia, de cujus filiis quasi hereditario jure nobilissimi rectores eligebantur ad apostolicæ sedis gubernacula. Ex hac gloriosus pontifex Dalmatius, ex hac fuit oriundus cujus hodie martyrium celebramus, venerabilis papa Cornelius. Hic igitur utriusque parentis nobili exortus procreatione, nobiliori aquæ et Spiritus nativitate adoptatus est filius sanctæ Dei ecclesiæ. Qui paternæ maternæque dilectionis diligenti cura nobiliter educatus, cum juvenilis animus in virilis raperetur intelligentiam sensus, spiritualis collocatur in gremio matris, sanctarum Scripturarum nutriendus alimentis. Eruditoribus ergo christiani dogmatis humilem pius auditor auditum præbuit; donec divinarum et humanarum scientia litterarum doctor doctorum eruditissimus claruit. Adeo enim cor ejus respexit auctor divinæ gratiæ inspirationis ut meritorum virtute et christianæ legis auctoritate per omnes ascenderet ecclesiastici gradus ordinis.

2. Tunc temporis per multa tormentorum genera martyrii palmam obtinuit sacerdotalis vir Fabianus, qui Romanæ naviculam ecclesiæ inter furentis perfidiæ procellas post beatum Petrum rexit vigesimus primus. Quatuor autem dies vacavit cathedra pontificalis. In cujus intervalli spatio Cornelius acclamatur dignus apostolici honoris. Ergo annuente utriusque sexus plebe, maxime autem clericorum ordine, successor ordinatur pontificalis vicariæ. Pontifex ergo a Deo factus, boni pastoris vice commissum rexit ovile, et non sine periculo sui sæpe incurrit laniatores gregis Dominici.

3. Episcopatus sui diebus, Novatus quidam, hæresiarches Novatianorum, ecclesiæ tranquillum turbavit statum. Qui dum alios animarum salute laboravit privare, semetipsum præcipitavit in abyssum perditionis æternæ. Hic igitur Novatus velut inter triticum zizania, inter summi capitis latuit membra, et pullulantem fidei frugem nequitiis suis adeo cupiebat vitiare, ut messis tempore secum inextinguibili combureretur igne. Sociavit se quidem matris ecclesiæ filiis, sed falsi nomine fratris, utpote nativitate aquæ et Spiritus legaliter minime renatus. Carnaliter igitur editus mundo, distulit renasci spiritualiter in Christo, indignus utique christiani nominis honore sublimari, qui futurus erat filius diaboli. Cum autem in juvenili positus ætate ab immundi spiritus gravaretur vexatione, et aliquantum temporis apud exorcistas consumpsisset pro illius curatione, corporis ægritudinem adeo incurrit gravem ut desperationi esset vivere. Unde, ne de mundo transiret

paganus, in infirmitatis lectulo a circumstantibus est pro necessitate aqua perfusus. Non autem plenarie meruit sacramenta baptismatis percipere, quia nec linitus chrismate nec baptizatus est sub trina divini nominis invocatione ; et ideo mundum vas sancti Spiritus non meruit esse.

4. Cum autem in id voluntatis animum figeret ut ad presbyteratus gradus ascenderet, et tunc temporis episcopus cui erat privatæ dilectionis, ei annueret, omnis clerus et plurimi christianæ legis prohibuerunt laici, dicentes minime dignum honore presbyterii, qui positus in lecto pro necessitate consecutus non sit plenam gratiam baptismi. Episcopus autem primo petiit id licentiæ in hoc uno sibi concedi. Deinde, quasi libera utens potestate, contra omnium voluntatem honore sacri sublimavit eum officii. Tandem presbyter auctoritate, multa fidei contraria dogmatizabat in urbe Roma, et per se suique sequaces erroris repugnanti sibi Cornelio multa moliebatur adversa. Cum enim inter missarum solemnia sacerdos indignus populis sacræ communionis dona distribueret, accipientium manus tenebat, nec prius eos eucharistiam gustare permittebat, quam unusquisque per ea quæ tenebat in manibus sacra sibi juraret quod nunquam se relicto ad Cornelium remearet. Præterea, quasi quadam perfectionis suæ elatione tumidus, spem recuperandæ salutis, etiamsi digne pœnituissent, eis adimebat penitus qui, positi pro Christo in certamine, suppliciorum immanitate fidei negatæ inciderent lapsus.

5. Cornelius vero nolens hujus erroris contagione Dominicas oves diutius pollui, sacerdotale concilium in urbe Roma fecit congregari, sexaginta scilicet episcoporum, totidem quoque presbyterorum cum plurimis diaconorum. Præterea etiam de hac re magnam deliberationem fieri mandavit per singulas provinciarum. Omnium igitur decreto statuitur Novatum cum his qui eum sequerentur, quique ad istam inhumanam nihilque fraternæ caritatis habentem declinassent sententiam, alienos fieri ab ecclesia : lapsos vero in certamine pœnitudinis medicamine foveri. Has et alias diabolicæ perversitatis paleas de Dominica purgavit area sacerdotalis auctoritas, ut in summi patrisfamilias apotheca sanctæ fidei purissima cumularet grana. Plebis nempe commissæ sollicitus, animarum invigilavit utilitatibus. Monuit creditos curæ suæ ut, exuti veterem, qui secundum Deum creatus est novum induerent hominem, et præcincti armatura Dei fortiter resisterent insidiis diaboli. Monuit eos ut, ab hoc conversi quod a semetipsis facti sunt per culpam, in id reformarentur quod a Deo facti sunt per naturam, scilicet ut ultra non obedientes peccato quasi servi, reconciliarentur Deo quasi filii. Monuit eos ante mentis oculos revocare quantum se pro eorum exaltatione reparator humani generis dignatus est humiliare, et ne animas pro quibus suum sanguinem fecit pretium, in alienum traderent dominium. Mutavit vitia in virtutes et de terrenis hominibus fecit cœlestes : mutavit superbiam in humilitatem, avaritiam in largitatem, luxuriam in castitatem, odium in dilectionem, ceteraque quibus exterior mortificat interiorem in utriusque commutavit salutem. Indigentiam pauperum supplevit, esuriem pavit, sitim recreavit, nuditatem vestivit, infirmitatem visitavit, captivitatem liberavit, orphanis et pupillis paternitatem, viduarum lacrimis impendit consolationem.

6. Ea tempestate Romanum imperium tenuit Decius, tyrannus tyrannorum, qui, quasi leæna raptis catulis, furuit [1] in christianæ religionis cultores. Maxime autem armavit eum insania in clericorum ordinem, quod per eorum auctoritatem noverat christianam roborari fidem. Regalis aures impietatis pulsavit sacerdotalis fama pietatis, et, quasi ruina sui forent imperii, bonis invidit actibus Cornelii. Sitiens sanguinem discipulorum, cogitavit a schola segregare magistrum, ut, dum grex erraret sine pastore, liberius posset eum raptor invadere. Instigatus cor diabolica persuasione, cum ministris sacerdotalis officii præcepit beatum papam Cornelium Centumcellis exiliari, dum locus vacaret tantam personam publice audiendi. Implevit satellitum cura quod tyranni coegerunt jussa. Flevit autem tanti patris exilium desolatio filiorum, quod servus deerat prudens in domo Domini, qui erogaret familiæ mensuram tritici. Qui causa timoris christianam tegebant fidem sub chlamyde gentilitatis, quasi ad idolorum culturam gratia revocandi, licitum habebant palam eum adeundi; qui autem christiani coram profitebantur, ab eis pro persecutoribus clam visitabatur. Alii vero quorum carceralis custodia longos paraverat crines, et adhuc in agone inimicorum durabant victores, miserunt ei scripta confortationis quibus roboraretur patientia militis Dei.

7. Scripsit etiam ei beatus Cyprianus, pontificatu Carthaginis infulatus, gloriosa multorum sanctorum certamina, quæ viro Dei ad confirmationem animi forent exemplaria. Scripsit ei cujusdam Celerini inaudita tormenta, quæ viriliter sustinuit pro catholicæ fidei confessione gloriosa. Hic igitur de quo loquimur Celerinus, lectoris officio functus, cum prædicto Novato de neganda lapsis pœnitentia prius firmaverat manus. Deo autem cor ejus visitante, recognovit se cum magistro erroris a via veritatis deviasse, et pœnitentia ductus, quod prius damnaverat, cœpit lapsis condolere, et quanto potuit pœnitudinis medicamine infirmos curare. Hujus etenim tanta fuerunt adversus antiqui serpentis ministros certamina, ut merito fierent aliis Christi confessoribus exempla. Ideo autem de hujus patientia scripsit Cyprianus Cornelio, ut episcopalis erubesceret persona cedere tormentis, cum audiret superari non potuisse minoris clericum ordinis. Sanctam fraternæ caritatem consolationis invidus satelles detulit ad Decium et furentis belluæ crudelitatem totam convertit in Cornelium.

8. Anxie tulit duos magnæ auctoritatis præsules altrinsecus scripta mittere, timens eorum epistolis aliquam adversus se seditionem concitari. Festinavit igitur venerabilem papam tormentis opprimere. Unde et præcepit eum suæ adesse præsentiæ. Sistitur ei in Tellude, noctu ante templum Palladis. Quem et aggreditur effera mens his verbis : *Hoc definitionis animo fixisti, ut nec motus deorum incurrere nec tormentis terreri paveas, et publicæ rei contraria accipias scripta et dirigas.* Ad hæc vir sanctus : *Quos*, inquit, *mihi nominas, deorum iram non timeo, quoniam, cum ipsi nulli sint, nullam esse credo : aurum tuum et argentum vel cujuscumque generis metallum in varias formas conflatum quanam ratione lætum potest esse vel iratum? Vacua sunt simulacra, manibus hominum composita :*

[1] *manu recentiori in marg.:* Eodem modo posuit præteritum hujus verbi furo, furui, Sedutius in suo libro, licet non sit in usu.

humana quidem habere videntur membra, sed non est in eis spiritus a quo concipiatur ira vel lætitia. Qui timent tales irasci deos, studeant semper habere placatos. Si Martis tui simulacrum vitalis auræ vacuum, non dico ut hominem, sed ut muscam irasci crederem, tecum stulte saperem. Quid autem indignaris me tormentis non terreri, quem servum suum protegit armatura Dei, sub cujus protectionis clypeo adeo sum securatus, ut non timeam quid in me exerceant afflictionis? Possunt huic quidem corpori, utpote terrenæ compagini, ad horam carnalem infligere dolorem; sed, quæ melior est portio rationalis creaturæ, nullum animæ valent incutere timorem. Roboratur enim interior unde infirmatur homo exterior, et exterioris tortura interioris fit gloria. Emicat enim cruciato corpore liber spiritus ante sui tribunal judicis, divinæque retributionis munere obtinet sibi victoriæ palmam, et defunctæ seculo carni perpetuæ immortalitatis vitam. Hoc quia præstant proficui, non sunt mihi tormenta timori.

9. *Quod autem arguis me in publicam rem criminis, quod regiæ potestatis hominem non decet, mentiris. Quæ enim accepi scripta, Domini mei Jesu dictavit corona. Est mihi ab ipso tradita sanguine suo redemptarum animarum cura: est mihi curandum ne devoret eas invidi omnium bonorum invidia. Video mihi commissas oviculas tuis tibique similium patere morsibus luporum, ideoque ego et alii sanctæ pastores ecclesiæ invigilamus defensioni earum. Video infelicium plurimos hominum per incredulitatem ad æternæ perditionis interitum tendere, quos vellem per christianam fidem in æternæ salvationis gaudium revocare. Hæc mihi aliisque servorum Dei hactenus fuit causa scriptorum. Hæc nostri sollicitudo non est publicæ rei destructio. Cujus culpæ nos arguis, tu, miser, justius culparis. Populum Romanum, quem vellem creatori suo per fidem restituere et cum ipso cœlorum gaudiis perfrui sine fine, tu laboras diaboli corpus tecum efficere et cum ipso capite vestro in profundum inferni dimergere. Hæc tui sollicitudo communis utilitatis est damnatio.*

10. Cæsar adversus Cornelium iræ commisit animum, nec plures passus est sententias in suas proferri contumelias. Protractis timuit eum tormentis vexare, ne vel christiana plebs vel parentum nobilitas tanti patris injurias armaretur vindicare. Præcepit itaque, ut cujus esset derisor, Marti duceretur orator; et, si contemneret sacrificiis placare Martem, gladio moriturus inclinaret cervicem. *Gloria sit Christo*, sacerdos respondit; statimque ad cruentam aram gressum convertit. Sed in medio viæ divinitas dignata est demonstrare quid vir qui duceretur ad jugulum quiret impetrare. Unus enim ex his qui eum ducebant militum propriæ compassus est uxori, quæ in paralysis lectulo jam consumpserat quinquennium, oravitque Dei servum ut monstraret in curatione languentis si quid possent opera divinæ potestatis. Distulit medicus sanitatis opem et orantis voluntatem, donec perveniretur ad Arcum Stillæ, quo mansionem faciebat indigens medicinæ. Ibi Cerealis in sui verbum assumpsit turbam commilitonum, pariterque descenderunt in humiles preces ante Cornelium.

11. Intelligensque vir Deo plenus per unius semen multiplicari posse plurima fidei grana in Domini messem, cum duorum presbyterorum et unius diaconi comitatu quam visitare rogabatur ingressus est domum, et a quo procedit omnis sani-

tas animarum et corporum, visum cum voce ad summum levavit medicorum : *Salus*, inquit, *in te sperantium, sine quo nihil est validum, qui, cum sis perenniter in temetipso firmus, nostram infirmitatem visitare misericorditer es dignatus, ut nostræ languorem mortalitatis tuæ curares virtute immortalitatis : sicut cæco quos natura et nativitatis origo negaverat oculos reddidisti, ita et hujus mulieris allisa membra restitue sanitati, ut tui nominis gloria exaltetur in secula.* Sic orans qui paralyticos fovebat artus accessit lectulo, tenuitque manum recubantis in illo : erectam autem sustentans manibus, dedit hoc præcepti, cui nihil potest esse contrarii : *In nomine*, inquit, *Domini Jesu Christi reformare, Salustia, pristinæ sanitati, sintque tibi pedes naturalis officii. Non meæ, qui per me nihil possum, auctoritatis injungo tibi præceptum, sed ejus qui divinitus potens facit etiam nos servos suos potentes virtutum, cui est gloria in omnia secula seculorum.* At ubi circumstantes *amen* responderunt, artus diu contracti sanitatem pristinam receperunt, surgensque continuo Salustia Christum Deum Deique Filium cœpit confiteri clara voce. Cum hujus professionis voce baptismum cœpit orare ; et, ne desiderii moraretur effectus, quæ fuit clinica, post aquam sanis cucurrit pedibus, quam cum festinatione allatam deposuit Cornelio benedicendam.

12. Interea tantæ virtutis miraculo adaucti sunt filii matris ecclesiæ gremio ; nam compuncti corda milites prostraverunt se pontifici, fundentes cum lacrimis preces : *Magnæ*, inquiunt, *sanctitatis pater, eripe animas nostras de diabolica potestate et a quo nobis inspiratæ sunt, creatori nostri restitue.* Vir sanctus lacrimis eorum lacrimas adjungens, cœlum respexit et eis in hæc verba rependit : *Si ex toto corde, ut promittitis, Christo salvatori credere disponitis, per baptismatis sanctificationem emundati peccatorum omnium indulgentiam valebitis adipisci.* Vox ad hæc una omnium cum lacrimis dicentium : *Nos in hoc conspirationis animo*[s] *fiximus ut Christum Deum verique Dei Filium sine dubio credamus, pro cujus nomine ad fidei nostræ confirmationem tormentis subjacere parati sumus. Nam oculos cæcati tenebris ignorantiæ, non potuimus lumen veritatis hactenus agnoscere, ideoque opera manuum hominum curavimus ut Deum adorare ; nunc autem per gratiam Christi mentis intuitu illuminati, pœnitet nos erroris pristini, petimusque a te animarum purificationem, quas creatori nostro cupimus offerre sanctam et immaculatam oblationem. Ne moreris, pater sancte, nostram voluntatem, ne gladius capiti tuo imminens pœnitentium impediat salutem.* Cornelius autem nolens per negligentiam sui animarum lucra perdere, præcepit omnes flexis genibus in compunctione cordis orare, et sic veræ fidei credulitatem professos in nomine sanctæ Trinitatis baptizavit ; offerensque pro ipsis sacrificium laudis, omnes corporis et sanguinis Christi Jesu participatione confirmavit. Fama factum non tacuit, ac simul Decium invidia et ira turbavit, quod se scilicet milites sui reliquissent dantesque manus meliori regi servirent. Indignansque quod papa vitæ superesset, per quem sacrorum suorum cultura periret, dictavit sententiam, ut qui credidissent milites ducerentur ad Martis aram : cui si sacrificare contempsissent, cum Cornelio mortis supplicium subirent. Per Appiam ergo portam educti, venerunt ad locum in quo Marti funesta sacrificia consueverant exhiberi. Dumque cogerentur ab apparitoribus ei thurifi-

care, expuentes in eum, concordi voce dixerunt: *Quod numen Decius adorat, simul cum eo pereat.* Exactor vero pœnarum dure accipiens regis contumelias, in ultionem earum stringit iratus ferrum, et cum viginti uno militibus cumque Cereale et Salustia decollavit papam Cornelium, mactavitque una die viginti quatuor hostias, quas chorus angelorum suscepit divinæ majestati offerendas.

13. Erat autem quædam materfamilias nomine Lucina, christianæ fidei cultrix, cujus rogatu idem beatus Cornelius apostolorum Petri et Pauli corpora levavit noctu de catacumbis; et Pauli quidem ubi decollatus est, via Ostiensi, Petri autem posuit juxta locum ubi crucifixus est, in monte aureo inter sanctorum episcoporum corpora. Hæc cum clericis ac devota sui familia sanctorum martyrum corpora silenti nocte rapuit, et in agri sui crypta in cimiterio Calixti honorifice sepelivit. Fecit autem in pontificatu tanti sacerdotis vita biennii et duorum mensium triduique curricula, et martyrii *(sic)* consummatus in sinum Abrahæ migravit cum gloria, quo nos ejus interventione post defunctam seculo carnem divina perducat misericordia et faciat secum æternæ beatitudinis perfrui requie per secula seculorum. Amen.

DE S. CYPRIANO EPISC. CARTHAG. (Cfr. supra, pag. 44, 108°.)

Passio sancti Cypriani episcopi et martyris.

1. Sanctorum vitam scribere, sanctorum passiones annuis decursibus recolere, ejus est gloriam prædicare cujus ope fortes fuerunt in agone. Est et fidelibus documentum in operatione virtutum, dum, audito certaminis labore et considerata mercedis remuneratione, illos non piget imitari quorum gaudent interesse venerationi. Ergo vita sanctorum eruditio est universorum, utilitas audientium, fidei firmamentum; quia, dum actus inspicimus antiquorum, ad illum operis dirigimus gressum qui est gloria virtutis eorum. Merito illos ad nostræ imitationis formam proponimus, quorum sanguine ædificatur ecclesia super fundamentum quod est Christus, quo non ædificante, quorumcumque ædificia ligna, fœnum invenientur et stipula, tunc videlicet quando in novissima tuba districti examinis ventilabro mundi purgabitur area atque igni inextinguibili omnis peccatorum comburetur palea. In hoc opere falsitatis figmentum summopere est declinandum, utque liberius hujus maculæ declines vitium, recole scriptum : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Testis itaque veritatis non eget arte fucata elucubrati sermonis, nec ideo laboris sui augentur præmia, si phaleris verborum decoloretur pagina. Verum, sicut superius prælibavimus, quodcumque de sanctis secundum catholicæ fidei regulam scribitur ad nostram profecto doctrinam scribitur, ut, dum actus eorum consideramus, lubricos hujus vitæ anfractus illæsa fide pertranseamus. Nec prætereundum quod via quæ ducit ad vitam arta est et angusta, et tot tantisque tribulationibus præcincta ut merito inde territus turbaretur homo, nisi hanc sanguine suo præsignasset et consecrasset Deus et homo. Ibi leo qui circuit quærens ut devoret, insidiatur ut rapiat; ibi draco qui formatus est ad illudendum, commoratur ut

interficiat; ibi mors cruenta sinum laxat, ut quem receperit male intereat: quæ a perditionis crudelitate mon mansuescit, quæ a diræ voracitatis ingluvie non desuescit, cujus stimulus inevitabilis, aspectus formidabilis, præsentia est intolerabilis. Sed, sicut dictum est, callis istius meatum calcabilem perviumque fecit qui non suam sed Patris facere voluntatem venit, qui etiam mortem moriendo devicit, ut evidenti exemplo demonstraret quantum abjectio propriæ voluntatis et tolerantia passionis valeret [1] qui contra mundi principem certamen iniret. Unde te alloquor, quicumque ad Deum suspiras, quicumque ad vitam festinas: si fidei, spei et caritatis armatura induaris, super leonem impune ambulabis. Quem dum pertransieris, ipsum quoque leonem absque tui læsione fiducialiter conculcabis. Quod si contigerit ut tibi videas imminere periculum mortis atque pro testimonio veritatis ad deponendam hujus corruptionis tunicam expetaris, nolo super hoc quocumque modo terrearis, quia statim accipies vestem beatæ immortalitatis. Qua indutus, regem gloriæ, non sicut qui ad damnationis suæ augmentum videbunt in quem transfixerunt, sed sicuti est in suo decore videbis. Cum quo etiam quod restat mercedis, ultimum illud et vere felix præmium expectabis, ut perfectum habeas gaudium in remuneratione sanctorum. Si autem idoneus non fueris laborem ferre martyrii, poteris hoc modo consociari mártyribus, si eorum exemplo vivas, si animam tuam in patientia possideas, si in altari bonæ operationis hostia fias placationis. Ecce propono tibi quem te oporteat imitari, quo duce ad pietatis cultum debeas informari, Cyprianum videlicet, virum catholicum, sermone luculentum, operibus insignem, meritis illustrem, in cujus doctrina si forte quieveris, a somno teporis et ignorantiæ facilius evigilabis. Scripta Cypriani lege, vitam imitare. Auctorem hujus opusculi nec requiras nomine nec sequaris opere, quia, ut verius fateatur, vita inutilis, moribus contemptibilis, conversatione quoque invenitur reprehensibilis. Quod autem hæc præsumpserit, temeritatis audacia non persuasit, sed obedientiæ disciplina diu reluctantem sæpiusque parvitatem ingenioli prætendentem coegit. Si autem sermo incultus displicet, noli tamen desistere sanctorum exemplaria sedulo inspicere, ubi dum cognoveris corona martyrii quam pretioso fulgeat lapide, statim omnis compositio secularis pompæ tibi vilescit in mente.

2. Romani igitur dignitate imperii Valerianus et Galienus olim· præditi fidem illam per quam sancti vicerunt mundum, cui portæ non prævalent inferorum, quam qui habet etiam montes transfert, diabolo instigante tentabant impugnare, et quotquot hujus sectæ professores invenerant diræ mortis cruciatu maceratos suffocabant. Sed et proconsul Paternus spiritu malignitatis inflammatus incendium persecutionis tunc ceteris exagitabat ardentius, non tam cæco furore impiorum id agente quam superni respectus gratia, ut credimus, permittente, ut videlicet messis Dominicæ tritura in cœlesti apotheca inveniretur pura atque decora. Igitur, decurrente hujus quæstionis negotio atque mundum perurgente istius propositi articulo, fuit in Carthagine vir gloriosus nomine Cyprianus, quem magnæ vitæ meritum ad summum promovit gradum episcopatus. Hic primo quidem in rhetorica habebatur

[1] *subaudi* illius.

clarus ; deinde a quodam Dei cultore Celio [1], honore presbyterii decorato, ad fidem Christi conversus, nomen quoque sortitus est Celius [2]. Signo itaque salutis insignitus atque gratiam baptismi consecutus, Scripturis sanctis incubuit attentius, ut exinde sancta Dei ecclesia haberet doctorem quem ante baptismi tempora civitas habuit oratorem. Munificentia commonitus adolescentis de vita æterna Dominum consulentis, nihil sibi de suo reliquit, totius substantiæ censum in pauperes effudit, ut rebus omnibus erogatis nudum mater ecclesia susciperet quem nudum terræ mater carnea edidisset. Quo nimirum demonstravit exemplo quod perfectio christianæ religionis maxime constet in abjectione rei familiaris, et quod nemo perfecte possit [3] philosophari Christo quamdiu per desideria carnis vixerit mundo. Volumina quoque ejus sole clariora omnis sanctorum miratur et prædicat ecclesia. Qui [4] dum contemplationi mentem induxit, in Evangeliis et aliis obscurioribus dictis optime peroravit. Chronicam valde utilem composuit, exhortatorias ad multos sanctorum epistolas denotavit, in quibus ardorem fidei velut bonus athleta demonstravit.

3. Interea, ut dictum est, persecutionis incendium acrius incaluit et maxime in ordinem cleri fervor pœnalis exarsit. Cujus ardorem Cyprianus non solum non expavit, verum alios per sanctorum exemplaria in fide confortavit. Cujus salutaris eruditio facta est idolorum destructio, quia quodcumque scripsit et docuit, utilitati animarum congruum fuit. Hoc itaque Paterno, urbis præfecto, nuntiatur, auctor mali Cyprianus acclamatur, nec multo post comprehensus secretius sibi præsentatur. Igitur, beato assistente viro, de sacrificiis deorum multa disseruit. Ad confirmationem vero dictorum, decreta imperialium litterarum suis assertionibus inseruit, ut videlicet numina Romani imperii a cunctis debeant solemniter venerari. Subjunxit etiam : *Et te*, inquiens, *audivi Romanorum sacra respuentem regiisque sanctionibus renitentem. Unde tibi, utpote seni, condoleo, et te ad profectum sanioris consilii festinare desidero.* Tunc vir sanctus, fortis in fide, gloriosus in confessione, quod est in omni quæstione invictissimum, christianæ fidei confitetur signaculum : *Christianus sum*, inquit ; *Christum auferre mihi nemo poterit. Deos alios nescio nisi unum quem semper adoro, qui cœlum creavit, terram super aquas fundavit, mare cum omnibus quæ in eo versantur effudit. Huic ego die noctuque deservio, huic pro omnibus supplico ; etiam et pro imperatorum errore non sine magno cordis gemitu sæpius interpello.*

4. Proconsul autem impatiens sanæ doctrinæ, cœpit episcopum durius increpare, sperans timore mortis infringi qui verborum dulcedine non potuit emolliri. Sed videns animum immobilem mentisque constantiam immutabilem, decrevit eum religandum exilio, ut tardior pœna majus supplicium fieret peregrino. Sanctus Cyprianus : *Exul*, inquit, *non erit qui Deum in mente habuerit, quoniam Domini est terra et universi qui habitant in ea. Qui est in se credentium gloria, per se currentium semita, ad se pervenientium patria.* Proconsul respondit : *Cum autem nostro frueris consortio et participaris alloquio, dic quonam loco*

[1] *eodem modo cod. 104 de quo mox. Lege* Cæcilio. — [2] *lege* Cæcilius. — [3] *add. ex cod. 104.* — [4] *ambo codd.* quæ.

abscondantur presbyteri qui dicuntur in hac urbe commorari, quorum doctrina deorum cognoscitur esse ruina. Quibus verbis sanctus vir constantior effectus: *Cum lex,* inquit, *vestra prohibeat ut nullus se ultro offerat nec quisquam alium deferat, cognosce quam temere in regum decretis offendas, cum deorum sacra tam improbe defendas. Summe bonus pastor et humanæ salutis benignus amator inter nos qui pastores vocamur et eos qui mercenarii nominantur, ita discretionis notitiam posuisse invenitur, ut lupo veniente pastor intrepidus occurrat, mercenarius solatium subtrahendo aufugiat, et ideo per me non prodentur quicumque sub curæ meæ tutela constare videntur.*

5. Judex iterum columnam tantæ confessionis credens adhuc concuti posse procella terroris: *Pœnis,* inquit, *et verberibus a te exquiram illorum nomina qui tecum sentiunt in superstitiosæ vanitatis doctrina. Sunt etenim imperatorum decreta ut intercludantur christianis cimiteria, prohibeantur fieri conciliabula et, si quis contra hoc nititur, gladio animadvertatur.* Cyprianus adhuc intrepidus persistit: *Fac,* inquiens, *proconsul, quod tibi regia censura dictavit;* quasi hoc verbo illum redarguens ignaviæ, jussis eorum nolle citius obedire.

6. Insuperabilis igitur in religione divina exilio religatur in civitate Carabitana[1]. Sed, quia verbum Dei alligari non potuit, doctrina pontificalis ibidem effloruit magis, adeo ut grana prædicationis agro credita gentilitatis fructus darent jocundos catholicæ professionis. Neque antiqua religiosorum defuit amicitia, quorum tunc maxima convenit frequentia, ut secessum subinde suaderent et loca in quæ secederet libentissime concederent. Ipse vero hæc omnia parvipendit, mentem ad cœlos suspendit, ad calcandas passiones animatus, ad amorem martyrii inflammatus, sciens culpam non deesse[2] in agro, si oculus arantis reflectatur a tergo. Sed Dominus martyrem suum in vinculis non despexit, cujus laborem de cœlo prospexit, et Paternum, qui amico Dei pœnas paravit, jam mortuum æternis cruciatibus subligavit. Sanctus itaque præsul rediens ab exilio, secessit in horto suo, ibique cunctis ad se venientibus incessanter subministrabat verba fidei et veritatis.

7. Interea Paterno Galerius Maximus successit, adeptoque nomine dignitatis coheres efficitur impietatis. Sacrorum quoque numina huic creduntur defendenda, ut saltem morituri hominis infirmitas detineret quæ orthodoxæ fidei fortitudo deprimeret. Quorum extirpationis nota Cypriano imponitur, et maximus deorum hostis ab omnibus acclamatur. Super hoc negotio proconsuli persuadetur, optimumque videtur sanguine martyris deos placari. Nec mora, duo ex officialibus mittuntur. Vir Dei curru subvectus ad proconsulem ducitur, Helia non inferior, eunucho superior: quorum unus curru cœlo invehitur, alter de curru in Christo renascitur: unus prophetiæ spiritu plenus, alter castitatis munditia ornatus, iste martyrii gloria coronandus. De nomine ergo et ministerio inquiritur: christianum et papam se esse confitetur. Quæstio de sacrificiis agitur: vir sanctus cerimoniari jubetur, non contra principes niti, immo principum acquiescere jussioni. Sed qui

[1] *lege* Curubitana. — [2] *ita cod. 104; in cod. 98-100 corr.* deesset.

se jam Deo devovit, deos alienos non agnovit, maluitque fieri hostia quam dæmonibus ferre libamina, ut, dum solus pro Deo caderet, multa seges infidelium in Deo surgeret. Iterum de salutis suæ consultu interrogatus : *Salus*, inquit, *mea est Christus. Huic semper servire desidero, ad hunc medullitus suspiro ; quia nullæ sunt passiones hujus temporis ad gloriam quæ revelabitur in nobis. Ecce in quo salutis meæ defixi consultum. Tu vero salutis tuæ audi consilium, et crede quia bonum est Domino confiteri, cui quisquis adhæret unus spiritus est.*

8. Ad hæc proconsul infremuit, et sanctum Dei hujuscemodi conviciis alloqui cœpit : *Diu sacrilega mente vixisti et nefariæ conspirationis homines tibi aggregasti, et inimicum te diis semper præbuisti. Nec te potuit judicii severitas emendare neque imperatorum pietas ab hac insania revocare. Cum sis auctor et signifer deprehensus nequissimi sceleris, eris documentum ceteris, et ad confusionis suæ ignominiam discent in te disciplinam.* Simul cum verbis minarum sententiam dictavit in ultionem deorum. Cujus textum cum lector ex tabella hoc modo recitaret : " Tacium [1] Cyprianum gladio animadverti placet, „ vir gloriosus jam securus coronæ et laboris sui dignus mercede, oculos cum manibus ad cœlum levavit, Deo gratias proclamavit, et ita ad locum martyrii alacriter properavit. Quis putas tunc fidelium mœror, quis desolati gregis tunc fuit dolor ? Alii lugebant, alii mœrebant, nonnulli longa suspiria trahentes ingemiscebant. Tam pia erat discipulorum confusio in hujus propositi quam tristi spectaculo. Pars etiam civitatis in luctum vertitur ; vox una plangentium attollitur : *Non piget mori cum eo, quo auctore vivimus Deo.* Ita quarto milliario ab urbe, quasi aries electus, ducitur immolandus in agrum Sexti, vestigia secutus Agni qui extra portam passus est pro salute mundi. Ubi ergo ad locum pervenit, donativum circumstantibus erogavit, byrrum videlicet carnificibus, dalmaticam diaconibus, viginti quinque aureos spiculatori, sui utique pretium martyrii. A discipulis linteamina et oraria passionis prosternuntur loco, ne a terra absorberetur tam pretiosi sanguinis effusio. Ipse quidem manu propria oculos texit, et genua in terra flexit, et inter orationis verba gladio transverberatus martyrii cursum glorioso fine complevit.

9. Corpus ejus sanctissimum in proximo collocari curiositas imperavit gentilium, sed postea inde sublatum in via Mappaliensi juxta piscinas triumphaliter est tumulatum. Sic ergo principem mundi triumphavit miles invictissimus regis æterni, ab ipso percepturus coronam gloriæ, pro cujus amore fortiter stetit in agone. Cujus collaborator erat in divini verbi prædicatione, factus est Cornelio [2] socius in passione, eodem martyrii genere, eodem passionis die [3], non tamen ejusdem anni tempore. Ambo fide clari, ambo constantia invicti, ambo martyrio gloriosi, non poterant ab invicem in morte separari, qui dum viverent in carne, unanimes fuerant in Christi dilectione ; et sicut unitatem spiritus servaverunt in vinculo caritatis, ita pariter coronari meruerunt ante thronum majestatis. Ecce qui tunc despecti videbantur in tormentis, quam gloriose nunc venerantur in monu-

[1] Tascium *cod. 104. Lege* Thascium. — [2] *ita cod. 104 ;* Cornelius *cod. ex quo hic edimus.* — [3] eodem p. die *add. ex cod. 104.*

mentis, ubi eorum corpora, carne seculo defuncta, per miraculorum vivunt insignia: tunc spectaculum facti contumeliæ, nunc signaculum honoris et gloriæ: quorum memoria super omnia aromata suave redolet per seculorum secula. Amen.

IV. Codex signatus n° 104.

Membraneus, foliorum 410, formæ maximæ ($0^m,53 \times 0^m,35$), duplici colunma, lineis ductis graphide plumbea, exaratus ante medium seculum XII.

Est liber officiorum ecclesiasticorum a dominica SS. Trinitatis ad Adventum. Pars prior (fol. 3^v-230^v) exhibet officia de tempore, posterior vero (fol. 231^r-410^r) de sanctis: horum primum est de vigilia S. Joannis Baptistæ (23 junii), ultimum de S. Andrea (28 novembris). Hujus posterioris partis lectiones historicas infra recensebimus.

Fol. 1^v-3^v descriptum est calendarium totius anni; fol. 4^r cycli paschales decemnovennales Dionysii Exigui numero viginti octo, tabula festorum mobilium ac tabula indictionum et epactarum ab anno 1138 ad annum 1213. Ad annum autem 1139 adscripta est in margine hæc notula: *Isto anno perfectus est iste liber.*

Frequentes satis in priori parte codicis, rariores in posteriori visuntur litteræ initiales admodum ingentes, variis coloribus et foliorum revolutorum (raro admodum animalium) figuris eleganter decoratæ. Ceteræ litteræ initiales minio tantum signatæ, sicut et tituli. Multa passim notis musicis signata.

1° De SS. Joanne et Paulo (fol. 238^r-239^r).

Editum apud Mombritium, tom. I, in Actis S. Gallicani, scilicet ab his verbis: *Julianus cæsar captus cupiditate sacrilega avaritiam suam evangelii testimonio colorabat* (p. 4, col. 1, lin. 15) usque ad finem.

2° Passio S. Jacobi apostoli (fol. 256^v-258^v).

Edita apud Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti,* p. 516-531. — Initium tamen legitur in cod. ita: *Apostolus Domini nostri Jesu Christi Jacobus, frater beati Joannis evangelistæ, omnem Judæam et Samariam visitabat. Ingrediensque.*

3° [De S. Petro ad vincula] (fol. 259^r-261^v).

Homilia auctore Paulo diacono, edita apud Migne, P. L., tom, XCV, p. 1485-1489.

4° [De SS. Felicissimo et Agapito martyribus] (fol. 261^v-262^r).

Contractum ex Passione S. Sixti papæ II et sociorum ejus quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 6 Augusti, tom. II, pp. 140 et 141.

5° Passio SS. Cyriaci martyris et sociorum ejus (fol. 262v-265v).

Edita in *Analect. Boll.*, tom. II, p. 247-258.

6° Passio S. Laurentii levitæ et martyris (fol. 266r-267r).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed ita in cod. incipit : *Tempore illo milites tenentes beatum Laurentium archidiaconum duxerunt... teneretur* (p. 1, col. 1, lin. 20), et non paucis omissis pergit cod. : *Tunc Decius gavisus valde jnssit sibi tribunal* (p. 3, col. 1, lin. 17.)... *membra tua* (p. 3, col. 2, lin. 26). Et iterum nonnullis omm., cod. : *Tunc Decius cæsar sedens in termas* (p. 4, col. 1, lin. 18)... Tandem ultima phrasis *Et jejunaverunt* (p. 4, col. 1, lin. 2) om.

7° Passio S. Ypoliti et sociorum ejus (fol. 268v-269v).

Pars Passionis editæ apud Mombritium, tom. II. — Incipit: *Regressus Ypolitus sepulto beato Laurentio post tertium diem* (p. 1, col. 2, lin. 11). Desinit : *Reddidit spiritum* (p. 2, col. 1, lin. 8 a fine).

8° [Passio] S. Bartholomei apostoli (fol. 285v-288v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Augusti, tom. V, p. 34-38.

9° Passio S. Cornelii papæ et martyris (fol. 301r-304r).

Edita in *Anal. Boll.*, in appendice ad Catal. Bruxell., p. 80 sqq. — Hæc notanda :

Num. 3 extr., pro *Non autem plenarie meruit-meruit esse,* ita cod :

Simplex munditiis purgatur talibus undis.
Nec meruit reliqua baptismi tangere sacra,
Invehitur cœlo per quæ terrena propago.
Crismate non unctus nec trino nomine mersus,
Non meruit certe vas sancti Flaminis esse ;
Sed Christo vacuum Zabuli bibit omne venenum,
Et quantum potuit per Christi vasa refudit.

Num. 4 extr., post *lapsus*, add. in cod. :

Censor inhumane, quid legis prodiit a te?
Cur vis damnare deitas quos justificare ?
De peccante sibi dicit clementia Christi :
Non mihi mors vitæ placet ut conversio culpæ,
Non mortem cupio, peccantem vivere malo.
Obmutesce, miser, loqueris quia falsa. Magister
Christus justificat tua quos sententia damnat.
Petrus petra fuit, et petram petra negavit :
Culpam deflevit, et honoris digna recepit.
Peccans pœniteat, post fletum pœna quiescat :
Assurgetque Deo, peccando decidit a quo.

Num. 5 extr., post *consolationem*, in cod. add. :

Vir dignus meriti, studiosus huic bonitati,

Per pietatis opus pietatis vixit amicus.
Quem quia dilexit Christus, quem semper amavit,
Cujus erat doctor populis, fuit ejus amator.
Quod docuit verbo firmavit opus benefacto,
Exemploque sui patuerunt mœnia cœli.

Num. 8, inter *Ad hæc vir sanctus* et *quos inquit*, add. in cod.:

Cornelius sese responsis firmat honeste,
Nec timet insani quid terreat ira tyranni.
Ne Christum taceat, Christus sibi verba ministrat :
Suscipit e cœlo quæ vibrat tela profano.

Num. 10, pro *Gloria sit Christo-impetrare*, ita cod.:

Sit Christo melos, reddens responsa sacerdos,
Sanguine placandam gressum convertit ad aram.
In medio callis pietas monstrat deitatis
Si quid posset homo qui ducitur hostia leto.

Num. 11, pro *At ubi-clara voce*, ita cod.:

Ut respondit *amen* circumstans militis agmen,
Accelerata salus mulieris venit in artus,
Et fidei firma laudis prorupit in ista:
Christum credo Deum natumque Dei benedictum.

Num. 12, pro *Vir sanctus lacrimas-adipisci:*

Vir sanctus lacrimas lacrimis solatus amicas
Cœlum respexit et verbis verba rependit.
Vox benedicta sonat : *Mens nescio vestra quid optet :*
De sermone sonus veniat, de pectore sensus.
Si cor cum lingua fidei concordat in urna,
Credens atque Deum quem vobis prædico Christum,
Gratia baptismi purgabit crimina vestri.

Num. eodem, pro *Fama factum-cum eo pereat:*

Factum non tacuit quæ nuntia fama volavit,
Ac simul invidia Decium turbavit et ira.
Ira coquit stultum, quod miles liquerat ipsum,
Dansque manus regi serviret se meliori.
Invidia tumuit, quod papæ vita supersit,
Per quem sacrorum rueret cultura suorum.
Consilium nactus, dictavit jussa tyrannus
Credulus ut miles traheretur Martis ad ædes.
Quem si despicerent nec ad aras munera ferrent,
Cornelio socii stravissent corpora morti,
Sicque suo Marti cessassent ludere stulti.
Gloria sit Christo, respondent ore benigno.
Currunt ad jugulum, cupidi sic scandere cœlum.

Apia porta viros eduxit ab urbe beatos,
Induxitque loco coluit quem Martis imago.
In cujus vultum spuit omnis turba piorum.
Munere cum tanto cecinerunt digna profano:
Cum Decio pereat Decius quod numen adorat,
Nec locus in terris nec sint habitacula fanis.

10° Passio S. Cypriani Kartaginensis episcopi et martyris (fol. 304r-305v).

Edita in *Anal. Boll.*, in append. ad Catal. Bruxell., p. 86 sqq. — Sed deest prologus (num. ibi 1). Deinde :

Num. 2 extr., post *demonstravi*, add.:

Doctrinæ radio vir sanctus clarior astro,
Sparsit ubique jubar, Phœbeæ lampadis instar,
Terror pœnarum ne quem turbaret eorum
Quos fidei merito conjungit spes pia Christo.

Num. 4, pro *Proconsul respondit*, ita cod.:

Morbo perfidiæ sanctus dedit hoc medicinæ,
Nec tamen erexit quem mentis culpa reflexit.
Cœlitus accepti parat ut medicamina verbi,
Immitis judex responsi tela retorquet.

Num. 6 extr., pro *suo ibique-veritatis*, ita cod.:

Quo germen fidei roravit flumine verbi,
Nutrivitque novum sterili sub cespite fructum,
Semina casta serens, plantaria noxia vellens.

11° Passio S. Mathei apostoli et evangelistæ (fol. 306r-308v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed in cod. om. quæ leguntur ab his verbis : *Tunc Candacis eunuchus qui eum susceperat* (p. 2, col. 2, lin. 12), ad *loqueretur apostolus* (p. 4, col. 2, lin. 12 a fine) ; et etiam ab his verbis: *Deus noster* (p. 5, col. 2, lin. ultima) ad *indignationis offensam* (p. 6, col. 2, lin. 18). Tandem sub finem a verbis: *Zaroes autem et Arfaxar, illi duo magi.*

12° Passio SS. martyrum Mauricii, Exuperii, Candidi, Innocentii, Vitalis et sociorum eorum (fol. 311r-313v).

Edita apud Snrium ad d. 22 Septembr. — Omittuntur epistola Eucharii et prologus. Notanda insuper hæc sunt :

Num. 11 init... vitiis obsessus furebat. Ita etiam execrando ritui gentilium deditus, erga Deum cœli profanus, impietatem suam ad extinguendum christianitatis nomen armaverat ac potestatem imperialem nimia crudelitate polluerat, ut, si qui tunc veri Dei cultum profiteri auderent, sparsis ubique militum turmis, vel ad supplicia vel ad necem raperentur. Hac vero vacatione barbaris data, prorsus in religionem commoverat arma. Igitur in

Galliam ... cursus offertur, qui mole sua leniter fluens regionis ipsius gratiam propria amœnitate commendat. Transcensis...

Dein *duodecim milium* pro *octo milium.*

Ultima phrasis *(O quanta reverentia...)* om.

Num. III, *Viri in rebus bellicis-Cæsari restituebant* om.

Num. VII, *Quæ feritas-confectus est sanctorum populus* om.

Post num. IX sequitur num. XI, dein num. XII usque ad : *virtus Domini operatur ;* tunc num. X, cujus ultimo verbo *frequentamus* add. : *adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Omittuntur sic quæ cap. XII sub finem leguntur ab his verbis : *Quæ multa narranda.*

13° Passio SS. Cosmæ et Damiani fratrum (fol. 314r-316r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Septemb., tom. VII, p. 474-478. — Sed in cod. om. prima phrasis num. 1 *(Licet-festinare) ;* num. 6, *Virga tua-voluntatis tuæ* om.; tandem num. 14 sqq. omm.

14° Vita S. Hieronymi presbyteri (fol. 320r-321r).

Vita cujus pars media constat num. 30 epistolæ ad Eustochium editæ apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 394 sqq.

Prima vero pars hæc est :

Hieronymus theologus in oppido Stridonis, quod a Gothis subversum est et Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, patre Eusebio natus est. Vestem Christi Romæ suscepit puer, ibique litteris græcis ac latinis a primævo eruditus est. In arte quidem grammatica Donatum habuit præceptorem, in rhetorica autem Victorinum oratorem. Postquam vero mundanarum studium litterarum adeptus est, probatissimorum quoque monachorum habitum factumque imitatus est. Cupiditatem siquidem animi jugi calcans sinceritate, voluptatemque corporis perenni domans jejunio, plerosque bonos meliores fore suo docuit instituto. Quodam legitur tempore, dum idem Hieronymus ex more divina pandit ad legendum volumina et mortalem bibliothecæ suæ Tullium recordatur auctorem, mox cœlitus ne tales quandoque revolveret libros salutifero castigatus est verbere. Ita enim ipse de se ad Eustochium virginem scribens asserit...

Ultima vero pars hæc :

Christi itaque gratia Hieronymus ad fidem conversus litterisque græcis ac latinis atque hebraicis edoctus, cuncta Hebræorum volumina quæ canonice Veteri Testamento continentur,

vera editione in latinam linguam vertit eaque omnia commentatus est. Igitur quæ Deo adolescens voverat, hæc eidem perfecta obtulit, exhibens vitam suam sanctam, cautam, placibilem, unicam in eremo pœnitentiam. Libris præterea suis per sex et quinquaginta annos sine ullo otio apud Bethleemiticos totum replevit orbem, spiritali opere irreprehensibiliter consummatis. Octavo et octogesimo ætatis suæ anno in Domino requievit. Bethleem eum alma tenet, iterum venturo Domino offerendum. Dormivit autem beatus Hieronymus anno imperii Theodosii junioris duodecimo. Omnes autem anni vitæ ejus sic colliguntur: Ordinatus est Romæ presbyter anno vigesimo nono; vixit apud Bethleem in proposito suo annis quinquaginta et mensibus sex; omne tempus vitæ suæ implevit annis octoginta et octo et mensibus sex.

15° Vita S. Remigii episcopi et confessoris (fol. 321r-323r).

Fragmentum Vitæ auctore Hincmaro, editæ in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 131 sqq., constans scilicet numm. 1-4, num. 5 præter ultimam phrasim *(Nec incredibile...)*, numm. 10-14, duabus primis phrasibus num. 15 *(... mansuetudo humilitatis)*, numm. 109-111, num. 120 et num. 133.

16° Passio SS. Dionisii, Rustici et Eleutherii (fol. 323v-326v).

Fragmentum Passionis editæ apud Surium ad d. 9 Oct. — At codex, omissis cap. I-XXIII cum initio cap. XXIV ita incipit: *Secundam in christianos persecutionem post Neronem exercuit Domitianus cæsar, filius Vespasiani, frater vero Titi. Qui, audita fama beati Dionysii, direxit præfectum Fescennium Sisinnium, tradita...*

17° Passio sanctarum Virginum undecim milium (fol. 327r-331r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157-163. — Non leguntur in fine verba *Passæ sunt anno 238.*

18° Passio apostolorum Symonis et Judæ (fol. 332r-333v).

Edita apud Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti,* p. 603-636, seu cap. VII-XXIII. — Sed in cod. cap. XII-XX om. Contra ad finem add.:

Scripsit autem gesta sanctorum apostolorum Abdias, episcopus Babyloniæ, qui ab ipsis episcopus ordinatus est, sermone hebræo. Quæ omnia a discipulo ejusdem Abdiæ, Eutropo nomine, in græcum translata sunt. Quæ universa nihilominus ab Africano in decem libris congesta sunt per latinam linguam, a quibus ista discerpsimus, initia de primo libro et ultima de decimo, gloriam semper referentes Deo Patri per

unigenitum ejus Filium, Dominum et redemptorem nostrum Jesum Christum, cum Spiritu sancto, illuminatore animarum nostrarum, et nunc et semper et per infinita secula seculorum. Amen.

19° Vita S. Martini episcopi et confessoris (fol. 339v-344v).

Vita auctore Sulpicio Severo, edita in *Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum* (Vindobonæ 1866), tom. I, p. 109-137. — Sed, omissis prologis, incipit: *Igitur Martinus* (p. 111, num. 2). Deinde omittuntur numm. 11-22 (p. 121: *Sed ut reliquas-non ab re videtur licet extrinsecus*, p. 132, lin. 4). Vitæ addita est pars epistolæ Sulpicii ad Bassulam, editæ ibid., p. 146-151, scilicet a num. 6 *(Martinus igitur obitum suum)* usque ad finem.

20° Passio S. Ceciliæ virginis et martyris (fol. 345r-349r).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Sed in cod. incipit: *Almachius urbis præfectus sanctos* (p. 6, col. 2, lin. 5), omissis quæ præcedunt.

21° Passio S. Clementis papæ et martyris (fol. 349v-352r).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Sed in cod. non leguntur annexa miracula.

22° Passio S. Andreæ apostoli (fol. 354v-357v).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Sub finem nonnulla sive omm. sive add.

V. Codex signatus n° 135.

Membraneus, foliorum 269 (præter quatuor in fine excisa), formæ majoris (0m,375 × 0,26), duplici columna, lineis graphide plumbea ductis, exaratus ineunte seculo XVI. Singulæ paginæ plures exhibent litteras initiales minio vel cæruleo tinctas nec ineleganter ornatas figuris spicarum, foliorum et fructuum ac volutis diversi generis, quæ et ad totam vel majorem columnæ altitudinem extenduntur.

Altera in eo continetur pars Breviarii Cisterciensis, a Paschate usque ad Adventum. Cisterciensem scilicet manifestant lectiones in festo S. Bernardi (fol. 201) ex sermone S. Ambrosii desumptæ, cujus exordium ita conceptum est: *Ad sancti ac beatissimi patris nostri, cujus hodie festa celebramus...*: hæ lectiones servatæ sunt in breviariis Cisterciensibus decurrente seculo XVII typis impressis.

Ceterum, etiam in festis Sanctorum vix aliæ occurrunt lectiones quam ex sacra Scriptura et sanctorum Patrum operibus exceptæ. Hæc tantum historica notavimus:

1° In translatione S. Benedicti abbatis (fol. 173r-174r).

Excerpta ex Historia translationis SS. Benedicti et Scholasticæ auctore Adalberto, edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Martii, tom. III, p. 302 sqq.; scilicet num. 1 et num. 2 usque ad : *longe a littore Ligeris.*

In octavis vero (fol. 175v-176v) legebatur de Vita S. Benedicti auctore S. Gregorio M., quæ edita est ibid., p. 277 sqq.; scilicet ex num. 3 : *Præconio itaque eximiæ conversationis-in superni spectatoris oculis habitavit secum ;* et ex num. 4 ab initio usque ad hæc verba : *tempore orationis cœpit.*

2° Vita S. Martini episcopi (fol. 239r-243r).

Fragmentum Vitæ auctore Sulpicio Severo, scilicet cap. II, III, et cap. IV usque ad hæc verba : *cuneos penetrabo securus* (Sulpicii Severi Opera, studio Hieronymi de Prato, Veronæ 1741, tom. I, p. 6, lin. 8 p. 10, lin. 7). His annectitur fragmentum epistolæ ejusdem ad Bassulam, scilicet a verbis : *Martinus igitur obitum suum* (ibid., p. 52, lin. 5) ad : *tenuis quidem macula fuscaret* (p. 55, lin. 8).

In octavis (fol. 243v-245r) legebatur de eadem epistola a verbis : *Jam vero in obsequium funeris* (ibid., p. 56, lin. 6) ad : *cœlum dives ingreditur* (ibid., p. 58, lin. 3). His adjunctum est cap. XLIII libri I Historiæ Francorum auctore Gregorio Turonensi (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 184-186).

VI. Codex signatus n° 197.

Foliorum 238 (præter indicem et duo folia vacua in capite codicis et unum folium vacuum ad calcem), formæ majoris ($0^m,377 \times 0,27$), columnis binis, lineis graphide ductis, exaratus seculo XV.

Tituli minio signati, litteræ initiales præfationum et Vitarum alternatim rubræ et cæruleæ, sed pleræque sine ornamentis ; paucæ tamen subinde sobrie ornatæ, tres omnino (fol. 1r, 54v et 154v) paulo ambitiosius.

Fol. 237v hæc leguntur litteris rubris : " Iste liber pertinet fratribus monasterii sancti Pauli dicti Rubeævallis in Zonia juxta Bruxellam. Qui et scriptus est in eodem monasterio ac finitus anno Domini M°CCCC°LXV° in octava S. Johannis evangelistæ per manus fratris Johannis Back presbyteri donati. Orate pro eo. „

In Calendario codici præfixo, ad d. 21 Augusti annuntiatur Dedicatio ecclesiæ Rubeævallis.

Actis Sanctorum infra recensendis præmittitur in hoc codice

Historia de Assumptione gloriosæ et intemeratæ virginis Mariæ (fol. 1r-8r), accepta ex libro S. Melitonis de Transitu Virginis Mariæ, edita in Bibliotheca Patrum Lugdunensium, tom. II, parte II, p. 212-216, additis his quæ leguntur in Legenda Aurea, (ed. Dresdæ et Lipsiæ 1846) p. 510, lin. 13 *(In revelationibus)*, usque ad p. 517, omisso tamen ultimo miraculo. Sed

inter *fidelibus abscondenda* et *Notandum* (p. 510 ad fin.) ponitur visio quam habuit Habundus, monachus Villariensis, de veritate assumptæ Dei Genitricis in cœlos et adduntur tria miracula quæ non referuntur in Legenda Aurea. — Dein veniunt quæ referuntur in Legenda Aurea de decollatione S. Joannis Baptistæ (tom. cit., p. 566), addita narratione quomodo consopita fuerit lis quæ erat inter duas sanctimoniales de sanctitate SS. Joannis Baptistæ et Joannis Evangelistæ; de nativitate B. V. Mariæ (p. 585), de festo exaltationis S. Crucis (p. 605), de festo S. Michaelis archangeli (p. 642), de festivitate omnium Sanctorum (p. 718), de Commemoratione fidelium (p. 728). In fine cod. legitur homilia in festo Præsentationis B. Mariæ virginis.

Insuper ex Legenda Aurea desumptæ sunt quas continet codex sequentes Vitæ SS.: Bernardi (tom. cit., p. 527), Augustini (p. 548), Saviniani et Savinæ (p. 576), Lupi (p. 579), Mamertini (p. 580), Proti, Hyacinthi et Eugeniæ (p. 602), Mauritii et sociorum ejus (p. 628) — adjecto tamen miraculo quod Parthenopoli fertur contigisse anno Domini nongentesimo quinquagesimo, Ottone III imperante, quando sumpta est vindicta de Udone archiepiscopo, qui multa perperam fecerat. — Item Vita S. Hieronymi (p. 653); at pro illis quæ leguntur in Legenda Aurea, t. c., p. 657, lin. 11 a fine *(In quanta reverentia...)*, habes in cod. fragmentum opusculi sub nomine Eusebii editi apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 235 sqq., scilicet cap. LI, ab his verbis: *Propitius esto,* et cap. LII, omm. duabus ultimis phrasibus (ab *Hora namque carissimi patres...)*, sed additis duobus miraculis editis apud Migne, tom. cit., scilicet p. 316-320, seu cap. XX, omissa prima phrasi *(Miraculum-fore ratum)*, ac p. 306-308 seu cap. VIII, prima phrasi om. *(Magnæ-constitutis)*. Item Vitæ SS. Francisci (p. 662), Pelagiæ (p. 674), Thaidis (p. 677), Dionysii (p. 680), Leonardi (p. 687), Martini Turonensis (p. 741), Brictii (p. 751), Elizabeth (p. 752), Chrysogoni (p. 788), Saturnini et sociorum ejus (p. 797), Jacobi Intercisi (p. 799).

Ex eadem desumptæ sunt notæ etymologicæ quæ præponuntur Actis SS. Timothei (p. 538), Symphoriani (p. 539), Bartholomæi (p. 540), Ægidii (p. 582), Cornelii et Cypriani (p. 605), Matthæi (p. 622), Cosmæ et Damiani (p. 636), Remigii (p. 659), Simonis et Judæ (p. 705), Cæciliæ (p. 771), Catharinæ (p. 789).

Præter hæc igitur in codice nostro continentur:

1° Passio S. Agapiti martyris (fol. 8^r-9^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Aug., tom. III, p. 537-539. — Sed in cod. incipit: *Sub rege Anthioco pagano erat quidam puer, nomine Agapitus, timens Deum...*

2° Vita S^{tæ} Helenæ reginæ matris Constantini augusti (fol. 9^v-10^v).

Edita in Legenda Aurea, (edit. Colon. 1483) fol. 450-451. — Sed initium multum contrahitur.

3° Passio S. Magni martyris (fol. 10^v-13^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Aug., tom. III. p. 713-716. — Sed omissus est prologus, itemque phrases nonnullæ sub finem in narratione miraculorum.

4° Passio S. Timothei (fol. 17r-17v).

Contracta ex Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Aug., tom. IV, pp. 578, 579.

5° Passio S. Symphoriani (fol. 17v-18r).

Paulo fusior Passione edita in Legenda Aurea (edit. cit. in præfat., p. 539). — Dicitur beatus martyr triennis a S. Benigno baptizatus et a S. Andochio de sacro fonte levatus, Heraclius autem consularis ab Aureliano imperatore Senonis Divionem petente Augustodunum missus. Ad finem addita est narratio de incensa S. Symphoriani ecclesia a Theodorico, rege Francorum. Cfr. *Act. SS.* ad d. 22 Aug., tom. IV, p. 492, num. 7.

6° Passio S. Bartholomæi (fol. 18r-23r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 34-38. — Passioni adjecta sunt quæ de translationibus et miraculis beati apostoli referuntur in Leg. Aurea (edit. cit. in præf., p. 544, num. 2 et seq.). Tandem subjungitur :

In monte sancti Salvatoris juxta Aquisgrani nuper iuclusa quædam defuncta est quæ inter suas reliquias etiam dentem habuit sancti Bartholomæi apostoli. Hoc cum scivisset sacerdos qui ei missam celebrabat eumque postulasset, et illa non annuisset, recessum minabatur, nisi saltem ei mediam partem donaret. Illa vero dentem multum diligens et sacerdote carere nolens, ut divideretur consensit, licet invitissime. Mira res. Mox enim ut sacerdos cutellum denti supposuit, ac si denuo sanctus pateretur guttatim de illo sanguis erupit. Quo viso sacerdos territus est, dentemque inclusæ integrum dimisit.

7° Vita beati Ludovici confessoris quondam Francorum regis incliti (fol. 23r-27v).

Hæc Vita satis convenit cum Vita edita inter *Scriptores Rerum Gallicarum*, tom. XXIII, p. 160-167. — Sed non pauca addita sunt ex Vita auctore Gaufrido de Bello Loco, regis confessario, edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 541 sqq. De miraculis vero quorum fit mentio in *Scr. Rer. Gall.*, tom. cit., p. 165-167, memoratur tantum miraculum quod contigit in episcopatu Belvacensi (p. 166 A) et alterum Ebroicis (p. 167 c).

8° Passio S. Rufi martyris (fol. 27v-28r).

Hæc Passio excerpta est ex Passione S. Apollinaris, episcopi et martyris, edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Julii, tom. V, p. 344 sqq., scilicet numm. 14-16, addita hac clausula : *Beatus autem Rufus patricius a sancto Apollinare episcopo et martyre baptizatus et doctus, innumeris clarus virtutibus, post multos agones apud Capuam civitatem illustris martyrii gloria pro Christi confessione coronatus, palmam vitæ immarcessibilis adeptus est.* — Cfr. etiam *Act. SS.*, tom. VI Aug., p. 9 sqq.

9° Passio S. Hermetis martyris (fol. 35r-37v).

Edita inter Acta S. Alexandri papæ et martyris in *Act. SS.*, ad d. 3 Maii, tom. I, p. 371 sqq., scilicet numm. 1-14.

10° Passio S^{tæ} Sabinæ virginis et martyris (fol. 41^{v}-42^{r}).

Edita in Actis S. Serapiæ in *Act. SS.,* ad d. 29 Aug., tom. VI, pp. 503, 504, scilicet numm. 12-15.

11° Passio SS. martyrum Felicis et Adaucti (fol. 42^{r}-42^{v}).

Edita ex Adone in *Act. SS.,* ad d. 30 Aug., tom. VI, pp. 546, 547, numm. 5-6.

12° Vita S. Veronis et Veronæ sororis ejus (fol. 42^{v}-45^{r}).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 29 Aug., tom. VI, p. 526-529. — Sed prologus om.

13° Vita S. Ægidii (fol. 47^{v}-51^{r}).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 1 Septemb., tom. I, p. 299-303.

14° Vita S. Remacli episcopi (fol. 51^{r}-53^{v}).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 3 Sept., tom. I, p. 692-695. — Sed omissus est prologus, itemque num. 15, præter initium usque ad *attentius inhærentem,* ac pro priore parte num. 16 usque ad *reddidit animam* ita cod. :

Post hæc beatus Remaclus, gloriosus in signis et virtutibus, cum ad senilem pervenisset ætatem, diem suæ vocationis intelligens imminere, fratrum convocans concionem, post dulces paternæ pietatis admonitiones, modica febre corripitur, et sacramentis Christi munitus inter carissimorum filiorum manus animam suo reddidit creatori, tertio Nonas Septembris, anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo nonagesimo quarto. Cujus corpus...

Vitæ subnectuntur, sed contracta, miracula quædam edita tom. cit., p. 697-699, scilicet numm. 3, 4, 11, 12.

15° Vita S. Evortii episcopi (fol. 53^{v}-54^{v}).

Contracta ex Vita ejusdem Sancti auctore Lucifero subdiacono, edita in *Act. SS.,* ad d. 7 Sept., tom. III, p. 52 sqq.

16° Passio S. Adriani martyris (fol. 59^{r}-65^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

17° Passio SS. Gorgonii et Dorothei (fol. 65^{r}-67^{r}).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 9 Sept., tom. III, p. 340-342. — Sed numm. 1 ac 13 omm.

18° Vita S. Gwidonis confessoris (fol. 68^{r}-71^{r}).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.,* ad d. 12 Sept., tom. IV, p. 41-48. — Sed in codice desiderantur prologus et sententia num. 29 annexa *(Facta est elevatio...)*

19° Passio S. Cornelii (fol. 73^{v}-74^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

20° Passio S. Cypriani (fol. 74^{v}-75^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

21° Passio SS. Luciæ et Geminiani martyrum (fol. 75v-79r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

22° Passio Stæ Eugeniæ virginis (fol. 79r-82v).

Edita apud Mombritium, tom. I.

23° Passio S. Lamberti episcopi et martyris (fol. 82v-85r).

Contracta ex Vita auctore Nicolao, edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 602 sqq.

24° Passio Stæ Faustæ virginis (fol. 85v-87r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VI, p. 144-146.

25° Passio S. Matthæi (fol. 87v-92v).

Edita in *Act. SS.*, ad. d. 21 Sept., tom. VI, p. 220-225. — Sed omissi sunt prologus et num. 2. Deinde pro numm. 10 et 11 substituta habes cap. v et vi Passionis ejusdem apostoli a Fabricio editæ in *Codice apocrypho Novi Testamenti*, parte II, p. 644-649. Ad finem in cod. add. (cfr. supra ad cod. Brux. 98-100, p. 48):

Zaroes autem et Arfaxat, illi duo magi, ab ea hora qua suscitavit beatus Matthæus filium regis, fugientes ab Ethiopia in Persidam devoluti sunt, ibi nihilominus pejora facientes. Sed, sicut præfati sumus, quia Deo cura est de hominibus et est homo carum animal Deo, si seipsum vilem non fecerit negligendo, missi sunt ad Persidam sancti apostoli Judas Zelotis et Symon Chananeus, qui superaverunt eos in nomine Domini.

Tandem subjiciuntur quæ leges in Legenda Aurea a pag. 625, (edit. in præf. cit.) lin. 14 *(Notandum...)* ad finem.

26° Passio Stæ Teclæ virginis (fol. 96v-100r).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Sed in cod. nonnulla passim sunt omissa.

27° Passio S. Cypriani episcopi et Justinæ virginis (fol. 100r-101v).

Edita apud Martene et Durand, *Thesaurus Novus Anecdotorum*, tom. III, col. 1645-1650.

28° Passio SS. Cosmæ et Damiani (fol. 101v-104r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 474-478. — Sed pro num. 1 ponitur num. 1 tertiæ Passionis ibid. editæ, p. 473.

29° Vita S. Remigii (fol. 113v-114v).

Vita contracta ex Vita auctore Hincmaro, edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 131 sqq.

30° Vita S. Bavonis confessoris (fol. 114v-115v).

Contracta ex Vita S. Bavonis edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., p. 229 sqq.

31° Passio S. Leodegarii episcopi et martyris (fol. 115v-116v).

Contracta ex Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Oct., tom. I, p. 463 sqq.

32° De S. Marco papa et passio SS. Marcelli et Apulei (fol. 121v).

Vita S. Marci qualis in Libro Pontificali (P. L., tom. CXXVIII, p. 1), quibusdam additis et aliis omissis. Sancti vero martyres Marcellus et Apuleius dicuntur fuisse discipuli S. Petri apostoli, cujus et sepulturam curarint, ejusque mandato verbi evangelici prædicationem suscepisse et fuisse a pervicaci quodam idololatra martyrii palma donati.

33° Passio SS. Sergii et Bacchi (fol. 121v-122r).

Contracta ex ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 7 Oct., tom. III, p. 863 sqq.

34° Vita S. Gummari confessoris (fol. 127r-130r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Oct., tom. V, p. 682-688. — Sed prologus deest ; hæ insuper lectiones variantes in cod. leguntur :

Num. 1... *nutritus. Qui a cunabulis... affirmans. Lenis erat in sermone, constans in bono opere, humilitate submissus, pietate profusus, in jejuniis... dapsilis. Deum quippe diligebat et proximum, declinans semper a malo et constanter faciens bonum.*

Num. 2... *inaula consistere. Pro sua...* Sub finem *nec multum,* etc. om.

Num. 3 prima phrasis om. ; ... *solventes. Servitia eorum despiciebat: victimas quasi inutiles et nullius pretii reprobabat. Qua occasione...*

Num. 4... *domus suas. Hoc exemplum pietatis posteris suis reliquit.*

Num. 5... *in Syon. Commendans ergo se Deo... aggressus est. Adverte...*

Num. 6... *Attende. Reveletur hominibus...*

Num. 9... *rutilantis. Illa igitur ammiranda... in terris. Tibi laus...*

Num. 10, exceptis *Nomen... sequestrat,* cetera omm.

Num. 11 sic incipit : *Postquam autem sanctus Gummarus arbores... extirpavit, ecclesiam... suspirabat. Sanctorum... insistens* (ultima phrasis om.).

Num. 12 ultima phrasis om.

Num. 13... *didicit. Sed ardorem...*

Num. 14 om.

Num. 15... *repleverat. Hic omnibus virtutum... hæc vita et quot ærumnis plena. Multa quidem de evangeliis...*

Num. 16 ultima phrasis om.

Num. 17 ultima phrasis om.

Num. 19... *proferre. Sub silentio ergo se continuit. Secunda etiam vice...*

Num. 20... *navicula deportavit. Ecce quomodo Deus humiles reputat digniores, inflatos vero nobilitate et divites superbos judicat despectiores. Suscipiens...*

Numm. 21 cum sqq. omm.

35° Passio S. Gereonis et sociorum ejus (fol. 130r-132v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Oct., tom. V, p. 36-40.

36° Translatio S. Augustini episcopi (fol. 132v-133v).

Fragmentum Vitæ auctore Philippo, abbate Bonæ Spei, editæ apud Migne, P. L., tom. CCIII, p. 1205 sqq. — Nonnullis omissis, scilicet cap. xxxiii inde a § 2 (p. 1230) quæ incipit: *Defunctus itaque* (cfr. *Act. SS.*, tom. VI Aug., Comment. præv. § lix (p. 368-370). His additur commemoratio cujusdam beneficii meritis S. Augustini collati.

37° Passio S. Calixti papæ et martyris (fol. 133v-135v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Oct., tom. VI, p. 439-441.

38° Vita S. Galli abbatis (fol. 135v-136v).

Contracta ex Vita auctore Walafrido Strabo, edita apud Mabillonium, *Act. SS. O. S. B.*, Sec. II, p. 227 sqq.

39° De transitu S. Lucæ evangelistæ (fol. 136v-137v).

Contractum ex homilia Pauli Diaconi in S. Lucam, edita apud Migne, P. L., tom. XCV, p. 1530 sqq.

40° Passio SS. undecim milium virginum (fol. 137v-142v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157-163. — Utima phrasis num. 22 om.

41° Vita S. Severini Agrippinæ civitatis episcopi (fol. 142v-143v).

Contracta ex Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Oct., tom. X, p. 56 sqq.

42° Passio SS. Crispini et Crispiniani (fol. 143v-145v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 535-537.

43° Passio SS. Symonis et Judæ (fol. 146r-151r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

44° Passio S. Quintini martyris (fol. 151r-154v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Oct., tom. XIII, p. 794-799, seu numm. 1-18.

45° Passio S. Cesarii diaconi (fol. 158r-160r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Novemb., tom. I, p. 106.

46° Passio SS. Eustachii et sociorum ejus (fol. 164r-169v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

47° Vita S. Willibrordi episcopi (fol. 171v-172r).

Contracta ex Vita auctore Alcuino, edita apud Migne, P. L., tom. CI, p. 693 sq.

48° Passio sanctorum martyrum quatuor Coronatorum (fol. 172r-176r).

Edita a Wattenbach, in opusculo *Passio sanctorum Quatuor Coronatorum, aus einer Handschrift der herzoglichen Bibliothek in Gotha* (Viennæ 1853).

49° Passio S. Theodori martyris (fol. 176r-176v).

Contracta ex Passione edita in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii p. 78 sqq.

50° De S. Martino papa (fol. 176v-177r).

Maxima parte desumpta est narratio ex Libro Pontificali (P. L., tom. CXXVIII, p. 738).

51° Passio S. Mennæ martyris (fol. 181r).

Brevissima narratio martyrii S. Mennæ, qui temporibus Diocletiani et Maximiani sub duce Agericio militans, relicta militia, in abdita loca se contulit, ac postea in natalibus imperatorum apparuit in medio theatro, et agente Pyrro duce dira tormenta passus, coronam martyrii percepit. Passus legitur in cod. in *Sychia*, metropoli Phrygiæ.

52° Vita S. Lebvini presbiteri et confessoris (fol. 181r-183r).

Contracta ex Vita edita apud Surium ad d. 12 Nov.

53° Vita S. Columbani abbatis (fol. 190v-193v).

Contracta ex Vita a Jona abbate conscripta et edita apud Surium ad d. 20 Nov.

54° Passio Stæ Cæciliæ (fol. 194r-201r).

Edita apud Mombritium, tom. I.

55° Passio S. Clementis (fol. 201r-204v).

Edita, et quidem magis integra, apud Mombritium, tom. I. — Omissa sunt etiam in codice miracula quæ apud Mombritium annexa sunt Passioni.

56° De conversione Stæ Katherinæ (fol. 205r-206v).

Vid. Append.

57° Passio ejusdem (fol. 206v-220r).

Eadem, sed omisso prologo, de qua tom. I *Analect. Boll.*, p. 502, 69°. — Addita sunt miracula tria, quorum ultimum legi potest Legenda Aurea, (edit. in præf. cit)., p. 914.

58° Passio S. Petri Alexandriæ episcopi (fol. 220r-221r).

Contracta ex Passione edita apud Surium, ad d. 25 Nov.

59° Passio S. Crisanti martyris et Dariæ virginis (fol. 221v-225r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 469-484. — Sed omissa sunt præfatio, fere totus num. 10 ac numm. 11-13.

60° De duobus Ewaldis (fol. 230^{r}-231^{r}).

Passio auctore Beda, edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Oct., tom. II, pp. 205, 206. — Sed num. 1 ita immutatus in cod. :

> Temporibus pristinis Romanæ præsidente Sedi Sergio, papa venerabili et apostolico, regnante vero Pippino, rege catholico, quam multi apud Frisiam claruerunt verbi Dei seminatores. Inter quos etiam speciali prærogativa meritorum et singulari spiritualium dote virtutum magnifice præpollebant egregii pontifices, Hegbertus, Suitbertus atque Willibrordus, qui populis barbarico more viventibus et paganorum spurcitiis traditis fidem catholicam et verbum Dei evangelizabant.

Et ad finem post hæc verba : *dona perfundat,* pergit cod. :

> Per idem autem tempus quo isti duo Ewaldi evangelizandi gratia adventabant in Fresia, fratres reliqui qui ibidem eodem inflammati desiderio verbi erant ministerio mancipati, elegerunt ex eo numero virum modestum moribus et mansuetum corde, Suitbertum... *ut apud Bedam*, Historia Ecclesiastica Anglorum *(Migne, P. L., tom. XCV, p. 246)...* diem clausit ultimum, et nunc et semper innumeris fulget virtutum insigniis, operante Spiritu sancto cum Patre et ejus dilecto Filio, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

61° Vita S. Huberti Tungrensis episcopi (fol. 231^{r}-236^{r}).

Edenda ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 3 Novembris.

Appendix ad cod. 197.

DE S. CATHARINA ALEXANDRINA. (Cfr. supra, pag. 104, 56°.)

De conversione sanctæ Katherinæ virginis.

1. Legitur quod est insula quædam maris quæ Cyprus nuncupatur, in qua erat quidam rex, Costus nomine, qui sic nomen acceperat a quadam civitate quæ Constantia dicebatur, quæ erat sedes regni sui, quæ appellata est alio nomine Salamina. Hic cum esset imperatori false accusatus quod cum Persarum rege amicitiam fecisset, ab ipso imperatore in Alexandriam est relegatus. Et quamvis imperator ipsum relegaverat, vera tamen esse quæ a suis audierat æmulis non credebat. Et ideo ipsum suis possessionibus non privavit, sed solum ne regno

præesset propter delatores confinia sibi dedit. Moram igitur in Alexandria diutius faciente cum uxore et unica filia ejus, nomine Katherina, pater ipsam imbuendam tradidit sapientiæ disciplinis. Mortuo itaque patre, puella heres efficitur in bonis patris, matris suæ nihilominus sub tutela. Quæ in sapientia tantum profecit ut cunctos mortales excelleret facundia eloquentiæ et omnium artium liberalium disciplina. Cumque puella, ut dixi, patris orbata solatio, quatuordecim esset annorum et pulchritudine mundi virgines excelleret universas, essetque nobilis genere et divitiis abundaret, beatum se reputabat quisque ipse nobilis et compotens qui Katherinæ conjugio posset copulari. Cum a multis filiis regum peteretur, illa, licet pagana et more parentum idolis dedita, christianæque veritatis viam nesciat, philosophiæ tamen amore mariti torum abnegat et suo cordi propositum imprimit castitatis.

2. Cumque a matre ac propinquis accipere imperatoris filium urgeretur, illa totis viribus renitens ac tempus redimens, sic respondit : *Cum me asseratis in pulchritudine cunctas excellere mulieres et mortalibus cunctis sapientia præpollere ac genere nobilem et divitiis locupletem, euntes inquiratis in omnibus his mihi parem. Quod si facere non valetis, nunquam mihi sponsum aliquem nominetis.* Cumque mater et propinqui respondissent quod aliquem invenirent qui ipsam genere et divitiis superaret, utpote imperatoris filium, licet in sapientia et pulchritudine non esset talis vir vel mulier super terram, abnegat Katherina, et se sponsi torum prorsus asserit nescituram, nisi sibi in omnibus his conditionibus sit æqualis.

3. Recordata mater cujusdam deicolæ qui juxta Alexandriam in quodam cœnobio vitam solus cælibem duxit, cujus colloquiis et consiliis acquiescere sæpe consueverat Katherina, instat mater filiæ ut dictum adeat sanctum virum. Quo audito, Katherina suis monitis acquiescit, et acceptat ejus consilium. Et secum assumptis honestis personis, visitandi gratia adeunt virum Dei. Mater vero clam detulit viro Dei rei seriem, obsecrans ut filiæ suæ consilium daret bonum. Tunc vir Dei puellam alloquitur in hæc verba : *O virgo sapiens et una de numero prudentum, si tu intelligeres, tuum virum fateor me cognoscere, unicum matri suæ, qui est nobilior te genere et dignitate, cujus mater virgo est et pater nunquam feminam novit. Ipse est rex regum et dominus dominantium, et longe te est locupletior divitiis infinitis, cujus divitiæ nunquam decrescunt, nec ipsius deliciæ minuentur. Qui ineffabili pulchritudine te præcellit. Nam sol et luna mirantur ejus pulchritudinem. Nusquam ejus sapientia dici potest ; ipse intelligentias instruit atque docet.* Cœpit igitur puella valde admirari in sermonibus viri Dei, et jam amore viri talis allecta cœpit inquirere diligenter : *Et quis est, venerande pater, vir iste tam nobilis, tam sapiens atque pulcher, cujus parentes asseris esse virgines ?* Cui vir Dei : *Vir iste filius est, ut dixi, cujusdam virginis inenarrabilis pulchritudinis, quæ Maria nuncupatur.* Et illa : *Dic mihi, obsecro, utrum videre possim hunc dominum atque matrem ?* Et vir Dei : *Cum enim ipse invisibilis sit mortalibus et a suis dilectis tantummodo videatur, si meis monitis acquieveris, spero quod tibi, cum ipse sit curialis dominus, se ostendet.* At illa : *Quidquid, pater, præcipies faciam ; nec enim difficile quidquam erit : tantummodo ostendat ipse dominus faciem suam mihi.* Tum homo

Dei latenter sibi tradidit imaginem virginis gloriosæ in tabula (*cod.* tabulam) depictam, quæ filium suum in brachiis bajulat, et ait : *Vide, filia, hæc est imago et figura matris et filii quos tibi superius nominavi. Vade et intra cubiculum tuum, et ipsam virginem deprecare ut ipsa tibi ostendere dignetur filium suum, quem in tuum sponsum assumere concupiscis. Spero enim quod ipsa audiet preces tuas.*

4. Katherina ergo clam domum fert imaginem a viro Dei sibi datam, et usque ad magnam horam noctis virgini preces fundere non cessavit. Tandem igitur fatigata dedit aliquantulum se sopori, et vidit in somnis se in pulcherrimo prato esse, ubi virginem illam quam precibus flagitabat vidit, cum filio suo in ulnis, in throno magnifico considere. Cumque ex pictura virginem cognovisset, et in matre et in filio tantam pulchritudinem miraretur, dolebat quod filii faciem non videbat. Et cum Katherina ad aliam partem iret ut posset puerum melius intueri, ipse ab ea faciem avertebat. Virgo vero filio loquebatur : *Videsne, fili, Katherinam virginem, quæ faciem tuam videre desiderat, quam pulchra sit, quam nobilis, quam sapiens atque dives, et te in suum sponsum assumere affectans concupiscit tuam speciem et decorem ?* Cui filius : *Salva reverentia tua, mater, ut asseris non est ita. Nam comparatione puellarum mearum de pulchritudine nihil habet. Si de sua sapientia fiat sermo, sapientior ipsa est de juvenculis meis ima. Si eam dicis divitiis abundare, bene nosti quod servi mei sunt incomparabiliter ditiores. Quam nobilitatem habet ? cum ea sint magis meæ pedissequæ generosæ. Quapropter nullo modo torus hujus virginis mihi placet.* Et mater : *Possetne Katherina quidquam facere oculis tuis gratum, ut ipsam in sponsam accipere dignareris ?* Et filius : *Si meis monitis acquiesceret, vere posset.* Et mater : *Ut video, fili, Katherina tantum tuam speciem concupiscit quod tuis libenter consiliis acquiescet. — Vadat,* inquit filius, *Katherina ad illum deicolam qui sibi imaginem tuam dedit, et juxta consilium suum faciens me videbit. Et tunc eam, si tibi mater placuerit, desponsabo.*

5. Katherina igitur excitata a somno, verba quæ in visione audierat, mente tractabat ; audita perficere diem cum desiderio expectabat. Mane itaque facto, aliquibus secum assumptis puellis, ad virum Dei festinanter perrexit et ei per ordinem seriem retulit visionis, cum lacrimis multum orans ut servus Dei eam instrueret quid facere posset quo mediante placere posset oculis tanti regis. Exhilaratus itaque homo Dei, cum cerneret verbum Dei semen quod plantaverat in agro Dominico pullulare, cœpit quod seminaverat aqua divinæ sapientiæ irrigare. Itaque vir sanctus puellam cathezizans viam Dei edocuit, ostendens unum Deum, unum et verum Patrem, et Filium et Spiritum sanctum, et sancto baptismatis fonte renatam ad propria remisit, veste innocentiæ candidatam.

6. Adveniente itaque noctis hora in qua Spiritus sancti susurria solent recipere sponsæ Dei, in extasi efficitur Katherina. Et ecce cœli Domina et regina Filium ulnis gestans, tam pulchrum, tam splendidum, ut omnis deficiat pulchritudo ipsius pulchritudini comparata. Quem puella intuens, fere fuit ejus anima ex ejus contuitu liquefacta. Dixitque filio mater : *Ecce adest, fili, famula tua Katherina, quæ, ut mihi videtur, tuam complere non distulit voluntatem. Intuere, fili, et vide ipsius sapientiam et decorem.* Et Christus : *Vere, mater, nunc placet bene mihi Katherina.*

Nam, ut video, facta est velut columba candida ex cornice. Mundi scientiam in veram sapientiam mutavit ; de infima parentela conscendit ad generis claritatem, divitias inopem facientes pro thesauro tradidit indicibili et pretiosissima margarita. O quam pulcherrima est generatio casta cum claritate (cod. *caritate).* Dixit ergo mundi Domina Katherinæ : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, quia concupivit rex speciem tuam.* Et dixit Jesus matri : *Si tibi placet, ipsam mihi in caritate perpetua desponsabo.* Respondit Domina nostra : *Placet, fili, et supplico tibi multum.* Tunc ait Christus Katherinæ : *Filia, in caritate perpetua dilexi te : ideo attraxi te, miserans tui. Veni, electa mea, veni, formosa mea, et ponam in te thronum meum et de cetero vocaberis sponsa mea.* Prosternens autem se humiliter Katherina, dixit : *Unde hoc mihi ut inveniam gratiam in oculis tuis et nosse me digneris, vilem et humilem mulierem ?* Tunc Domina nostra, tenens manum dexteram beatæ Katherinæ, Christo porrexit digitum annularem. Desponsans itaque eam Christus, ait : *Accipe annulum fidei, signaculum Spiritus sancti, ut de cetero Christi sponsa a cunctis fidelibus nomineris, nunquam sponsum alium admittendo.* Tunc beata Katherina cœpit dicere illum versiculum : *Annulo suo subarrhavit me Dominus Jesus Christus et tanquam sponsum dulciter adamavit.*

7. Hac igitur disparente cœlica visione, expergefacta et in se reversa, suæ desponsationis annulum in digito repperit se habere, et Christo ac Matri virgini immensas gratias referens, non phantasticam sed veram esse comperit visionem. Unde ergo extunc beata virgo et sponsa Christi Katherina mundo et pompis ejus abrenuntians, sponso cœlorum fideliter inhærebat, serviens Deo in simplicitate et humilitate cordis, in castimonia, in jejuniis et orationibus, in vigiliis et eleemosynis et ceterarum virtutum operibus, et bonis actibus continuo proficiens se exercitabat.

VII. Codex signatus n° 206.

Omnino, quod ad rationem scriptionis spectat, similis codici 98-100 (cfr. supra, p. 23, ubi tamen mendose *sec. XII* codex exaratus legitur : corrige *sec. XIII).* Ultimo folio verso adjunctum est *Miraculum S. Thomæ* altera manu sec. XIII.

1° Passio SS. Cypriani et Justinæ virginis (fol. 1^{v}-6^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 217 sqq. — Pars prima optime convenit cum iis quæ tom. cit. sunt edita, p. 217-219. Reliquæ duæ partes, nonnullis tamen omissis, propius accedunt ad ea quæ edidit Martene, *Thesaurus novus Anecdotorum,* tom. III, col. 1629-1650.

2° Passio SS. Cosmæ et Damiani (fol. 6^{r}-7^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 474-478.

3° Passio S. Wenzlai martyris (fol. 7v-12r).

Edenda in *Analect. Boll.*, tom. III.

4° Sermo de dedicatione basilicæ S. Michaelis archangeli (fol. 12r-12v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Sept., tom. VIII, p. 61-62.

5° Vita S. Remigii episcopi et confessoris (fol. 12v-20r).

Vita auctore Hincmaro, edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom I, p. 131-166. — Sed in codice desunt prologo tum finis num. 8 *(Denique in descriptione...)* tum num. 9. Deinde in ipsa Vita ultima phrasis num. 12 *(Ipse namque-præberet)* om.; item num. 14 *(O virum-sanctitatis)*; numm. 15-19 omm.; item numm. 21-26; num. 28 om. præter initium *(O ineffabilis-in salute)*; num. 33 om.; num. 36 altera pars *(In eo enim-nequiverunt)* om.; numm. 37, 38 omm.; numm. 42, 43 omm.; numm. 45-52 item.; num. 53 incipit : *Temporibus his Ludevicus rex Francorum magnus super omnes ante se reges et pugnator bellicosissimus atque egregius decimo anno...*; quæ inter *conjugem sumpsit* et *ducatum obtinuit* om.; num. 56 hæc phrasis : *Acta sunt hæc... Ludovico regnante,* om.; num. 61 ultima pars *(Quod de Moyse scriptum...)* om.; num. 65 ultima phrasis *(De miraculo siquidem...)* om.; num. 68 hæc phrasis : *Et item contra Scripturam-non comburentur,* om.; num. 71 om.; num. 72 major pars *(Nullus enim suorum-sanguine suo)* om.; num. 75 altera pars *(quatinus nemo...)* om.; num. 76 om.; nnm. 77 om. præter ultimam phrasim, cui (omissis numm. 78 et 79) hæc annectuntur :

> Hoc siquidem in electis cotidie occulte fieri non ignoramus, quod in Genebaudo manifeste factum Dei gratia legimus, quod et apostolus attestatur dicens : *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei ; justificati gratis per gratiam ipsius.* Qui iterum inæstimabilem ejusdem gratiæ multitudinem commendans, ait : *Ubi autem abundavit peccatum, superabundavit gratia.* Quia nimirum quanto graviorem Dominus in electis suis peccatorum languorem curavit, tanto ampliorem cunctis gratiæ medentis potentiam monstravit, ut nullum enormitas peccatorum, nullum enormitas scelerum a speranda venia revocet.

Num. 82, omissa posteriore parte, ita desinit : *Remensis ecclesia jure quieto possidet.* Numm. 83-85 omm.; num. 87 altera pars *(Unde bene cum virum...)* om.; num. 89 altera pars *(In hac sollicitudine...)* om.; num. 90 om.; numm. 95-100 omm. Num. 102 desinit in : *corporis reddidit sanitatem.* Numm. 102-105 omm.; num. 108 om.; num. 109 pars altera *(Omnis qui dormit in morte...)* om.; num. 110 pars prior *(Dies vero-anhelat patriam)* om., et ita pergit cod. : *Condito siquidem testamento et dispositis omnibus suis, quia ut scriptum...* Numm. 112-114 omm.; num. 129 ultimæ lineæ *(si autem hic se non correxerint...)* omm.; num. 130 om.; num. 131 prima phrasis *(Verumtamen-præsumptorum piacula)* om.; num. 132 pars altera *(Licet enim non fiant...)* om.; num. 134 post hæc verba : *sunt operatæ,* cod. : *ad laudem*

et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in seculum seculi. Amen. Cetera omm.

6° Passio S. Leodegarii episcopi et martyris (fol. 20r-24v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Oct., tom. I, p. 463-481. — Sed passim multa sunt omissa, et, ut quædam notentur : prologus om., deinde num. 13 a *suadentibus hoc illis* usque ad fin. ; num. 17 a *Nec enim quis eum æstimet* ad fin. ; num. 22 a *Cumque illi secum* ad fin. ; num. 25 ab *Eoque jam confirmato in regno* ad fin. ; num. 26 om. ; num. 27 ab initio ad *egisse putabant* om. ; num. 38 a *Sane feminarum nobilium-fuit defixum* om. ; num. 40 ab *ut dum oculi* ad fin. ; num. 41 prima phrasis *(Sed qui absque-humilitatem cordis)* om. Tandem a num. 59 usque ad finem fere totum ad pauca ac nil distincte referentia verba contrahitur.

7° Passio SS. Caprasii et Fidei virginis (fol. 24v-25v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Oct., tom. VIII, p. 823-825. — Ut in exemplari Labbeano, ultima phrasis num. 10 om.

8° Passio SS. Sergii et Bachi martyrum (fol. 25v-28v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 7 Oct., tom. III, p. 863-869. — Num. 1, post *severissima comminatione,* add. cod. : *ut nullatenus quispiam emeret aut venderet, nisi prius idolis immolaret aut incensum poneret.*

9° Passio S. Philippi episcopi et martyris (fol. 28v-31v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Oct., tom. IX, p. 545-552. — In cod. habetur præfatio de qua vid. ann. *b* (p. 548). Num. 7, post hæc verba : *in Sicilia quoque aquarum copia divino alveo clausa emanavit,* reliqua omm. Præterea passim occurrunt lectiones variantes quæ in editis non sunt notatæ.

10° [Fragmentum vitæ Stæ Pelagiæ pœnitentis] (fol. 31v).

Constat 1° Versibus illis quatuor præfixis Vitæ auctore Jacobo Diacono, editæ in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 261 sqq.

2° Ultimo versui add. :

> Inspicientes qualiter Pelagia de prostibulo ad cœlestia regna migravit. Signum quod factum est, immo miraculum, in diebus nostris, placuit mihi... *(etc. ut tom. cit.)*... ut, audientes et juvamen maximum consequentes, animæ vestræ misericordem Dominum glorificent, qui nullum hominem vult ullomodo perdere, sed omnes peccatores salvare. Nunc ergo silentium mihi date, et intuemini cum omni affectu et sensu vigilantissimo ea quæ a me explanantur. Totius etenim juvaminis et compunctionis plena est nostra expositio.

3° Subsequitur num. 2 Vitæ usque ad hæc verba : *martyris Juliani.* Tunc pergit : *Una vero sabbati descenderunt qui convenerant episcopi de cellulis suis et ante januam...* usque ad *transiit per nos* (num. 3 init.) *quædam* (et nihil addit cod.).

11° Passio SS. Dyonisii, Rustici et Eleuterii martyrum (fol. 31^v-36^v).

Edita apud Surium ad d. 9 Octobris, cap. I-XXIII.

12° Passio eorumdem sociorum (fol. 36^v-38^v).

Edita ibidem, cap. XXIV ad finem usque. — Sed incipit: *Tempore Domiciani imperatoris persecutionis...*

13° Passio SS. Gereonis sociorumque ejus (fol. 38^v-40^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Oct., tom. V, p. 36-40.

14° Passio SS. Taraci presbyteri et Andronici (fol. 40^v-44^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Oct., tom. V, p. 566-584. — Sed ultima pars num. 46 *(Quos mittimus...)* om.

15° Vita S. Lubencii confessoris (fol. 44^v-45^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Oct., tom. VI, p. 202-203.

16° Passio S. Calixti papæ et martyris (fol. 45^v-46^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Oct., tom. VI, p. 439-441. — Sed ex cod. S. Callixtus sepultus est *sub die quarto decimo Kalendas* Novembris.

17° Passio S. Eliphii martyris (fol. 46^v-48^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Oct., tom. VII, p. 812-815.

18° Miracula S. Galli abbatis (fol. 48^r-54^r).

Est liber II de miraculis S. Galli, cujus partem edidit Pertz in *Monum. Germ. hist.*, tom. II Scriptorum, p. 22-31, quæque inde edita est in *Act. SS.*, ad d. 26 Oct., tom. VII, p. 899-908. Totum autem librum edidit Goldast, *Script. Rer. Alammannicarum* (Francofurti 1730), tom. I, parte II, p. 173-176.

19° Vita S. Lucæ evangelistæ (fol. 54^r-55^v).

Homilia auctore Paulo Diacono, edita apud Migne, P. L., tom. XCV, p. 1530-1535. — Sed prima phrasis *(Cum in divinis-sermo declarabit)* om.; deinde in initio post: *ad charissimum scripsit Theophilum* in cod. add. idem quod diximus addi in cod. Brux. 64 (vide supra, p. 18).

20° Passio sanctarum Undecim milium virginum (fol. 55^v-58^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157-163. — Sed num. 22 hæc verba: *Passæ sunt anno 238* omm.

21° Vita S. Severi episcopi et confessoris (fol. 58^r-58^v).

Edita in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii, p. 55-57.

22° Vita S. Severini Coloniensis archiepiscopi (fol. 58^v-60^v).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 23 Oct., tom. X, p. 56-59; cfr. ann. *a* (p. 59).

23° De translatione ejusdem (fol. 60^v-61^v).

Editum ibid., p. 61-63.

24° Vita S. Venantii abbatis (fol. 61^v-62^v).

Vita auctore Gregorio Turonensi, edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Oct., tom. VI, p. 219-221. — Sed desinit cod. in exordio num. 7 his verbis : *plerumque redditur gloriosum.*

25° Vita S. Fronti (fol. 62^v-64^r).

Incipit his verbis : *Beatus Fronto, civis urbis Petrocoricæ, ex loco qui dicitur Linocassio... ;* desinit autem sequenti modo : *Ipse vero Frontus non post multum temporis Domino reddidit animam, terræ carnis materiam.*

Vita auctore Gauzberto, chorepiscopo Lemovicensi, exeunte sec. XI scripta, quam edidit F. Bosquet, *Ecclesiæ Gallicanæ hist.* (Paris. 1636), parte II, p. 4 sqq. Cfr. *Hist. litt. de la France*, t. VI, p. 440-443. — De hac Vita egerunt decessores nostri ad d. 25 Oct., t. XI, p. 393, numm. 6 sqq. passim.

26° Passio S. Miniatis martyris (fol. 64^r-65^r).

Edita apud Surium ad d. 25 Oct. — Apparet ex censura quæ legitur in *Act. SS.* ad eumdem diem, tom. XI Oct., p. 428-430, auctorem Commentarii de S. Miniate non inspexisse hanc Passionem.

27° Passio S. Cesarii diaconi et martyris (fol. 65^r-66^v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 1 Nov., tom. I, p. 106-117.

28° Passio S. Benigni presbyteri et martyris (fol. 66^v-70^v).

Edita ope hujus cod. ibidem, p. 163-173.

29° Passio SS. Eustachii ac sociorum ejus (fol. 70^v-73^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Sept., tom. VI, p. 123-135. — Generatim quæ uncinis continentur, omittuntur in cod. aut contracta referuntur.

30° [Miracula S. Pirmini episcopi] (fol. 73^v-75^v).

Edenda brevi in *Act. SS.*, ad d. 3 Nov., tom. I.

31° Vita S. Leonardi confessoris (fol. 75^v-78^v).

Edita a Fr. Arbellot, *Vie de S. Léonard, solitaire en Limousin*, (Paris. 1863) p. 277-289. — Sequuntur in cod. quædam miracula : scilicet miraculum ibid. editum, pp. 289, 290, § 1, et duo miracula ibidem gallice edita, p. 56-59, capp. II, III.

32° Vita et actus S. Johannis episcopi Alexandrini (fol. 78^v-92^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Jan., tom. II, p. 498-517.

33° Vita S. Cuniberti Coloniensis archiepiscopi (fol. 92^r-93^r).

Edita apud Surium ad d. 12 Nov.

34° Vita S. Paterni episcopi (fol. 93^r-94^v).

Vita auctore Fortunato, edita in *Act. SS.*, ad d. 16 April., tom. II, p. 427-429. — Discrimen est in his :

In cod. prologus est ut in ms. Bodecensi. Cfr. annot. *d, e* (p. 427).

Num. 2, pro *in monasterio Enesionis*, legitur *in monasterio Nexionum*.

Deinde, pro *Cui dum in quamdam insulam* ad *famem pati* (num. 5, p. 428, lin. 6), ita cod. :

Qui cum iterum in quamdam insulam propter solitudinem desiderarent accedere, vir quidam, nomine Amabilis, timoratus, donec civibus suis nuntiaret eos detinuit, dicens ut in fano Sesciaco se dignarentur recondere, quatinus eorum intercessione diabolica cultura gentili sub errore male venerata cessaret. Tunc circa sinum montis in receptaculo cavernæ cum suo contubernale *(sic)* vir eremita ingressus est. Ad fanum igitur populus dum ex consuetudine execrabilia debacharet, admonitus est a sanctis viris ne vana colendo se perderet, qui salvari poterat, si non irritaret injuriam creatoris; sed justius ageret, si conditori suo vivificata plasma serviret. Plebs vero reverendos viros irreverenter despiciens, ritum quem pessime inceperat pertinaciter exercebat. Tunc sanctus Paternus cum collega suo, tam fervore fidei quam vexillo crucis armatus, accedens ad vasa ubi pulmentaria decoquebantur, singula illa suis baculis everterunt; potum vero per cupellas dispositum deorsum jacere voluerunt, postponentes suum periculum, dummodo fortes milites pugnarent pro Christo, desiderantes martyrium, si ferire non reformidaret percussor. Nutu vero divino ipsi in timore sunt habiti qui potuerunt trucidare. Igitur revertentibus ipsis, ad eorum injuriam quædam mulier vestibus se denudat; sed mox ad vindictam justorum totis membris morbo percussa contrahitur, et per anni spatium vigore tabescente torquetur, ac nervis ægrotantibus cum ulcere flagellatur, donec, veniam petens ipsisque exorantibus, unde vindicta venerat divina curatur medicina. Quadam vero die cum eis dimidius panis ad refectionem tantum legitimam remansisset, adveniente petente ipsum beatus Paternus ad humanitatem largitus est, cupiens homo Dei magis hoc in mercedem quam in ventrem recondere. Verum sacer Scubilio hora competente, rogat unde jam deberent reficere. Cui respondens ait : *Christus, qui semper abundat, præparabit suis cibaria.* Hoc frater ille moleste tulit, quod post laborem non invenerat unde fatigatus reficeretur. Et tamen pro servi esca Domini cura pervigilat nec famem...

Num. 6 occurrit lectio ann. *c*, p. 429.

Num. 7, pro *insensatus locus fieret animalium cultura,* cod.: *insensatus locus fieret animæ clausura.*

Num. 8 scriptum *Aroastis presbyter* (cfr. lectio ann. *g*, p. 429).

Num. 11 ita :

Hinc fama percurrente multa regis prece compulsus, cum glorioso Hildeberto Parisius in carro cooperto reclusus venit. Quidam etiam puer a serpente...

Num. 13 pro *Vigor* scriptum *Veor* et *Theodeciago* pro *Tendenaco.*

35° Passio S. Felicis martyris (fol. 94v-95r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Jan., tom. I, p. 951.

36° Vita S. Magni monachi (fol. 95r-97v). *Manus recens superscripsit* Othmari abbatis.

Vita auctore Walafrido Strabo, edita in *Monum. Germaniæ Hist.*, Scriptorum tom. II, p. 41-47.

Desunt Prologus et index capitulorum.

In codice, p. 41, lin. 43, pro *genere Alamannorum,* legitur *genere Scotorum ;* p. 41, lin. 6, pro *Stein : Steinbach ;* p. 46, lin. 32, pro *relator fidissimus : relator avidissimus.* Insuper in cod. semper pro *Othmarus : Magnus.* Tandem Vitæ annectitur Præfatio Ysonis in Miracula beati Othmari, quæ edita est tom. cit., p. 47.

37° Vita S. Aniani episcopi (fol. 97v-99v).

Edita ab Aug. Theiner, in opusculo : *Saint Aignan ou le siège d'Orléans par Attila,* (Paris. 1832) p. 13-26. — Cod. semper scribit *Egecius.*

P. 15, lin. 2 a fin. : *Egecium cujus sub imperio apud... ;* p. 16, lin. 4, post *evolvere,* add. : *ita ut omnes se suasque animas recuperare ab eo postularent ;* p. 17, lin. 14, post *officio,* ita cod. : *Deinde accessit vir beatus neque longe quo pergebat ab aggere causa orationis... ;* p. 19, lin. 2, post *responsum dabatur,* omm. *frustra-perciperent ;* et lin. 6 a fin., post *collisas,* ita cod. : *et ipsius jam Galliæ multarum urbium obsidione tenetur quas... ;* p. 23, pro *Torsimodus* scriptum *Turismodus.*

38° Vita S. Florini confessoris (fol. 99v-101v).

Videtur inedita. Vide Append.

39° Passio SS. Romani, Ysici, Baralæ et Venantis martyrum (fol. 101v-103v).

Passio haud absimilis ei de qua actum tom. I *Anal. Boll.*, p. 500, 44°.

Inc. Apud Antyochiam civitatem quarto decimo Kalendas Decembris temporibus Diocletiani et Maximiani imperatorum, cum esset persecutio in partibus Orientis, Dominus diabolicam missiouem per famulos suos, id est Romanum et Ysicum et Baralem parvulum, superare dignatus est.

Des. Horum ergo famosissimorum martyrum, id est Romani monachi et Ysicii palatini et Baralis parvuli, natalitia cola-

mus, qui passi sunt in Antyochia civitate quarto decimo Kalendas Decembris, sub Maximiano et Diocletiano imperatoribus, petentes Domini misericordiam ut nos eorum meritis participes efficere dignetur, in gloriam et laudem nominis sui, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

40° Vita S. Simplicii Augustudunensis episcopi (fol. 103v-104r).

Vita de qua fit mentio in *Act. SS.*, ad d. 24 Junii, tom. IV, p. 812. Vide Append.

41° Passio Stæ Ceciliæ virginis et martyris (fol. 104r-109r).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Sed in cod. add. hæc clausula : *Ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

42° Passio S. Longini militis et martyris (fol. 109r-110r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Martii, tom. II, p. 384-386, hinc inde sententiolis nonnullis omm.

43° Passio S. Petri Alexandrini episcopi (fol. 110r-112r).

Edita apud Surium ad d. 25 Nov.

44° Passio Stæ Katerinæ virginis et martyris (fol. 112r-120r).

Ea est Passio de qua actum est in *Analect. Boll.*, tom. I, p. 502, 69°. — Sed hic legitur et prologus qui incipit :

Cum sanctorum fortia gesta ad memoriam posterorum transcribimus, quid aliud agimus nisi, ut ita dicam, quoddam incentivum bellicum promovemus ?

Desinit vero :

Unde gemino gloriosa triumpho non inutiliter, ut spero, ad informandas mentes propouitur, quæ puellari corpore sic sexum vicit et seculum, ut et noxia carnis oblectamenta vitaret, et victoriosa passione tormentorum genera superaret. De hac igitur pro ædificatione locuturi tale sumamus exordium.

45° Passio S. Saturnini episcopi et martyris (fol. 120r-121r).

Edita apud Ruinart, *Acta martyrum sincera,* (Amstelædami 1713) p. 129-133.

46° Passio SS. Crisanti et Dariæ virginis (fol. 121r-125r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 469-484. — Ipsi Passioni hæc add. :

Hæc Passio sanctorum, a fidelibus digesta, quemadmodum beatas pro Christo fuderint animas, fidelissima declarat

attestatione. Horum pium imitantes affectum, non omittenda censuimus quæ de eisdem martyribus in libro beati Gregorii Turonensis episcopi qui inscribitur Miraculorum repperimus : quæ etiam huic sanctorum Passioni ad laudem Domini nostri et honorem martyrum conjungenda decrevimus.

Quæ dein in cod. sequuntur desumpta ex Lib. I de *Gloria Martyrum*, cap. XXXVIII, habes in *Act. SS.*, tom. cit., p. 439, num. 7 (cfr. annot. *a*, p. 490).

47° De translatione eorumdem martyrum (fol. 125r-125v).

Editum in *Act. SS.*, tom. modo cit., p. 490, num. 1-4. — Sed in cod. omm. secunda phrasis num. 3 *(Quæ vero-expediam)*, et ultima phrasis num. 4 *(Sed...)*. Eodem hoc num. ad verbum *Novum-monasterium* in margine superiore manu recenti : *monasterium Eyfflie ;* et in margine inferiore hi versus additi a corr. coævo cod. :

Gallia, cerne tuum divino munere sertum.
Hic ubi Tyreni Germania littora jungunt,
Insignem geminumque dedit tibi Christus honorem,
Crisantum Dariamque, urbis duo lumina Romæ,
October quorum revocans sollemnia mensis
Bis deno quintoque die pia templa coronat.

48° Passio SS. Ferreoli presbyteri et Ferrucionis diaconi (fol. 125v-126v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Junii, tom. III, pp. 7, 8. — At in fine ita cod. : *Acta... quinto Nonas Julii.*

49° Passio S. Pelagii martyris (fol. 126v-127v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 161-163.

50° Passio S. Ferrucii martyris (fol. 127v-130r).

Passio auctore Meginhardo abbate, edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Oct., tom. XII, p. 538-542.

51° Miracula S. Andreæ apostoli quæ dum adhuc viveret Dominus per eum operatus est (fol. 130r-134v).

Relatio haud absimilis illi de qua in Catalogo nostro Gandavensi, ad cod. 442, sed omisso epilogo *(Hæc sunt...)*, pro quo hæc ponuntur : *Ad laudem et gloriam salvatoris nostri Jesu Christi, cui est, una cum Patre et Spiritu sancto, honor et potestas per immortalia secula seculorum. Amen.*

52° Passio ejusdem (fol. 134v-137v).

Edita apud Surium ad d. 30 Nov.

53° Passio SS. Amsani et Maximæ (fol. 137v-138v).

Videtur inedita. Vid. Append.

54° Passio Stæ Barbaræ virginis (fol. 138v-139v).

Edita apud Zaccaria, *Dissert. lat.*, (Fulginiæ 1781) tom. I, p. 137-142.

55° Vita SS. Eucharii, Valerii et Materni (fol. 139v-142v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Jan., tom. II, p. 918-922. — At in cod. num. 15 om.; deinde ante num. 18 inscribitur rubrica *De sancto Valerio;* num. 24 ad fin. hæc verba : *die XVIII Kal. Octob.* om. et ad finem Vitæ sub hac rubrica : *Sermo de eisdem sanctis,* legitur sermo qui editus est tom. cit., p. 1153 inter *Addenda.*

56° Passio SS. Fusciani et Victorici martyrum (fol. 142v-143v).

Edita in *Act. Sanctorum Belgii,* tom. I, p. 166-169.

57° Vita Stæ Odiliæ virginis (fol. 143v-146v).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, Sec. III, Part. II, p. 488-496. — Sed in cod., num. 1, *Hohenburch* pro *Houmburch;* num. 2, hæc verba : *soror beatissimæ Sigrandæ matris ipsius sanctissimi Leodegarii,* om.; num. 4, *Ethardo* pro *Herhardo;* num. 19, *Adalbertum* pro *Adalardum; Attala* pro *Atalia; Gurslinda* pro *Gunlindis.*

58° Passio S. Ignacii martyris (fol. 146v-149v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Feb., tom. I, p. 29-33. — Sed in cod. numm. 20 et 21 omm.

59° Passio S. Gregorii Spoletani (fol. 149r-150r).

Edita apud Surium ad d. 24 Decemb. — In cod. num. II, *Yrcano* pro *Tyrcano,* et ita semper; num. IV ante med., post *una regii,* add. : *quæ sub mente appellatur;* deinde *trecentas quinquaginta* pro *quadringentas quinquaginta;* num. VI, *die decima Kalendarum Januariarum* pro *nono Kalendas Januarii.*

60° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 150r-153v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed sub finem, ubi fit sermo de civitate *Edissa* quæ expugnari nequit, pro octo ultimis phrasibus *(tam voluntate Salvatoris-pervenire. Amen)* ita cod. :

> Ex quo Abagarus rex ejusdem civitatis meruit epistolam scriptam manu Salvatoris accipere. Hanc denique epistolam legit infans baptizatus, stans supra portam civitatis, si quando gens aliqua venerit contra civitatem, et eadem die qua lecta fuerit, aut placantur barbari aut fugantur, eminati tam Salvatoris scriptis quam orationibus sancti Thomæ apostoli sive Didimi, qui latus Domini contingens dixit : *Dominus meus et Deus meus.* Cui agamus omnes gratias, credentes nos per hanc gratiarum actionem tam indulgentiam consequi peccatorum quam ad apostolorum gaudia pervenire in secula seculorum. Amen.

61° Passio Stæ Victoriæ virginis et martyris (fol. 153v-155r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 157-160. — Sed hæc notanda videntur :

Num. 2, lin. 27, post *oneratis estis*, ita pergit cod. :

Et ego vos requiescere faciam. Et iterum dicit : Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. Et tantum inter ipsos prophetas magnus fuit Helias, qui quoniam virgo permansit lingua ejus clavis cœli facta est, ita ut clauderet cœlum pluviis et iterum aperiret. Unde et Deus ita amavit eum, ut cum ipso virgineo corpore, igneo curru igneaque quadriga raperetur et ad cœlorum gaudia evocaretur æterna. Cum ergo adhuc Dei Filius non fuisset natus ex virgine et virginitas atque integritas permansissent in matre, ita ut virginitatis consecraret auspicia, ita suo consecravit in servo, ut in corpore hominem positum a terra transferret ad cœlos, quantam ergo nunc gloriam paratam habere possit virginitas Christo dicata, cum reginam cœli virginem fecerit quam suam matrem fecit in terris ? Tunc Victoria dixit : *Ergo nuptias...*

Num. 4, in describendo angelo apparente add. post *resplendens : indutus veste nivea candore mirifico, pennatus alis hinc inde compositis, gerens in manu sceptigeram virgam...*

Eodem num., lin. 23, post *æramentum*, add. :

Ut sit virginitas divitiæ, castitas mediocritas, conjugalitas paupertas; ut sit virginitas pax, castitas redemptio, conjugalitas captivitas ; ut sit virginitas sol, castitas lucerna, conjugalitas tenebræ ; ut sit virginitas dies, castitas aurora, conjugalitas nox; ut sit virginitas regina, castitas domina, conjugalitas ancilla ; ut sit virginitas patria, castitas portus, conjugalitas pelagus; ut sit virginitas caro sana, castitas cicatrix, conjugalitas vulnus ; ut sit virginitas nova purpura, castitas rediviva, conjugalitas lana ; ut sit virginitas novus homo, castitas anima, conjugalitas corpus. Omnia hæc non sunt extra palatium ; sed et aliter sedet in carruca sua dominus, aliter mulionis vilitas, aliter pedibus ambulans continet mulas; et cum sub uno imperatore militare noscantur, habent tamen de suis gradibus unus magnitudinem, alius mediocritatem, tertius vero ultimæ vilitati succumbit.

62° Passio Stæ Anastasiæ virginis et martyris (fol. 155r-157v).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Sed in cod. (fol. 156r, col. 2, lin. 18) hæc leguntur :

Ceteras sanctorum actiones prolixitatis nimietate prætereo et carptim per amicas Anastasiæ et ad ipsius Anastasiæ finem attingo. Amen.

Quorum loco apud Mombritium (p. 3, col. 2, lin. 12 a fine) legitur : *Imperante quoque Diocletiano.*

63° Passio Theodotæ et trium filiorum ejus (fol. 157v-160r).

Edita in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 179-184.

64° Passio Stæ Eugeniæ virginis et Prothi et Jacincti eunuchorum (fol. 160r-163v).

Passio ad res narratas quod pertinet haud absimilis illi quæ edita est apud Rosweydum, *Vitæ Patrum*, (Antverpiæ 1615) p. 340-349). — Ultimo tamen capite, pro iis quæ ibi leguntur inde a verbis : *Ecce loquente*, ita cod. :

Factum est autem ut veniens ad domum Claudia, instrueret filios suos juxta id quod monita fuerat. Die autem dominica, mysteriis celebratis, in oratione posita emisit spiritum. Quam Habitus et Sergius juxta sororem suam sepelientes, ita in timore Domini perfecti esse cœperunt ut et multorum ad se converterent animas paganorum. Denique de ipso Capitolio paratos ad sacrificandum homines sua exhortatione tollentes, ad ecclesiam duxerunt, quos baptismatis sanctificatione purgatos in suum gremium divina aula suscepit. Qui per multos annos in timore Christi cum bono vitæ profectu ad siderea regna migraverunt, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

65° Vita beati Silvestri papæ et confessoris (fol. 163v-176r).

Vita edita apud Mombritium, tom. II. — At in cod. prologo præmittitur hæc rubrica : *Incipit prologus disputationis beati Silvestri papæ contra Judaicam perfidiam.* Deinde margini ad initium Vitæ manu recenti adscripta est hæc nota : *per Eusebium episcopum Cesarie.* Codex habet etiam in parte priori omnes additiones quas edidimus ex cod. Bruxell. 64 (p. 5, 7° Catalogi Bruxell.). In fine vero pro tribus ultimis phrasibus editis apud Mombritium *(Et nunc usque-fugisse supplicium)*, hæc leguntur :

Post hæc Constantinus habuit bellum Citharum; et, victoria celebrata, cum esset in partibus Traiarum, in civitate quæ Bizantium vocabatur, vidit visionem magnificam dormiens : in qua ei oblata fuerat mulier anicula a beato Silvestro papa jam mortuo, et dicebat ei Silvester episcopus: *Fac orationem, et suscitabis eam.* Orante autem Constantino imperatore, illa anicula surrexit et facta est juvencula pulcherrima, et placuit oculis Constantini casta contemplatione, et induit eam chlamydem suam et diadema suum quod optimum habebat

posuit super caput ejus. Helena autem mater ejus dicebat ei : *Hæc erit tua, et non morietur nisi in fine mundi.* Evigilans autem narravit omnibus amicis suis visionem, et omnia quæ excogitabant non erant accepta auribus ejus. Tunc cœpit Constantinus vacare jejuniis et orationibus, dicens ad Deum: *Non cessabo jejunare et orare, Christe, Fili Dei, donec visionem quam mihi ostendisti per famulum tuum Silvestrum, aperias.* Septima autem die jejunii sui adest ei iterum in visione sanctus Silvester, dicens : *Anus decrepita civitas hæc est in qua tua moraris, nomine Bizantium; cujus et muri præ vetustate consumpti sunt et pene omnia ejus mœnia corruerunt. Ascende itaque illum equum tuum in quo baptizatus in albis sedisti in urbe Romana et per apostolorum et martyrum limina circuisti, et hunc sedens tene labarum tuum, quod signo crucis ex auro et gemmis est pictum. Hoc labarum tenens in dextera tua, dimitte frenum equi tui, et quo eum duxerit angelus, illuc eat. Tu autem fixo cuspite* (sic) *labari in terram, sic trahe illum ut semitam faciat transitus sui; per quam semitam extrui facies muros, et hanc civitatem veteranam et pene mortuam in juvenculam suscitabis, et tui nominis vocabulo decorabis, ita ut reginam illam facias omnium urbium. Erit enim in illa nomen Domini nostri Jesu Christi magnificum, et erunt in ea templa Dei ad honorem omnium sanctorum instructa, et filii tuorum filiorum regnabunt in ea.* Evigilans autem Constantinus, statim ad ecclesiam pergit, indicavitque episcopo civitatis, viro sancto Sisinnio, somnium quod prius viderat et secundo. Offert Deo munera, et communicans sacramento Dominico ascendit equum et perrexit quo eum duxit angelus Domini, atque per semitam labari fundamenta creverunt. Appellata est autem civitas Constantini, quæ græco sermone dicitur Constantinopolis usque in hodiernum diem.

His tandem addit codex quæ jam edidimus ex cod. Namurc. 15 (*Anal. Boll.*, tom. II, p. 160, in Append. ad Catal. Nam., cod. 15, 68°). Nota tamen in cod. Brux. legi *Latium* pro *palatium* (pag. modo citata, lin. 17).

66° Passio S^tæ Columbæ virginis et martyris (fol. 176^r-177^r).

Eadem Passio atque illa quæ edita est apud Mombritium, tom. I. — Sed hinc inde paulo prolixior, præsertim sub finem, v. gr. in objurgationibus quibus beata virgo capite damnata Aurelianum imperatorem impetit, et in oratione quam antequam gladio feriatur fundit ad Dominum. Tandem ante ultimam phrasim moralia quædam de martyrio leguntur.

67° Vita et miracula S^tæ^ Liobæ virginis (fol. 177^r^-182^r^).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Sept., tom. VII, p. 761-768. — Desiderantur in cod. index capitulorum et epistola dedicatoria (tom. cit., p. 760).

68° Passio S. Sabini episcopi et martyris (fol. 182^r^-183^v^).

Edita apud Stephanum Baluzium, *Miscellanea*, (ed. J. D. Mansi) tom. I, p. 12-14. — Præbet tamen cod. nonnullas lectiones variantes. Sic : Num. II litteræ imperatoris inscribuntur hocce modo : *Victor Maximianus Augustus triumphator perpetuus et imperator.* Sed omm. hæc : *data pridie Kal. Maii.* Num. III, *Asisium* pro *Sisinnium.* Num. VII ad finem, *pridie Kalendarum Januariarum* pro *pridie Kalendarum Juniarum.* Num. XIV ultima phrasis *(Cæci illuminantur...)* om.

69° Passio S. Livini episcopi et martyris (fol. 183^v^-188^v^).

Edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 327-344. — Ad finem num. 10 add. :

Immo gaudeamus quia pium pro nobis patronum habemus, pudicitiæ et pietatis splendore a Deo coronatum, angelis comparem, civem patriarcharum, socium apostolorum, coheredem martyrum et omnium sanctorum cœtui coæqualem.

Post Vitam statim sequuntur hæc cum suis rubricis :

Missa de eodem. Deus qui sanctorum merita martyrum pretiosissimo Filii tui Domini nostri Jesu Christi sanguine dedicasti, venerandam natalis diem beati Livini martyris tui atque pontificis honorantes propitius intuere et eis vultus tui hilaritatem concede. Per eumdem.

Secreta. Immolandum beati muneris sacrificium, supplicante dilecto martyre tuo et episcopo Livino, suscipe, Deus deorum, quod ad salutem concedas omnium redemptorum. Per.

Post communionem. Æternæ benignitatis tuæ nos, Domine, munere satiati te quæsumus qui Deus et Dominus es, ut beati Livini martyris tui et episcopi meritis reconciliati perpetua utriusque hominis mereamur sospitate lætari. Per.

70° Passio S. Edmundi regis et martyris (fol. 188^v^-189^v^).

Edita apud Surium ad d. 20 Novemb. — Sed in cod., omm. prologo ac cap. I et II, ita incipit :

Gloriosus rex Edmundus ex antiquorum Saxonum nobili prosapia...

Cap. V ita contrahitur : Quocirca... fines Britanniæ. Qui utrique duces ex Danis oriundi Northanmbrorum primitus... ex ordine, factaque præda... tradendam mandat, furebat... innoxius.

Cap. VI quæ sequuntur hæc verba : *sibi resistere* omm. ; et in cap. VII quæ sequuntur : *judicaberis et regno.*

Ex cap. VIII servata est prima linea *(... a secretis).*

Cap. IX, pro *Tunc conversus-reperies,* ita : Habitoque diu consilio hæc tandem impiissimo remandat tyranno : Thesauros... suppliciis. Unde noveris...

Cap. X ... confodiunt sicque factum est... Cumque staret mitissimus inter verba... Decembris anno Dominicæ incarnationis octingentesimo septuagesimo Deo...

Cap. XI ... consummavit. Ille integer vitæ... sepulturæ. *Ultima phrasis* (Huic-conspexisset) *om., et legitur* Hegilesdum *pro* Hagilesdum.

Tandem capp. XII et XIII in unum coalescunt hocce modo: omissa prima phrasi incipit :

Siquidem paganis abeuntibus illud corpus sanctissimum repertum... occubuit. Collectaque plurimorum... sylvarum gradiebantur, tentantes, si ad id loci... jaceret. Quod ut factum... contigit. Igitur illis omnibus pedetentim... cohortantium et clamantium : *Ubi es caput sancti regis ?* respondet dicens : Her... perduxit. Prædicto vero miraculo... Quod obstupefacti videntes unanimi devotione *(initio cap. XIII)* assumunt inæstimabilis pretii margaritam quam invenerant et retulerunt... Deum, prosequente... bajulo. Quo tandem... diligentia aptantes... mausoleo, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria in secula. Amen.

71° Miraculum S. Thomæ apostoli (fol. 189v).

Vid. Append.

Appendix ad cod. 206.

DE S. FLORINO. (Cfr. supra, pag. 114, 38°.)

Incipit vita sancti Florini confessoris.

1. Vir quidam de Brittannia oriundus ad urbem mundi primatu superbam peregre profectus, Deo disponente, cuidam ibi mulieri ex gente Israelitica egressæ et ortæ, sed longe sacramentis novæ gratiæ sua stirpe generosiori, fœdere conjunctus est maritali. Siquidem, sicut credi fas est, non violata [1] morum sanctitate nec studiis peregrinationis sanctæ ; quia conjugium quod debita pollet castitate profecto caret peccati labe. Evolutis igitur aliquot diebus, novi illi conjuges, quietiori vita ætatem agere satagentes, relicta Urbis, in qua degebant, populosa frequentia, cum locum secretiorem explorarent, in quamdam admodum remotam et humano cultu desertam, Domino dirigente, devenerunt vallem, cui ob venustatis ipsius Venustis vocabulum antiquitas indiderat. Constructo itaque ibi habitaculo, pro

[1] *sic legendum videtur, ut habemus in apogr. cod. Trevirensis, olim S. Maximini, loco vocis* violenta *quæ legitur in cod. Brux.*

exprimenda qua eum amabant commodæ amœnitatis causa, mutato nomine, locum appellabant Amatia. Dextro igitur voti sui successu potiti, parvo post tempore dilapso, sese, religiosis parentibus, multo præclariore futuro divinitus ditati sunt filio. Qui etiam, quoniam a pueritia in lege Domini erat instanter floriturus dignumque suo in tempore fructum daturus, quasi per divinum oraculum sortitus est vocabulum Florinus.

2. Transcenso autem pueritiæ termino, ille bonæ indolis alumnus presbyteri Alexandri, apud Heremusciam ecclesiam beati Petri regentis, magisterio est commendatus, utiliter ibidem litterarum studiis insudaturus. Cumque jam suis eum præceptor in scientia ultra illius ætatis modum pollere et in divino quotidie videret timore proficere, cœpit eum frequentiori ac ferventiori erudire admonitione atque ampliori dignum æstimare et amplecti dilectione. Igitur compensata ejus humilitate atque animi solertia, tanquam fideli et prudenti dispensatori, super omnia quæ possedit injunxit ei curam ministerii. In cujus nimirum providentiæ lege sic sanctæ serviebat largitati et industriæ, ut forinsecus ex ipsarum rerum attestatione clareret quis spiritus intus eum doceret. Ut enim his loquar qui credentibus omnia possibilia credunt : licet multa per eum et ad domesticorum et ad pauperum usum quotidie fieret expensa, supra memorati tamen Alexandri substantia nulla non solum sensit detrimenta, verum etiam per admiranda crevit augmenta. Magnus revera et maximi præceptoris discipulus, largus procul dubio et largissimi patrisfamilias mysteriorum nobilis dispensator constituendus. Qui enim operatus est in manu Heliæ ne deficeret lecythus olei aut hydria farinæ, ipse quoque simili miraculo illustrare dignatus est merita dilecti sui Florini.

3. Cum jam celebrandus ille adolescens multarum jubare virtutum claresceret, evidentiori judicio cœlestis veritas ejus sanctitatem vulgavit. Erat quippe ibi castrum, nomine Canicunas, eidem supradictæ villæ vicinum ; magnum videlicet adversus barbaros frequenter incursantes munimentum. Ubi memoratus presbyter sicut et ceteri illius loci homines suas quoque, quo minus prædonum timeret violentiam, posuerat facultates. De quo die quadam descendens beatus Florinus, plenumque vino ferens œnophorum, pauperculam nomine Maximinam obviam habuit, per quam prece obnixa monitus et exoratus, vinum quod detulit, viro suo ægrotanti transmisit. Sed quid apud diabolum remissum ? Quid contra ejus jacula tutum ? Recurrentem virum beatum, ut denuo repleret œnophorum, quidam qui præfato castro jure custodis erat præfectus, bonis ejus invidens actibus, pessulo valvis obdito, ab ingressu eum prohibuit : quin et misso ad Alexandrum nuntio, quasi rerum suarum profligatorem fidelem illum criminabatur dispensatorem. Quid tum servus Christi ageret ? Fraudem sanctam ut tegeret, copia non erat : si sine vino rediret, offensam magistri timebat. Prudenti tandem arrepto consilio ad divinæ largitatis emblema confugit, quæ in se confidentes nunquam confundit, sed eos magis glorificat. Ad propinquum igitur declinans rivulum, vilique illo liquore replens vasculum, lætabundus rediit ad magistrum.

4. Et ecce divinæ veritatis dignatio ab inflicto dissipationis [1] crimine suum

[1] *ita ex apogr. nostro ; cod.* dispensationis.

defendit electum. Nam Alexander inter cetera de allata etiam doctus aqua, mensa apposita cibariis exstructa, illico afferri sibi jussit et pocula, existimans jam congruam sublucere occasionem, quo vel eum modeste arguendo culpandam quam de eo falso audierat prorsus damnaret effusionem, vel certe ejus largitatem minus apte ea hora ostenderet factam. Igitur venerandus ille pincerna benedictione, ut moris est petita, aquæ liquorem propinavit; sed supernæ operatio potentiæ bibenti Alexandro vini saporem ministravit. Gustata autem aqua contra naturam mutata, Alexandrum stupor invasit, et ob falsam suspicionem rubor perfudit, magnique consideratio signi in excessum mentis duxit. Postquam vero ad se reversus mirandum prodigium admirandæ viri beati sanctitatis adjudicavit testimonium, festine de mensa surgens, stantis ministri advolutus est pedibus, vultumque large humectans lacrimis in hæc verba erectus prorupit: *Nominis mei excellentia magno digna esset honore et gloria, si eam doctrinæ et operationis sancta adornaret præstantia. Jure procul dubio gaudere deberem quod potuissem præesse, si meruissem etiam prodesse. Nunc autem, si collatio nostri meriti facienda est, quantum mei sublimitatem magisterii tuæ sanctitas humilitatis præcellat, rerum indiciis patet. Quoniam igitur vero judicio major in te virtutum translata est æstimatio, me desiderante et ea, qua adhuc fungor magisterii censura cogente, officii quoque fieri debet transmutatio, ut, versa videlicet vice, tu deinceps præsideas, ego feram imperia.* Tum vir prudentissimus non ignarus terrenæ sublimitatis apicem mentis nonnunquam dejicere celsitudinem, magistri desiderio et præceptis prorsus controversatus, ne qua tamen inobedientiæ culpa notetur, evangelica se tuetur auctoritate. *Scio,* inquit, *pater venerande, meliorem esse obedientiam victimarum holocaustomate; sed non ignoro tunc tantum prælatis parendum, cum in Domino sit imperium. Nunc autem cum juxta vocem Dominicam discipulus non sit super magistrum, magna nimirum esset præsumptio, si ego nullis fultus virtutibus in quemlibet etiam, nedum super te acciperem primatum. Quod ergo periculose auderem, te hortante et rogante, recte me arbitror repudiare, vera mecum causa agente.* Igitur ubi in sacro alternæ humilitatis litigio ea pars vicit quæ se rationis munimine defensavit, vir beatus Florinus in studiis vitæ pragmaticæ jam probatus commissum sibi dispensationis ministerium humiliter reconsignavit, theoricæ videlicet vitæ contemplationi liberius et solidius mentis intuitum defixurus.

5. Vir itaque Deo dignus, multiformi gratiarum charismate refertus, sicut de virtute in virtutem fecit ascensum, sic etiam de gradu promotus in gradum; nam quia in diaconatus ordine bene ministravit, sacerdotii quoque sublimari meruit. In cujus nominis excellentia cum mores ejus concordarent et vita, et jam circumquaque ejus crebresceret fama, non post multos dies, magistro suo, videlicet Alexandro, viam universæ carnis ingresso, omnium voto et annisu illius ipse successit loco. O felicem Rhetiam, cui per beati viri doctrinam daturus erat Deus gratiam et lætitiam. Audenter enim et vere ausim felicem asserere plebem, quæ intelligentem meruit habere gubernatorem.

6. Cum igitur vir venerandus uberi sacri dogmatis rore multorum corda perfudisset atque bonæ conversationis exemplo, quæ docuerat confirmasset, præsciens

per Spiritum jam se de hujus peregrinationis ergastulo eximendum, convocatis in unum discipulis et civium frequentia, post sanctæ exhortationis documenta, ait: *Nunc, vobis currentibus in Christo, ego perpetuo donandus sum otio: ad quod ut et vos quandoque perducamini, estote imitatores mei, sicut et ego Christi; et sicut a me accepistis vivente, ita quoque me extincto pastore in via Dei ambulatote.* Tunc omnibus subito mœrore perculsis, lacrimarum flumine faciem ubertim rigantibus, vir sanctus adjecit: *Scio*, inquit, *filii dilectissimi, quod mea audita dormitione parentes mei venient, glomerata amicorum myriade, quatenus, quia vos obniti sciunt, vi corpus meum possint tollere. Utrique namque vestrum majori, quam sint merita, mea pensantes statera, tanto æstimatis intercessorem apud Deum fideliorem, quanto me præsentia corporis gaudetis viciniorem, cum electi* (cod. *electis*) *Dei, quorum utinam contubernio adscribi debeam, patrocinentur ubique sua suffragia sincera implorantibus intentione. Nunc igitur, quia accusabilis est illa amoris devotio, quæ eo usque pervicax est, donec cruentæ litis inardescat negotio, meo vos expedit doceri consilio, quomodo et vos nihil amittatis et eis rixandi occasionem non præbeatis. Vili schemate et fabrica sarcophagum unum facietis, in quo, me spiritum reddente, corpus meum locabitis; sed et alterum manu politiori factum illi superponentes meamque in eo casulam recondentes, sera eum munietis aliisque ferreis vinculis obfirmabitis.* Quod cur vir Dei, prophetiæ spiritu plenus, ita fieri voluerit, rei exitus liquidissime docebit.

7. Defuncto namque mox eo atque ut præmonstraverat, humato, ecce juxta præsagium ipsius non parva manu aderant parentes ejus, accitaque omni illa ecclesia prorumpunt in verba, lacrimis et suspiriis permixta. *Nobis*, inquiunt, *absentibus filium nostrum debita carnis solvisse, quam explicabile sit magis dolemus. Sed virtutibus et miraculis apud vos eum coruscasse, id vero serio gaudemus. Nunc igitur, quoniam vos eo a primævæ ætatis flore usi estis vel ministro vel doctore, liceat, quæsumus, cum gratia, ut et nos lætemur recepta vel mortua prole. Solito dignum est tripudio, quod hactenus talem habuistis prælatum; non est autem injurium, si et nos repetimus vel sic pignus commendatum. Sufficiat vobis, quod eum vitæ et morum vivum habuistis informatorem. Ac nunc sinite ut nos vel defunctum nostri loci reducamus patronum et heredem.* Hæc dixerant, et hoc responsum accipiunt: *Jus esse gentium, quod exigitis, non inficiamur; sed christianæ legis justitiam nos contra hanc exactionem defendere arbitramur. In vobis pro reddendo viscerum æstuat affectus naturalis; in nobis pro retinendo caritas ardet spiritualis. Vos recipere nitimini virum secundum carnem ex vobis natum; nos fovere contendimus patrem in Christo secundum spiritum nobis datum: et cujus unquam judicio nos invalidiori nitimur causa? Ut igitur breviter quod mens habet, disseramus, nunquam nisi inviti eum amittemus.*

8. Dum vero neque per jus neque per preces parentes proficere multitudo vidit adducta, ut viribus uteretur maturavit esse intenta et parata. Sed consilio divinitus inspirato facile dirimebatur litigium. Nam quidam ex loci illius indigenis, quibus altius erat ingenium, non sinistre conjicientes quam ob causam vir sanctus duos sarcophagos opere et munimine dispari fieri et non eodem situ poni jussisset, parti fortiori cedendum judicantes, ad locum monumenti illos ducendos censebant.

Nunc æstimet qui potest, quid mœstis parentibus de tollendo ut putabant filio esset consolationis, quid devoto gregi de humani sagacitate ingenii timoris, quid etiam spei de sermone prioris promissionis. Ut ergo ad sepulcrum ventum est, species operis et diligentia munitionis, superiorem sarcophagum sacri corporis effigians custodem, lætam parentum fefellit opinionem. Nam mox eo sublato magno reversi sunt gaudimonio ; sed certe ambiguum relinquitur num propensius exultent qui se credunt transferre, aut hi qui sciunt se eum fovere in gremio terræ. His itaque compositis, pretiosi pignoris possessores duplicitatem rei pœnitendam veriti aliquo modo detegendam, ne forte clandestinæ vel violentæ ejus ablationi facultatem ministraret nota celebratio loci, consilium ceperunt de occulendo mausoleo ; sicque factum est, ut per annorum processum posteri locum sepulcri minus haberent certum.

9. Sed fas non fuit ut pietatis divinæ opus cessaret ; minime decuit ut præconia electi Dei oblivio aboleret. Proinde ut etiam apud homines memoria illius permaneret immortalis, vetera novis illustrantur signis. Enimvero Saturnino, ejusdem ecclesiæ presbytero, bonis imitabili viro, per visum beatus Florinus astitit. Locum sepulcri demonstrans, se inde levari atque post altare beati Petri infra eamdem ecclesiam locari præcepit. Quod cum presbyter indicare expavisset, nocte altera vir beatus rediens, vehementer ejus negligentiam arguit atque eadem prioris jussionis verba retexuit. Sed et iterata admonitione, dum presbyter manifestare quæ viderat neglexisset, tertia visione apparens beatus Florinus, non jam verbis tantum ejus inobedientiam increpavit, verum etiam ad emolliendam cordis duritiam, districta percussione inflicta, faciem ejus atque oculum livore ac tumore deturpavit. Eruditus verbere presbyter, clero atque populo convocato revelationem indicavit atque in fidei privilegium plagam culpæ et veritatis testem esse affirmavit. Tum omnibus ingens exorta est lætitia et exultatio, atque ut mature impleri deberet viri sancti jussio magna inter eos facta est cohortatio. Placuit tamen ut prius jejunio indicto castigatione carnis maculas peccatorum tergerent atque sancta inservituri ministeria vigiliis et orationibus se præpararent. Suprema itaque constituti jejunii nocte hymnologiis et orationibus omnibus instantibus, præfatus presbyter subito sopitus beatum Florinum sibi assistere vidit ; qui etiam, probata jejunii et vigiliarum devotione, priorem recensuit admonitionem. Expergefactus autem Saturninus, visionem ceteris replicavit. Tum omnis ille cœtus tanto lætior, quanto de revelatione certior, juxta christianæ religionis morem lampadibus ac thuribulis, hymnis canorus cœlestibus, ad locum sepulcri sacro obtemperaturus præcepto processit. Cum autem sancti viri corpus levaretur, in quanta resurrecturus esset gloria, ostendebatur : nam et locus magna perfusus odoris fragrantia, et caro ejus, prorsus adhuc a corruptione aliena, barbam et capillos visa est produxisse, ac si esset vivida.

10. Declarata sunt et alio præsenti signo sanctitatis ejus merita: nam dum radendo atque lavando corpore sanxissent consilium, ex divino nutu per sapientiorum judicium vinum, si haberent ; (erat enim tunc gelu nimis acto in glaciei duritiam coactum), maxime ad hoc opus asserebatur dignum. Tum unus quasi per

spiritum Dei loquens, respondit: *Cum electum suum confessorem eo quondam Dominus honore donaret, ut suas per eum leges natura perderet, numquid etiam eum hodie honestare non adjiciet? An non ejus obtentu in naturalem se vinum resolvet liquorem, per quem aqua in vini mutata est saporem*? Erectis itaque ad Deum omnium cordibus ex hoc sermone, pro apportando vino mittitur diaconus ejusdem ecclesiæ, Passuinus nomine, magna astantium spe et signi exspectatione. Et ecce vinum non liquidissimam dumtaxat reperitur, sed adeo vehementem etiam retinens colorem, ac si igne supposito concitatum fuisset in fervorem. Accepto ergo quantum rei necessitas poscebat vino, magno populum exspectantem participaturus gaudio, alacri Passuinus repedavit animo; et certe, quantum plebs cognito exultavit miraculo, facilius creditur, quam stilo explicetur. Expleto denique lavandi et radendi officio, pretiosum corpus in loco positum est præmonstrato, magna reverentia et digno tali funere obsequio. Ex vino autem, quo lotus est celebrandus ille Dei confessor, cæcus quidam linitus exoptatam accepit gratiam visus. Ægri multi eodem liquore peruncti a variis languoribus sunt curati; nec non a spiritibus immundis vexati mundationis munere ibi sunt potiti.

11. Nunc igitur, quoniam eis exterius ostendenda sunt signa qui intus minus vident, beatum petamus Florinum, quatenus hæc eadem in nobis spiritaliter operetur; ut videlicet supernæ contemplationis lumen habere mereamur; ne, præsentis vitæ tenebris pressi, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicimus, quo gressum operis porrigamus, ignoremus. Efflagitemus etiam, ut per ejus suffragium in fidei firmitate consistentes, nequaquam in animo languescamus, sicque malignis spiritibus habitationem in mentibus nostris non præbeamus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivens et regnans cum Patre et Spiritu sancto deprecationem exaudiet se timentium usque in finem dierum. Amen.

DE S. SIMPLICIO AUGUSTODUNENSI. (Cfr. supra, pag. 115, 40°.)

Incipit vita sancti Simplicii Augustudunensis episcopi.

1. Simplicius, vir prudens, dives ac nobilis, decoræ, nobilissimæ prudentissimæque virgini jugali fœdere sociatur. Inter hos vero fixa perseverantia et diffinitione virginalis castitas custoditur, occulto seculi tegmine; et consortium spiritale summumque pudicitiæ decus soli Deo patet, quo solo custode servatur. Dies jejuniis, noctes transiguntur vigiliis. Interea Simplicius meritorum splendore ac [1] doctrinæ luce [2] conspicuus, summi sacerdotii titulo et apice sublimatur. Quid conscientia sancta non audeat in adjutorium pontificis? Castitas virginalis nec in sacerdote desinit, quem ad meritum sacerdotale perduxit. Servantur enim ab his ab ineunte ætate usque ad senium multiplicanturque in eis divina munera, servaturque nitor fontis et odor chrismatis ac dignitas nuptialis, stola pudoris, rosaque castitatis. Lilia infulæ sacerdotalis effulgent.

[1] *cod.* ad. — [2] *cod.* lucem.

2. ... [1] et obloquendo contendit ac per aliena ora propria venena diffundit, et quos mortis telo nequit prosternere, capere mendacii oblocutione pertentat. Turpis vero luxuriæ jugo oppressi et blanda seductione captivi, tentatori suadenti credunt et ab aliis ... [2] coerceri non possunt, ac quæ agere nolunt agi non posse confingunt, et ex voluptate cæci in vitia proruunt et ex necessitate se delinquere mentiuntur. Libidinis ardore vinci, voluptatis vitium est, non naturæ. Damnabili diffinitione virtus contemnitur et falsa voce infirmitas accusatur; voluptas autem per Dei gratiam prompta est ad victoriam, aut per culpam prona vergitur in ruinam. Infidelissimi quique mortalium, relicta lege, mandati transgressionis culpam transferunt in naturam.

3. Igitur dies qua mundo regem cœli virginalis partus effudit illuxerat, cum nobilissimæ urbis senatus dictis virginem nunc lenibus [3] nunc amaris alloquitur: *Licet gravitas morum dulcis ac sanctæ libertatis jocunditas nihil nos sinistrum de vobis sentire compellat, tamen mollis flamma libidinis longa cruce sumpta et vasta desertaque habitatione reposita impudicitiis addet conatibus. Tentabit enim vos conflictibus, uret incendiis, et constantiam nonnunquam radice fundatam hostilis ruina, si potest, prosternet. Procellis vero multis turbinibusque expositos exterior hostis impugnat, interior ignis inflammat et male dulcem ad noxam consortia tori inimica præcipitant. Quæ mens evadere potuit tam atrocium discriminum vallata pericula? quando injecta flamma non attigit? quando ignis alimenta sua pertimuit? Impossibilia vobis credimus, cum impossibilia cuncti sentimus. A communione pontificalis tori pudoris respectu sejungere* [4], *vel susceptioni nostræ consulens vel tuo discrimini.*

4. Mordacibus interea verbis virgo commota, pontificem petit et hæc vel scientiæ luce respersa vel constantiæ clara libertate proloquitur: *Compulsa ad præsentiam tui, optime Pontifex, venio, quia calumnia innocentia et justitia scelere accusatur. Egregii illi filii, dum mihi crimen obtendunt, in injuriam tui, optime pater, insurgunt. Aiunt fieri non posse ut communi in toro juncta femina viro castitatem corporis virtutis mente conservet. Dum fragilitas nostra culpatur, sanctitas infami culpa respergitur. Dicunt peccatum vitari non posse, cum via peccandi patuerit, et ita corda mortalium luxuriæ exuri flammis ut in tenui velamine* [5] *oriuntur incendia. Argumentumque iniqui certaminis efficiatur probatio castitatis. Et cum mendaces impossibilia, ut credunt, perfici non posse divina virtute conspexerint iniqua causatio accedit et victam se esse ex animi sui præsentia fatetur.* Hæc narrans prunas quas famula ob necessitatem algoris subjiciendas dominæ pedibus arola, ut dici moris est, gerebat inclusas, extenso, velamine suscepit et horæ ferme per spatium inlæso tegmine retentat. Vivit enim flamma et damna nesciunt elementa.

5. Pontificem virgo monet ut ipse etiam sacrum velamen extendat et incendia nihil nocitura sibi suscipiat, viventesque submoto [6] ardore flammæ subditas esse

[1] *licet in cod. nulla appareat lacuna, certum tamen est quædam hic deesse.* — [2] *hic rursus videntur quædam deesse.* — [3] *cod.* levibus. — [4] *cod.* respectus e jungere. — [5] *add. hic cod.* et seni *quæ videntur hic redundare.* — [6] *cod.* sub moto.

testentur flammas et extinctas luxuriæ. Paret ex oratione pontifex duorumque merita virtus una testatur. Interea ad ecclesiam catholicam et dulcissimam matrem tertia prius pars populi gentilis confugerat. Quæ, hoc viso miraculo, die uno trium millium hominum multitudo gremio ecclesiæ genitricis excipitur, ac vitalis lavacri fonte diluitur. Intra septem tamen dies mille ex his felici cum consummatione ecclesia misit ad cœlos et munera sua in gremium Hierusalem sanctæ transfudit. Et ita beatum Simplicium sanctamque virginem inspector jugalis tori suscepit Deus, crux exercuit, suspicio abiit, virtusque prodidit vitam quam mors reddidit sine crimine puram, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria sine fine. Amen.

DE SS. AMSANO ET MAXIMA. (Cfr. supra, pag. 116, 53°.)

Incipit passio sanctorum Amsani et Maximæ.

1. Refertur in gestis divinis quod arcana regum abscondere benignissimum est, omnipotentis autem Domini mirabilia omnibus patefacere gloriosissimum. Unde nos, illustrati monitis ejus, prævidimus de miraculis aliquid ejus prout valuimus enarrare. Sed, quia gravati mole peccaminum ut cupimus expedire totum nequimus, confidentes tamen de illius misericordia qui bonorum omnium remunerator est et peccatorum remissor, incipiam aliquid de mirabilibus beati Amsani martyris referre, quæ et quanta per eum Dominus exercere dignatus est.

2. Imperante namque Diocletiano septies in urbe Roma, erat quidam vir, nomine Tranquillinus, nobili genere ortus, et habebat filium, nomine Amsanum, qui ab adolescentia sua Deo in omnibus servire studuit et ei placere desideravit. Hic igitur natus in prædicta urbe, cum esset inter scholares enutritus, soli Domino Jesu Christo placere desiderans, et ei in omnibus quotidie prout valebat serviens, cum esset annorum duodecim, occulte ad ecclesiam fugit, quærens aliquem sacerdotem qui eum baptizaret. Erat autem ibi sacerdos quidam, nomine Protasius, qui baptizabat omnes qui pro Christo patiebantur. Cum vero se sopori dedisset, ecce circa mediam noctem angelus Domini advenit, habens coronam splendidam tanquam nix in manu sua, et tetigit eum dicens: *Protasi, surge et vade ad secretarium ecclesiæ et purifica eum qui ex toto corde quærit me.* Hæc audiens sanctus Protasius, evigilavit cum gaudio magno : gratia enim et sanctitate is* tunc florebat; et cum celeritate abiit ad secretarium. Et cum venisset ante ostium illius, lux Dei cœpit eum præcedere, et factus est ibi odor aromatum omnium pretiosorum, et fons aquæ inundavit. Sanctus vero Dei Protasius celebravit ea quæ Dei sunt. Qui cum baptizaret eum, erat ibi quædam mulier Maxima, christiana valde, quæ erat de territorio Anacritano. Ipsa ei mater de baptismo effecta est. Et cœperunt esse in spiritu et anima una, unum agonem pro Domino tolerantes. Reversus namque beatissimus martyr Christi Amsanus ad domum patris sui, quotidie Domino Jesu Christo insciis parentibus famulabatur.

* *cod.* his.

3. Anno autem tertiodecimo imperii prædictorum imperatorum sæva persecutio advenit, ita ut non civitas, non vicus, non habitatio remaneret ubi idolum Jovis non erigeretur, edicto proposito ut qui inventus esset nominare Christum variis pœnis cruciaretur. Erat namque beatissimus martyr Amsanus permanens occulte in simplicitate sua per annos septem. Erant autem omnes anni vitæ illius decem et novem, Ut autem audivit sanctus Dei martyr tam ferox propositum, dedit se in orationem, dicens : *Domine Deus meus, in te speravi ; salvum me fac ex omnibus persequentibus me.* Et dum finisset orationem, cœpit cogitare de Deo. Imperatores enim residebant in soliis suis, et agentes ea quæ Dei non sunt pœnas proponebant adversus eos qui Christum diligebant. Beatus namque martyr cœpit meditari infra semetipsum, dicens : *Vadam et dicam imperatoribus quia christianus sum et pro illius nomine mori desidero.*

4. Hæc autem cogitans surrexit et abiit ad domum præfatæ Maximæ quæ illi per baptismum mater effecta est, et ait illi : *Mater, ecce tempus paratum ad palmam, ecce lux concessa ad vitam. Derelinquamus profana dæmonum, qui perdere possunt, adjuvare autem nequeunt, et adoremus Dominum Jesum Christum, qui potest et animam et corpus salvare.* Maxima respondit : *Hoc semper optavi.* Mane autem facto, surrexerunt ut irent ad imperatores. Qui cum venissent in via, antequam venirent ad imperatores invenerunt quemdam hominem cæcum, cui per omnipotentis Dei misericordiam mox visum restituerunt. Videns autem hoc quidam ex sceleratis, cursu velocissimo pervenit ad imperatores et sic cœpit dicere : *Serenissimi augusti, jussistis ut omnes habitantes urbem offerant thura diis omnipotentibus per quos mundus floret. Hos ergo profanos scitote quod deos nostros omittentes abnegant et seductorem illum Christum qui crucifixus est a Judæis confitentur, et in nomine ejus cæcis restituunt visum, surdis auditum, et alias virtutes per eum agunt.*

5. Tunc imperatores eos suis aspectibus præsentari jubent. Quos intuentes, dixerunt : *Unde estis ?* Qui respondentes dixerunt : *Ingenuis ex parentibus sumus, ut omnis affinitas nostra in hac urbe testatur.* Imperatores dixerunt : *Audivimus quia reum illum crucifixum confitentes, deos nostros deridetis. Nunc ergo, si vivere desideratis, offerte diis omnipotentibus thura, ut sint vobis propitii et non pereatis.* Sancti Dei ad hæc respondentes, dixerunt : *Nec sibi sunt propitii dii vestri, nec cultoribus eorum. Nobis namque propitiabitur Dominus noster Jesus Christus, pro cujus amore nosmetipsos tradimus ad passionem. Ipsum etiam invocamus, ut nos dignetur ad suam gloriam vocare.* Imperatores dixerunt : *Negate Christum vestrum et Jovem colere inchoate, ut vitæ vestræ possit esse consultum.* Sancti martyres dixerunt : *Si verum velitis Deum nosse, citius scire potestis nihil esse deos quos adoratis. Numquid Jovis cœlos fecit aut terram super aquas fundavit ? Numquid Jovis mari terminos posuit, aut hominem de limo terræ formavit ?* Imperatores dixerunt : *Nonne ipse hæc omnia operatus est ?* Sancti martyres responderunt : *Absit ut hoc sapientes credant. Deus enim omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, verbo suo omnia constituit ; qui et hominem de limo terræ formavit, quem decepit diabolus per inobedientiam, et ita mendaciis et vanitatibus corda hominum seduxit, ut luteos*

et lapideos sibi deos faciant, nec quærant Deum verum, sicut dicit propheta: Vani filii hominum, mendaces filii hominum; testante pariter et Salomone, qui ait: In malivolam animam non introibit sapientia. Imperatores dixerunt: *Non vos adduximus de prophetis loqui nobiscum, sed ut diis immoletis; et hoc monemus vos, ut sacrificetis diis omnipotentibus et vivatis.* Sancti martyres responderunt: *Nos credimus in Dominum Jesum Christum, amatorem castitatis, pudicitiæ dilectorem, in quo si permanserimus, non delebit nos de libro vitæ nec peribimus a mandatis illius. Nunc autem parati sumus ad ignem, ad vincula, vel per qualescumque volueritis nihil terremur nobis pœnas inferre.*

6. Audientes hæc imperatores, jusserunt eos celerius trahi ad carcerem. Statim autem clausa est janua carceris. Sancti vero martyres prociderunt in orationem, dicentes: *Probasti, Domine, cor nostrum et visitasti nocte; igne nos examinasti; et, si etiam inventa est in nobis via iniquitatis, tu perduc nos ad vitam æternam.* Et dum complessent orationem, statim suavitatis fragravit * odor et vox sonuit in carcere, dicens: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete; quia nunc impletæ sunt orationes vestræ, et meruistis accipere illud quod nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quæ promisit Deus diligentibus se.* Audientes hæc sancti martyres, genua flectentes in oratione, deprecabantur Dominum, dicentes: *Gratias agimus, Domine Jesu Christe, qui prius quam invoceris exaudis, et confirmas misericordiam tuam super timentes te. Et nunc, Domine Deus omnipotens, tu es secretorum agnitor, qui nosti omnia ante quam fiant: nos neque repellas a mandatis tuis, sed fac nobiscum secundum misericordiam tuam.* Et dum finissent orationem, cœperunt Davidica voce psallere: *Exaudi, Deus, orationem nostram, et ne despexeris deprecationem nostram; intende in nos et exaudi nos. Contristati sumus in exercitatione nostra, conturbati sumus a voce inimici et a tribulatione peccatoris. Sed tu, Domine, ne derelinquas nos usque in finem.* Et dum complessent orationem, sopor accidit. In ipso autem sopore apparuit eis angelus, dicens: *Confidite et nolite timere: Dominus noster Jesus vocat vos ad vitam æternam.* Sancti autem hæc audientes et expergefacti a somno, retulerunt gratias Christo.

* *cod.* flagravit.

7. Mane autem facto residentes imperatores in soliis suis, jusserunt eos suis adduci aspectibus. Quibus sub voce terribili dixerunt: *Cogitastis hac nocte animos vestros a stultitia revocare, ut possitis in nostra permanere amicitia?* Sancti martyres responderunt: *Vobiscum habere gaudia quiveramus, si credentes Christo confringi sineretis dæmonum simulacra.* Imperatores hæc audientes, jusserunt beatum Amsanum in custodiam recludi et Maximam suis aspectibus astare. Cui dixerunt: *Maxima, derelinque errorem tuum, et immola diis et esto nobiscum.* Respondit Maxima: *Non vobis credam, quia estis persecutores Domini mei Jesu Christi et seductores animarum, quia semper mendaces fuistis et fidem non habetis. Aspiciam David prophetam dicentem: Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum: os habent et non loquentur, oculos habent et non videbunt; similes illis fiant qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis.* Imperatores valde irati, dixerunt: *Nos te hodie mala morte perdemus.* Statim jusserunt adduci nodo-

sos fustes, et sedentes pro tribunali jusserunt eam extendi et fustibus cædi. Quæ cum diu cæderetur, emisit spiritum.

8. Sanctus vero Amsanus fugiens de carcere, transmeavit per Cimineas Alpes et pervenit ad urbem quæ nuncupatur Balneum Regense *. Ubi ei Dominus per visionem apparuit, dicens: *Amsane, eo quod propter amorem meum dimisisti dæmonum profana, faciam te columnam in templo meo; et foras non egredieris, sed faciam te vitæ æternæ tenere portam, ut quicumque te imitatur, per manus tuas offeratur ad Patrem vestrum qui est in cœlis.* Hæc audiens beatus martyr Christi Amsanus, cum magno gaudio evigilavit, referens gratias Jesu Christo. Post duos vero menses surgens inde, devenit in oppidum Senense, ibique multa mirabilia per virtutem Domini fecit. Imperatores autem hæc audientes, direxerunt illuc Lisiam, proconsulem suum, et præceperunt ut in eodem loco statueret simulacrum Herculis et Jovis et Saturni, ut ipse adoraret eos: quod si non adorasset, diversis pœnis interficeretur. Proconsul namque ut venit ad præfatum locum, jussit sanctum Dei martyrem Amsanum suis præsentari aspectibus. Cui et dixit: *Adhuc et tu permanes in insania tua? Cur non reverteris ad imperatores, de quorum potestate fugitive existi, ut immoles diis omnipotentibus, ut sint tibi placabiles et vivere possis?* Sanctus Amsanus respondit: *Tu et imperatores tui adorate deos vestros, qui nec sibi nec vobis queunt auxiliari; ego adoro Dominum meum Jesum Christum, qui me eripuit de omnibus tribulationibus meis. Sed, si vultis ut adorem deos vestros, inquiramus quorum sint isti ipsi imagines, et videamus si his merito honorem exhibere debeamus. Deus enim non potest æstimari nec credi, nisi qui omnem sanctitatem omnemque supergreditur majestatem, cui est gloria in secula seculorum.* Præses dixit: *Quid mihi diu simulas verbis? Aut sacrifica diis, aut diversis pœnis mox te interficiam.*

* Bagnorea.

9. Tunc præses jussit incendi ignem copiosum, et præcepit in eum mitti ceram et plumbum et resinam et oleum, et eum ibidem mitti. Sanctus vero Amsanus dum ingressus fuisset in eum, ita ignis extinctus est ut nec tepor quidem incendii remaneret. Tunc iratus præses, jussit ei caput abscidi. Et ductus est a militibus juxta fluvium Arbiam, ibique decollatus est sub die Kalendarum Decembrium. Passus est autem beatus Christi martyr Amsanus supradicto die, regnantibus Diocletiano et Maximiano imperatoribus, sub Lisia proconsule, et sepultus est juxta prædictum fluvium, in quo loco multa beneficia præstantur usque in hodiernum diem, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, cui est honor et potestas in secula seculorum. Amen.

DE S. THOMA APOSTOLO. (Cfr. supra, pag. 122, 71° et præfat., p. 108.)

Miraculum sancti Thomæ apostoli.

Patriarcha regionis Indorum orationis gratia unius anni in spatio Romam remis et velo provectus advenit. Qui inquisitus a summo pontifice de sancto Thoma et miraculis ejus, ita ut vera novit coram clero universo et senatu respondit: " Civi-

tas, ait, ipsa in qua venerabilis apostoli Thomæ corpus in Domino requiescit, Hulna vocatur; quæ quidem totius regni nostri caput est atque dominatrix. Hujus etenim civitatis magnitudo quatuor dierum itinere per circuitum lata extenditur. Muri vero quo circumdatur talis est grossitudo, quod super illum ad minus duo currus pariter junguntur; sed altitudo cacumen excelsæ turris transcendit. Per medium Phison, unus de paradisi fluminibus, limpidissimis emanat aquis, aurum pretiosissimum atque gemmas pretiosissimas foras emittens, unde gens nostra fit opulentissima. A fidelibus quoque christianis hæc civitas tota, ut decet, inhabitatur; inter quos nullus erroneus aut infidelis conversari potest, quin aut citius resipiscat aut inopinato casu moribundus corruat. Paululum vero extra mœnia urbis mons separatus est, profundissimi lacus aquis undique septus. In eo turris eminens et excelsa, in cujus summitate beatissimi Thomæ apostoli mater ecclesia posita constat. In circuitu vero ejusdem lacus deforis in honore XII apostolorum XII monasteria. Prædictus quidem mons, ubi apostoli Thomæ sita est ecclesia, nulli hominum infra annum accessibilis est, neque illum adire aliquis temere audet. Sed patriarcha, quicumque fuerit, ad celebranda sacra mysteria non nisi semel in anno, cum circumquaque advenientibus, ingreditur. Namque apostolicæ festivitatis adveniente die, octo diebus ante illam totidemque post illam abundantia illarum aquarum prædictum montem circumeuntium ita tota decrescit, quod fere an ibi aqua fuerit, non facile discernatur. Unde ibi undique concursus fit populorum fidelium et infidelium de longe venientium atque omnium male habentium languorum remedia et curationes, beati apostoli Thomæ meritis, indubitanter expectantium. Est enim intra sancta sanctorum istius prædictæ ecclesiæ ciborium mirifice elaboratum argentoque contextum et pretiosissimos quales ibi paradisi fluvius nomine Phison emittit, variis lapidibus decoratum. Intra quidem pretiosissima argentea concha argenteis dependet catenis, cara quidem, ut etiam ipsius * apostoli narrat historia, metallo, sed potior thesauro intra se reposito. Sane in ea veluti depositionis die ita adhuc apostoli corpus sacratissimum illæsum et integrum conservatur, et tanquam vivus in illa erectus stare cernitur. Ante cujus præsentiam aurea lampas balsamo plena argenteis restibus pendet. Quæ ubi semel fuerit accensa, ab anno in annum nec balsamum diminutum neque ipsa extincta reperitur, sed talia Deo volente et apostolo intercedente in anno futuro inveniuntur, quemadmodum majora ex illius liquoris unctione prosequenda protestantur postea. Plane ut prædictum est, secundum consuetudinem diei festi patriarcha redeunte per singulos annos ad prædictam ecclesiam, post eum maximus concursus fit populorum, virorum ac mulierum unanimiter clamantium et indeficientibus vocibus postulantium balsami * ante tribunal apostoli ardentis qualemcumque particulam. Nimirum qualiscumque invalitudinis æger, si ex eo unctus fuerit, quin statim Deo volente nulli dubium sanus fiat. Deinde ad prædictam concham expendendam cum suis suffraganeis episcopis patriarcha velut in sacris paschalibus solemnitatibus præparat sese, et post hæc cum hymnis et spiritualibus laudibus paulatim expendunt cum sacro corpore concham. Multo etiam cum tremore magnaque reverentia sacrum apostoli corpus suscipientes in aurea illud juxta altare collocant

* *cod.* ipsi.

* *cod.* balsamum.

sede. Cujus adhuc figura et integritas per voluntatem creatoris talis permanet qualis fuerit cum vivus per mundum incederet. Facies vero ejus tanquam sidus rutilat, capillos habens rubeos et usque in humeros fere extentos; barbam vero rufam, crispam, sed non prolixam, universam quoque formam visui pulcherrimam. Vestium quoque duritia atque integritas eadem adhuc permanet quæ fuerat cum prius eas indutus fuerat. Taliter igitur deposito atque in cathedra apostoli corpore collocato, continuo sacri ministri diei festo pertinentia ineunt officia. Sed ubi eucharistiæ percipiendæ tempus advenerit, sanctificatas in altari hostias patriarcha patena componit et cum magna reverentia ad locum ubi apostolus sedet eas defert, atque inclinatis genibus eas apostolo offert. Ipse autem per dispensationem creatoris extensa manu dextera ita provide suscipit eas ut non mortuus sed omnino vivus esse credatur. Susceptas etiam in palma extente conservat, singulas singulis largiturus. Universus namque fidelium populus virorum ac mulierum multa reverentia atque formidine unus post alterum accedens, singuli singulas hostias de manu apostoli ore accipiunt, apostolo porrigente. Si quis vero infidelis vel erroneus seu alia peccati macula infectus communicandus illuc accesserit, ipso quidem præsente videntibus cunctis statim cum hostiis apostolus manum retrahit et claudit nec quamdiu ipse præsens fuerit eam aperit. Peccator autem ille nunquam evadet quin aut tunc statim resipiscat et pœnitentia ductus communionem ab apostolo sumat, aut antequam locum exeat moriatur. Quod plerique infidelium aspicientes, tanti miraculi formidine territi, relicto suæ paganitatis errore mox ad fidem Christi convertuntur, et sanctificationis undam incessanter poscentes in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis unanimiter baptizantur. His ita compositis atque tota illa hebdomada sancti apostoli Thomæ festivitate pertinentibus a clero et populo sacris mysteriis celebratis, patriarcha cum prædictis Dei ministris, archiepiscopis et episcopis, sicut quando illud expendunt, magno cum tremore et reverentia undique sacrum apostoli corpus ibidem tremebundi reponunt. Post hæc unusquisque in sua gaudens et exultans tantis miraculis visis lætabundus regreditur. Tota vero prædicta illa planities lacusque qui ad festum sancti Thomæ populo catervatim ingrediente penitus arescit, eodem recedente liberrimis atque profundis aquis statim repletur et in pristinum statum celeriter recurrit. „ Talia Indorum patriarcha in curia Lateranensi recitante, Calixtus papa secundus cum cetera Romana ecclesia quæ illic aderat, elevatis in cœlum manibus, Christum æquanimiter glorificaverunt, qui talia tantaque miracula per sanctum suum apostolum Thomam annuis temporibus operari non desinit, cum Patre et almo Spiritu vivens per infinita secula seculorum. Amen.

VIII. Codex signatus n° 207-8.

Item similis codici 98-100 (cfr. quæ diximus supra, p. 23), nisi quod passim occurrunt litteræ initiales majori industria et arte ornatæ, variis tinctæ coloribus et etiam auro insignes. — In fine subjunctum est manu seculi XIII ineuntis Provinciale (1).

Excisæ sunt tres partes folii primi, ita ut nonnisi fol. 2 inscribi potuerit a manu recentiori : *Contenta hujus libri : Passionalis Sanctorum. Pars 1ma*.

Dolemus excisa esse præterea folia sedecim, a 80v-97r, quibus continebantur, ut ex indice manu recentiori codici præfixo patet, pars Passionis S. Babylæ, *Passio S. Polycarpi episcopi, SS. Tirsi et Galieni mart.*, et pars Vitæ S. Brigidæ virginis.

1° Vita S. Basilii episcopi (fol. 1-7v).

Alia versio Actorum quæ sub nomine S. Amphilochii edita sunt in *Act. SS.*, ad d. 14 Junii, tom. II, p. 938-956. — In cod. om. prologus.

2° Vita S. Fulgentii episcopi et doctoris eximii (fol. 7v-16v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Jan., tom. I, p. 32-45.

3° Passio Stæ Martinæ virginis (fol. 16v-21r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Jan., tom. I, p. 11-18.

4° Vita S. Mauri abbatis (fol. 21r-28r).

Vita auctore S. Fausto, edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1039-1050. — In cod. omm. numm. 7 et 10-14.

5° Passio Concordii martyris (fol. 28r-28v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Jan., tom. I, pp. 9, 10. — Sed in cod. hæc : *Dies natalis sancti Concordii martyris celebratur Kal. Jan.* (num. 9 sub fin.), omm.

6° Passio S. Secundi martyris (fol. 28v-29r).

Edita quidem est Passio S. Secundi in *Act. SS.*, ad d. 1 Junii, tom. I, p. 52-54, sed in cod., omisso num. 1, ita contrahitur :

Num. 2. Tempore quo Maximianus augustus regnavit post obitum patris sui Diocletiani, propter religionem christianorum emisit edictum per provincias... punirentur. Tunc vero in vicino civitatis multi... absconditi, et licet Christum in interiori homine abscondere bonum sit, absconditus est Christi minister beatus Secundus sub cujusdam... Eudoxiæ, quæ quotidianis die-

(1) De quo cfr. luculentam notitiam traditam a R. P. D. Rattinger, S. J., in *Historisches Jahrbuch*, tom. II (Münster 1881), p. 24 sqq. Editionibus ibidem indicatis jam addenda ea quæ prodiit inter Additamenta ad Matthæi Parisiensis *Cronica Majora* (tom. VI, London 1882), p. 446 sqq.

bus... administrabat. Unde et factum est ut in vigiliis et hymnis Deo gratias redderet. Factum est autem ut Dionysio... christianos, ut augusto Maximiano placeret, cœperuntque tradere vicini...

Num. 3. Interea tenetur beatus Secundus a Dionysio proconsule, et perductus est ab aliquibus in civitatem Spoletinam ante proconsulem. Cui dixit proconsul : Ex qua... Aurelii cæsaris sum. Tunc dixit... cæsaris. Dixit ei beatus Secundus : Ego... fecit. *(Cetera omm.)*

Num. 4. Et ecce corpus meum paratum est ad supplicium. Sic enim dicit apostolus quia in confessione probabitur omnis vir. Et ego Christum confiteor labiis, et corde non cessabo invocare Christum, et ipse mihi reddet promissum suum, sicut diligentibus eum. — *Et post hæc (cfr. annot.* e, *p. 94, tom. cit.) statim sequitur :*

Num. 5. Dicit ei proconsul : Sacrifica deo magno Herculi, quem principes adorant. Dicit ei Secundus : Cur me compellis idolis sacrificare et dæmonibus ? Respondit proconsul : Elige tibi unum e duobus : aut... in te suppliciis expendetur. Dicit... iniquitatis. Et iratus... templum pulcherrimum nimis et amplius habens auri quam XL centenarios. (*Cfr. annot.* g.)

Pro num. 6 : Et dum... in pulverem reduxit. — *Statim sequitur :*

Num. 7. Et jussit ei dari sententiam ut duceretur in eamdem civitatem Amerinam et in fluvium Tiberim, et ut ligarent ei molam ad guttur ; et sic eum mergi præcepit. Statim autem quæstionarii fecerunt jussionem proconsulis, et adduxerunt eum ad fluvium, et ligaverunt ei molam ad guttur magnam, quam XX homines portare poterant. At ille dixit : Domine... vivi, miserere mihi peccatori et... spiritum meum et ad tuum conspectum jubeat stare, Deus, qui... oratione ligaverunt molam magnam ad collum ejus, et miserunt eum in fluvium Tiberim. Et revertentes quæstionarii subito Dei invasit eos... amplius quam octo... fugerunt. Fugientes autem dicebant quod hic homo Dei cultor erat : sed credamus in eum quem credebat et prædicabat sanctus Secundus. Et venientes invenerunt beatum Euthicium presbyterum, et perquirentes eum ubi esset absconditus, miserunt se... dicentes : Redemptor omnium animarum Christo credentium, libera nos per tuam sanctam conversationem, et ostende nobis fidem... per imperium nequissimi D. proconsulis... fluvio et postulamus tuam sanctam conversationem ut nos Christo facias esse... Vos credite Christo, et omnia condonantur vobis. Et allata aqua... eos, promiscui sexus, numero XII, et abscedentes Deo gratias referebant.

Num. 8. Erat autem quidam p... fluvii jacens ; et recondidit... fuisset, Eudoxia, religiosa femina, ambulavit cum suis vehiculis, et tulit corpus beati Secundi in prædium suum, non longe ab urbe Amerina, sub die Kalendarum Januariarum in pace, ubi florent orationes beati Secundi nunc et semper et per cuncta secula. Amen.

7° Vita S[tæ] Eufrosinæ virginis (fol. 29r-31v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Feb., tom. II, p. 537-541.

8° Vita S^tæ Genovefæ virginis (fol. 31^v-32^v).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Jan., tom. I, p, 143-147. — Sed in cod. omm. num. 11 sqq., usque ad medium num. 20 et numm. 22-35. Occurrunt præterea multæ lectiones variantes.

9° Passio S. Petri qui Balsamus dicitur (fol. 32^v-33^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Jan., tom. I, p. 129. — Sed num. 1 ita cod.: *cum esset oriundus a finibus Politanæ civitatis, Eleuthero patre...*

10° Passio S. Theagenis martyris (fol. 33^r-34^r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 206-210.

11° Vita S. Symeonis monachi (fol. 34^r-36^r).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Jan., tom. I, p. 269-274. — Ex codice beatus stylita *menses* quatuor mansit in monasterio (cfr. num. 5); secunda columna quæ ei facta est habebat cubitos XV, et in ea stetit annos X (cfr. num. 10). Siletur de Azabenis (cfr. num. 11). In columna cubitorum XL dicitur stetisse annos X (cfr. num. 16). Deinde omm. numm. 22, 23 et 27-32, et præterea hinc inde nonnullæ phrases.

12° Passio S. Luciani martyris (fol. 36^v-37^r).

Compendium Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 8 Jan., tom. I, p. 466-468.

Inc. Tempore illo sub Nerone imperatore, cum sævissima persecutio adversus christianos invaluisset, ut eorum merito nos coronaremur et exemplo, cæsar per omnes provincias examinandi proditores constituit ... renuntiaret. Eo ergo tempore.

Des. Dignum igitur est Patri et Filio et Spiritui sancto carmina sacra canere, qui famulum suum Lucianum tam pulche dignatur glorificare, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

13° Passio SS. Juliani et Basilissæ martyrum (fol. 37^r-39^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Jan., tom. I, p. 575 sqq., scilicet numm. 1-16. — Num. 16, post verbum *irretire* (lin. 5 a fin. ejusdem num.), connectuntur duæ primæ phrases num. 17 *(Hæc-invaluit)* et pergit cod.: *sed Dominus non dereliquit sanctos suos, conservans eos etiam in confessione martyrii, cujus regnum permanet in secula seculorum. Amen.*

14° Passio SS. Juliani et Celsi martyrum (fol. 39^v-44^r).

In margine hæc: *Hic est idem Julianus qui in præcedenti historia habetur.*

Edita in iisdem Actis de quibus num. præc., p. 579-587, scilicet inde a num. 17, præter duas primas phrases *(Hæc-invaluit)*, usque ad finem.

15° Passio S. Pauli primi heremitæ (fol. 44^r-47^v).

Vita auctore S. Hieronymo, edita in *Act. SS.*, ad d. X Jan., tom. I, p. 604-607.

16° Vita S. Hilarii episcopi (fol. 47^v-52^v).

Vita auctore Fortunato, edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Jan., tom. I, p. 790-795. Insuper Vitæ addita sunt in cod.:

1° Epistola edita apud Migne, P. L., tom. X, 549-552. Sub hac rubrica : *Epistola S. Hilarii episcopi filiæ suæ Abræ ut virgo remaneat.*

2° Carmen aliquod cum hac rubrica : *Ymnus S. Hilarii quem misit filiæ suæ.*

Inc. Hymnum dicat turba fratrum,
Hymnum cantus personet.
Christum regem concinentes,
Laudem demus debitam.
Des. Ante lucem nuntiemus
Christo regi Domino,
Qui in illo recti credunt,
Regnaturi cum eo.
Gloria Patri genitori,
Gloria Unigenito,
Una cum sancto Spiritu
In sempiterna secula. Amen.

3° Capitulum aliquod cum sequenti rubrica : *Quid egerit sanctus Hilarius Romæ in synodo.* Hujus capituli, in Append. exhibendi, censuram leges apud Tillemont, *Mémoires pour servir à l'hist. eccl.*, tom. VII, note XXI sur S. Hilaire, p. 757 (edit. 1706).

4° Nonnulla miracula quæ in multis codicibus reperiuntur (ut videre est apud Migne, P. L., tom. IX, p. 179, num 118). Hic narrantur octo miracula quorum quinque, secundum ad sextum inclusive, leguntur in *Act. SS.*, tom. cit., p. 796, num. 1-5, aliis tamen verbis ; insuper miraculo num. 4 commemorato adduntur hæc duæ locorum notationes : iu pago *Parisiaco* et villa *Draverno.* Septimum et octavum miraculum refert Vincentius Bellovacensis in *Speculo historiali*, lib. XV, cap. LI. Primum vero tale est :

Videamus denique quod sequitur miraculum quid audientibus innuat imitandum, ut et de ceteris similia capiantur. Cum aliquando cives divina inspiratione excitati ejusdem sancti limina studiosius frequentarent, qualiacumque poterat veniens quisque offerebat munera. Unde quædam femina, rebus pauper, fide tamen abundans, conjugem sic alloquitur, dicens : *Bonum mihi, marite, videtur nos cum aliis, tam devote ad sancti sepulcrum occurentibus, ire debere.* Quod ille minus libenter quam debuerit accipiens, se non habere quod sancto offerrent, respondit. Tum illa, utpote ejus quæ in Evangelio legitur viduæ imitatrix jam effecta, ita ad virum ait : *En, hoc ipsum quod in manu mea palliolum habetur cedo, quamvis exigui sit pretii, quod erit gratum pontifici. Verum scit ipse me majus velle, si possem.* Consurgensque cœpit abire. Hoc vir ejus nolens, cum eam inter multos festinantem vix consecutus fuisset, ipsum quod devoverat palliolum ita collo ejus suendo firmavit, ne se illo ad sanctuarium veniens cum vellet exuere posset. Solvit tamen caritativa mulieris devotio, quod conjugis avara innexuerat sollicitudo. Cum ergo atrium monasterii ingressa se ad ecclesiæ januam convertisset, antequam ingrederetur mox omnis illa pallioli ligatura citius quam si ab aliquo disrupta fuisset resolvitur. Quod, videntibus cunctis, mulier manu

retinens, intrat ecclesiam. Pergensque ad beati præsulis tumulum, aspexit, ut vere fatebatur, desuper eumdem astantem sanctum, cui quasi præsenti seque intuenti quod devoverat offerret. O virum gloriosum omnique actione clarissimum. Ut autem, humilium sive pauperum magistri sequens vestigia, sibi devotionem acceptam declararet, non est dedignatus pauperi mulieri cum devotione venienti seipsum ostendere. Sed et illa manibus ad omnes, ad ipsum etiam clerum extensis, universis quasi sanctum ostendens, loquebatur dicens : *Ecce, ecce, videtis, præsens adest domnus Hilarius, singula quæ hic fiunt quæque inferuntur diligenter intendens.*

17° Vita S. Felicis quam scripsit Beda presbyter (fol. 52v-55r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Jan., tom. I, p. 943-946,

18° Vita S. Fursei (fol. 55r-59v).

Vita et miracula edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan., tom. II, p. 36-44. — Sed omm. num. 38 med. *(Susceptus...)* usque ad num. 4 Miraculorum, p. 42 med. *(... honorifice est susceptus).*

19° Passio S. Pontiani martyris (fol. 59v-60v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Jan., tom. I, p. 933-934.

20° Passio SS. Diodori et Mariniani martyrum (fol. 60v-62r).

Edita apud Surium ad d. 17 Januarii.

21° Passio S. Sebastiani martyris (fol. 62r-71r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Jan., tom. II, p. 265-278.

22° Passio Stæ Agnetis martyris (fol. 71r-73r).

Passio auctore S. Ambrosio, edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Jan., tom. II, p. 351-354.

23° Passio SS. Fructuosi, Auguri et Eulogii diaconorum (fol. 73r-73v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Jan., tom. II, p. 340. — Sed in cod. hæc verba : *Valeriano et Gallieno imperatoribus, Æmiliano et Basso coss., XVII Calend. Februar.*, omm.

24° Passio S. Vincentii martyris (fol. 73v-75v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Jan., tom. I, p. 394-397. — Sed cod. non raro, ac præsentem in initio, accedit ad ejusdem sancti Passionem editam in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 263-270.

25° Passio S. Anastasii martyris (fol. 75v-79v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Jan., tom. II, p. 426-431. — Sed in cod. om. prologus,

præter ultimam partem num. 5. Incipit enim cod. : *Temporibus Cosdroe imperatoris qui destruxit Iherusalem, extitit unus noster coronator Anastasius...*

26° Passio trium fratrum (fol. 79v-80r).

Hæc Passio, quæ est SS. Claudii, Asterii, Neonis, Domninæ et Theonillæ, edita est in *Act. SS.*, ad d. 23 Aug., tom. IV, pp. 571, 572. — Sed in cod. ultima phrasis num. 9 *(Habita est...)* om.

27° Passio S. Babillæ episcopi (fol. 80r-81v).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 24 Jan., tom. II, p. 571-573. — Sed in cod. legitur hoc prologus :

Martyrium sancti Babillæ episcopi civitatis Antiochiæ, provinciæ Syriæ, et trium puerorum qui passi sunt sub Numeriano et Clarino regibus, hic describitur.

Num. 2 med., post *revertamur ad Deum,* add. cod. :

Ego enim te verum regem non dico, quoniam non cognoscis qui tibi præstitit hunc honorem. Si enim cognovisses, ipsum tantum adorasses, et non ejus creaturam. Pro operibus quoque tuis quæ hujusmodi sunt, irritas eum qui te fecit ex eo quod non eras in id quod es, quique te honorificavit, ut et tu similiter honorifices eum. Dico autem tibi rem communem. Si quis de his qui sub tua potestate sunt constituti, recesserit et ire ad alium regem voluerit, hoc est ad alienigenam, non irasceris ? Ita ergo considera Deum qui fecit cœlum et terram zelare in hujusmodi rem. Etenim cum Israel exacerbavit Deum, dixit eis per Moysen : *Vos irritastis me et ego irritabo vos in eam quæ non est gens ; in gentem insipientem irritabo vos. Et ut itaque exacerbas Deum, et ipse te de regno hoc cito repellet et dabit regnum tuum alio cui non vis, ut scias quia bonum est eum confiteri, et non creaturam ejus deos æstimare et adorare, sicut scriptum est : Dominum tuum adorabis et ipsi soli servies.* Numerianus dixit : *Deliras et conviciaris. Non tibi videntur et hæc esse creaturæ magni dei, aut non consideras opera operationis eorum et præscientias quas dicunt? Vellem autem scire quam dicit Scriptura gentem insipientem. Libenter audio de his.* Babillas dixit : *Deus hominem simplicem creavit, Sathanas autem ejectus de cœlo sponte de gloria quam possidebat, ita genus humanum ad suum vitium traxit, ut etiam patres nostros per astutiam malam in idolatriam subverteret. Unigenitus ergo Dei Filius patienter ferens tantam idolatriam et videns perversum plasma quod per ipsum factum est, illuxit nobis, et eripiens nos misertus est nostri ; et jam non sumus nos insipientes, scientes Dominum et cogniti ab eo. Nemo enim est futurorum præscius nisi*

solus Deus. Hæc enim omnia fabulæ sunt et argumenta poetarum, et dicuntur dii, cum non sint neque fuissent. Aræ enim si non essent, Deos non haberetis. Si autem vis audire me et credere, suscipiet te Deus; si autem non vis, manebis stultus. Numerianus dixit: *Vestræ Scripturæ fabulæ sunt; nostri autem actus mysteria sunt et veritatis formam habent: divinum enim aliquid sequitur.*

Unde jubeo (num. 3) ... *cumulati.* Babillas dixit : *Illi quidem subrepti sunt, me autem non subripies, nec si regnum cœlorum promittis, a quo me alienare festinas; cujus non es dignus, quoniam non vitam sed tormenta habebis, quia mysteria ... caducus est. Exigit enim a te Deus omnipotens animas hominum quas perdidisti, et ipse mihi potens est dare... tibi? Ipsum vocabulum dic mihi.* Babylas... *patris. Nam magnitudinem Dei non invenies, nec potes etsi cum pennis volaveris et Dei nomen quærere volueris, non invenies. Omne enim quod nomine nominatur a meliore nominatur, ut ille quidem vocet, hoc quidem obediat. Quis ergo est qui nominavit Deum quod est Deus? Non est nomen Dei, sed gloria de Deo. Nihil ergo in Deum quod est quæras. Deus est via sapiens, non contrarium suscipiens. Deus quæcumque fecit, pro hominibus ea fecit.* Numerianus... *deorum; poteras enim bonus homo esse.* Babillas... *est. Honor tuus et quæ dicuntur a te, infamiam mihi præstant. Refectus sum enim modo, Deum cognoscens et ex lapidibus te adorare lapides.* Numerianus...

Sistit autem codex in prima linea num. 4, exciso quaternione octo foliorum.

28° [Vita S^tæ Brigidæ] (fol. ?-102^r).

Vita tertia edita apud Colganum, *Trias Thaumaturga*, p. 527 sqq. — In cod. Vita est acephala, ut diximus in præfatione. Deest enim initium usque ad cap. 68 med., ubi resumit textum inde ab his verbis : *sedit cum cognatis et amicis illius vincti...*

29° Passio S. Blasii martyris (fol. 102^r-105^r).

Omnia quæ hic leguntur edita sunt in *Act. SS.*, ad d. 3 Feb., tom. I, p. 336 sqq. — Scilicet primo veniunt numm. 1-6 med. primorum Actorum, usque ad verba *optime præses* (ibi pp. 336, 337); deinceps pergit narratio secundum textum Actorum quæ tom. cit. secundo loco ponuntur, scilicet numm. 9-26 (p. 341-344) usque ad finem.

30° Passio S. Antonini martyris (fol. 105^r-105^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Sept., tom. I, pp. 354, 355. — Sed ita incipit cod. :

Quæcumque in sancti ac beatissimi Anthonini martyris admirabilium meritorum virtutum dicenda sunt, sicut in sanctorum suorum passionibus omnipotentis Dei gloria declaravit, nec detrahenda sunt aliqua nec addenda. Nam sicut adulatio est nota mendacii, ita majus est in gestorum diminutione

peccatum sanctis aliquid detrahere virtutibus, quarum veritas integra prædicatione dicenda est. Historia etenim potius quam laudatione prædicandus est. Nam quis triumphalis martyris virtutibus posset adjungi, cujus æternus passionis triumphus est? Itaque memoratus sanctus dum in tenebris mundi fidei suæ lumine...

Num. 2 sub fin. :

Plurimas partes ac frustra *(sic)* diviserunt. Namque ductus usque ad urbem Appiæ, dum defluerent sacrilegæ impiorum manus, mox perennis gloriosissimi... divinitas ad *(loco* approbavit).

Num. 5, pro : *Passus est autem* etc. usque ad finem, ita cod. :

Juxta illud vero præceptum Dominicum quo pro inimicis nostris nobis orare præcipitur, sex ex ipsis quoque gentilibus a quibus fuerat interemptus a diaboli obsidione solvit, patrante hoc ac manifestante Domino nostro Jesu Christo.

31° Passio S^tæ^ Agathæ virginis (fol. 105^v^-107^v^).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 5 Feb., tom. I, p. 615-618.

Inc. : In diebus illis sub Decio... Februariarum in urbe Cathanensium, Agatha, virgo venerabilis, pro Christi confessione gloriosam et vere imitandam pertulit passionem. Hæc enim, nobilissima orta parentibus, erat mente et specie valde pulcherrima. Nam cum in eadem Cathanensium civitate virtutibus plenam gereret vitam, ac Deo dicatam virginitatem ab ineunte ætate sancte et pudice vivens in omnibus perornaret, Quintianus quidam sceleratissimus, consularis Siciliæ, audiens...

Des. (num. 15 sub fin., post *liberasset*) : Martyrizata est autem beatissima Agatha die Nonarum Februariarum, agente Quintiano consulari, regnante Domino nostro Jesu Christo. Amen.

32° Vita S. Vedasti confessoris (fol. 107^v^-110^r^).

Vita auctore Alcuino, edita in *Act. SS.,* ad d. 6 Feb., tom. I, p. 794 sqq. — Sed deest prologus, et Vita concluditur sicut in codd. Marchianensi et S. Maximini (cfr. p. 799, adnot. *d* ad cap. IV).

33° Vita S. Amantii episcopi (fol. 110^r^-111^v^).

Edita apud Surium ad d. 4 Novembris.

34° Passio SS. Valentini presbiteri, Asterii, Audifax et Abbacuc et Marthæ martyrum (fol. 111^v^-113^r^).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 19 Jan., tom. II, p. 216-219. — Sed in cod. numm. 12-14 omm.

35° Passio S. Valentini episcopi (fol. 113^r^-114^v^).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 14 Feb., tom. II, pp. 756, 757.

36° Passio SS. Faustini et Jovitæ martyrum (fol. 114v-117r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Feb., tom. II, p. 809-812.

37° Passio Stæ Julianæ virginis (fol. 117r-118v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Feb., tom. II, p. 873-877. — Sed varii sermones multum contrahuntur, præsertim num. 7; præterea num. 8 ex parte om., scilicet a verbis istis : *Deinde fugit ;* item numm. 9-11 omm.

38° Passio S. Phileæ episcopi (fol. 118v-119v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Feb., tom. I, p. 462-464. — Sed in cod. numm. 1-4 et duæ primæ phrases num. 5 *(Istæ sunt-veniamus)* omm.

39° Passio Stæ Dorotheæ virginis (fol. 119v-120v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Feb., tom. I, p. 773 sqq., scilicet numm. 1-11.

40° Passio S. Theophili martyris (fol. 120v-121v).

Edita ibidem in Actis S. Dorotheæ, virginis Alexandrinæ, pp. 775, 776, seu numm. 12-18.

41° Passio Stæ Eulaliæ virginis (fol. 121v-122r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Feb., tom. II, p. 377, 378.

42° Passio S. Sereni martyris (fol. 122r-122v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Feb., tom. III, p. 365, num. 11-13. — Sed in cod. initio (num. 11 edit.) vox *monachus* non legitur. Deinde notandum eodem num., post *quædam mulier*, in cod. add. :

... Cum duabus puellis suis ingressa... deambulare. Cumque eam vidisset supra memoratus senex, ait ad illam : *Quid hic quæris mulier?* At illa ait : *Deambulare delectata sum in horto isto.* Ille autem dixit : *Quæ est talis matrona quæ præterita hora hic deambulare desiderat, cum sit hora jam sexta? Sed intelligo te non causa deambulandi huc venisse, sed causa indisciplinationis et lascivitatis : ideoque egredere hinc, et habe disciplinam, ut honestæ matronæ habere solent.* At illa...

Num. 12... provinciæ. Hanc igitur cum accepisset potestatem, festinabat venire ut vindicaret injuriam non matronæ, sed inhonestæ feminæ. Cum vero pervenisset ad supramemoratam civitatem, statim ingressus est ad præsidem, et verbum injuriæ prosequitur et scripta imperialis porrigit, et ait : *Vindica injuriam quam me absente passa est matrona mea.* At ubi audivit hæc præses, mirari cœpit, et dixit ad eum : *Quis enim ausus fuit injuriam irrogare matronæ viri imperatoris lateri adhærentis?* At ille respondit : *Serenus quidam plebeius, hortolanus.* Cumque de nomine audisset præses, jussit eum statim exhiberi. At ubi exhibitus est beatus Sere-

nus, statutus est ante conspectum præsidis, et ait ad illum : *Quis vocaris?* At ille respondit : *Serenus.* Præses dixit : *Cujus officii es?* At ille ait: *Hortulanus sum.* Præses dixit : *Quare... injuriam feci.* Præses autem furibundus dixit ad mulieris virum : *Argue illum, ut confiteatur et memoretur ante hos dies matronæ fecisse injuriam, cum in horto ipsius deambulare voluisset.* At ille sine aliqua trepidatione dixit : *Scio me retinere quod ante...,* vir ejus impurissimæ atque indisciplinatæ mulieris actum erubuit... loqui vel suggerere præsidi ausus est ut vindicaret injuriam propter quam venerat, quia nimium confusus est.

13. Præses vero cum responsionem beatissimi viri audisset, intra... cui hora præterita displicuit mulierem videre in horto suo ambulare. Et dixit ad illum : *Quod genus tibi est?* At ille... *ut hucusque me reservarem in corpore. Eram enim sicut lapis projectus ab ædificatione. Nunc autem requiret me Dominus, ut in ædificium suum me constituat. Modo autem...* et ad locum adductus a diabolique ministris decollatus est. Martyrizatus est autem sanctus Serenus die VIII° Kl. Martias, regnante Domino nostro Jesu Christo.

43° Sermo de sancto Mathia apostolo (fol. 122v-123v).

Oratio parænetica in laudem et commendationem beati apostoli, incipiens :

Cum præclara beati Mathiæ festivitas per annui cursus revolutionem se repræsentat, maximæ jocunditatis gaudia merito nobis multiplicat.

44° Passio SS. Montani et Gemelli martyrum (fol. 123v-126r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Feb., tom. III, p. 455-459.

45° Passio S. Nestoris episcopi et martyris gloriosi (fol. 126r-127r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 26 Feb., tom. III, p. 628-630.

46° Vita S. Albini confessoris (fol. 127r-128v).

Vita edita in *Act. SS.,* ad d. 1 Martii, tom. I, p. 57 sqq. — Sed excisis ex cod. foll. 129 et 130 desinit Vita in num. 14 initio. Variantes lectiones præcipuæ : num. 2 circa med., *Cincellense* pro *Tincillanense,* item num. 13 med. *Cincillense ;* num. 7 *Malabaudum* pro *Alabaudem ;* num. 10 narratio miraculi om. post vocem *votivum ;* sequitur enim *Itaque occurrente...*

47° [de S. Foca episcopo et martyre] (fol. 131r-132v).

Ob folium excisum fragmentum Passionis editæ apud Mombritium, tom. II, incipit ab his verbis : *probatam amare sententiam* (p. 4, col. 2, lin. 25).

48° Passio SS. Perpetuæ et Felicitatis (fol. 132r-133r).

Passio de qua agitur in *Act. SS.* ad d. 7 Martii, tom. I, p. 632, num. 7 D. Eam videsis in Append.

49° Passio SS. Philemonis, Apollonii sociorumque eorum (fol. 133r-135v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Mart., tom. I, p. 752-756.

50° Vita beati Athali abbatis (fol. 135v-137r).

Vita auctore Jona, edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Mart., p. 43 sqq. — In cod. subinde desiderantur cum nomina virorum et locorum tum et notæ temporis quæ leguntur in Vita edita.

51° Passio Quadraginta martyrum (fol. 137r-139r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Mart., tom. II, p. 19-21.

52° Vita S. Gregorii papæ (fol. 139r-145r).

Hæc Vita constat num. 1 et initio num. 2 (usque ad *esse secundus*) Vitæ prioris editæ in *Act. SS.*, ad d. 12 Mart., tom. II, p. 130 sqq., tum nonnullis capitulis hinc inde desumptis ex Vita auctore Joanne Diacono, ibidem edita, p. 137 sqq.

53° Passio S. Pyonii martyris (fol. 145r-146v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Feb., tom. I, p. 40-42. — Sed hæc in cod. notanda :

Num. 2, post *die sabbati majore*, sic :

> In natali Policarpi martyris, Genuinum, Opyonium.. et Lemnum.

Num. 3, post *advenit stipatus*, add. :

> Turba eorum quos ad investigandos christianos Polymoni judicia majora sociarant.

Num. 7, post *codices tui monstrant*, add. :

> *Atque hoc ab Atheniensibus sapientissimus Socrates ille non pertulit? An inspicientes erant a militari stultitia ac bellis potius quam legibus nati Socratee, Aristides et Anaxarchus? in quibus quo major doctrina ac major verecundia : nulla eis pompa sermonis aut loquendi ambitione jactantes arrogantiam sumpsere sermonum, cum ad justitiæ rationem, moderationem, temperantiam philosophiæ scientia pervenissent. Est enim in laudibus propriis ut laudanda moderatio, ita odiosa jactantia.* Tali...

Num. 8, post *pergamus*, add. :

> Et ad hæc Hipparcus, sive, ut tum carnifices vocabantur, turmarius princeps, vir expectabilis, venit dicens : *Si his quæ tibi præcepero obedire detrectas, senties quid potestatis habeat turmarius.* Dum hæc loquitur, tam fortiter colla Pionii connexit ut præcluso gutture spiritum haurire non posset ;

atque apparitori tradidit abducendum. Trahebantur itaque ad forum et ceteri, Sabina magna voce clamante : *Christiani sumus.* Et ut mos est invitis ad terram membra jacere, ut eo tardior corporum tractus et ad templum difficilior esset accessus, Pionium sex apparitores portabant pariter et trahebant. Cumque fessi lassatis humeris in utraque parte jam cederent, latera ejus calcibus verberabant, ut aut leve onus præberet aut victus dolore sequeretur. Sed nihil illorum profecit asperitas, nec effectum habuit injuria. Nam ita immobilis erat quasi ejus corpori pondus apparitoribus calcibus adderetur. Quem postquam tam immobilem esse viderunt, auxilia poposcerunt, ut vel numero vincerent quem virtute non superarent. Arreptum...

Num. 9 om. initium usque ad : *terram et mare. Rursum.*

Num. 15... Julio Proculo et Decio imperatore, IIII Idus Martii, VI die mensis sabbato et hora X, imperante Domino nostro Jesu Christo cui.....

54° Passio S. Alexandri martyris (fol. 146v-147r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Mart., tom. II, pp. 344, 345.

55° Vita S. Heriberti Coloniensis archiepiscopi (fol. 147r-153r).

Vita auctore Lamberto Tuitensi, edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Mart., tom. II, p. 467 sqq., et accuratius ope hujus codicis in *Mon. Germ.*, Script. tom. IV, p. 740 sqq.

56° Vita Stæ Gerthrudis virginis (fol. 153r-156v).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Mart., tom. II, p. 594-599.

57° Miracula Stæ Gerthrudis virginis (fol. 156v-157v).

Eadem quoad rerum substantiam atque edita ibid., p. 599 in Append. I, sed aliis verbis expressa.

58° Vita S. Joannis Penarim (fol. 157v-158r).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Mart., tom. III, p. 31. — Sed in cod., num. 1, lin. 1, *egrederetur* pro *regrederetur ;* num. 2, lin. 2, post *metropolim,* hæc verba : *iter plus minus milliario quinto* omm., ac *in fundum cujusdam agelli* pro *in fundo Agello.*

59° Vita S. Cuthberti episcopi (fol. 158r-163r).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Mart., tom. III, p. 117 sqq. — Sed deest prologi pars prior, ut in cod. S. Maximini (cfr. ibid., annot. *c*). Subinde etiam omissa vel mutata sunt nomina virorum aut mulierum et locorum. Sic v. gr., lib. I, num. 1, om. nomen *Elias ;* lib. II, num. 3, om. *Pleculf ;* num. 7, omm. *Kenspid, Hruringaham ;* num. 8, om. *Hildmer ;* lib. IV, num. 3, om. *Heunna ;* num. 4, om. *Bedesfeld ;* num. 5, omm. *Henna, Alise ;* num. 6, om. *Medilpong.*

Contra, num. 7, lin. 2, add. cod. : *(quod) Baldelin (presbyter noster) ;* et lin. 5, *(episcopus) noster Luel (inter) ; juxta-Opide* om. ; num. 10, omm. *Osingadum, Hadpuald ;* num. 12, *Pallistod* om. ; num. 15, om. *ita ut-non valebat,* et

eorum loco : *sed per eos curare eum Omnipotens nolebat ;* num. 18 extremo, *Pinfridi* om.

Mutationum exempla. Lib. I, num. 4, *Iwr* pro *Wir ; Concalestyr* pro *Leunckester.* Lib. II, num. 3, *Ebba abbatissa famularum Dei* pro *Abba ;* num. 4, *Niudvera regio* pro *Mudpieralegis.* Lib. III, num. 1, *Evita* pro *Eata, Lyndisfaronaee* pro *Lindisfarne,* num. 6, *Coevedesce* pro *Coquedese.* Lib. IV, num. 1, *Lyndisfaronensium* pro *Lindisfarnensium ;* num. 3, *Beda* pro *Beta;* num. 5, *Luel* pro *Vel ;* num. 7, *ad dominum meum nomine Sybcam* pro *a domino meo Sibba ;* num. 8, *in (Pictorum) regionem* pro *Regem,* et *Uacha* pro *Pega ;* num. 14 *(episcopo) Eodberto* pro *Eadberto ;* num. 16, *Willebrordi* pro *Vulbrordi.*

60° Passio S. Theoderiti martyris (fol. 163r-164v).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 23 Oct., tom. X, p. 40-45. — Cfr. annot. *a*, p. 45.

61° Passio S. Pygmenii martyris (fol. 164v-165v).

De sancto Pigmenio presbytero Romæ et de Actis ejus vide *Act. SS.* ad d. 24 Mart., tom. III, pp. 481, 482. Acta tunc non edita habes hic in Append.

62° Vita S. Ludgeri episcopi (fol. 165v-180r).

Vita edita ope hujus codicis a clar. Wilhelmo Diekamp in *Geschichtsquellen des Bisthums Munster,* tom. IV, p. 85 sqq. Cfr. ibid. Præf., p. LXII.

63° Passio Stæ Mariæ sororis Stæ Teclæ martyris (fol. 180r-182r).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.,* ad d. 1 Novemb., tom. I, p. 201 sqq.

64° Passio S. Achaici martyris (fol. 182r-182bis r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 31 Mart., tom. III, pp. 904, 905.

65° Vita S. Walarici (fol. 182bis r-187r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 1 April., tom. I, p. 16-23. — In cod. omissa est pars posterior num. 24 (*Beatus pontifex* etc.).

66° Vita Stæ Mariæ Egyptiacæ (fol. 187r-192r).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Eamdem Vitam, sed secundum aliam ex græco versionem, videsis in *Act. SS.,* ad d. 2 Apr., tom. II, p. 76 sqq.

67° Passio Stæ Theodosiæ virginis (fol. 192r-197r).

De hac beata virgine cfr. *Act. SS.* ad d. 2 Apr., tom. I, p. 61 sqq. Acta tunc omissa reperies hic in Append.

68° Vita S. Lupi Senonicæ urbis episcopi (fol. 197r-199r).

Vita edita in *Act. SS.,* ad d. 1 Sept., tom. I, p. 255-264. — Hæc notanda : *Lotharius, Remedius, Winibaudus,* passim pro *Clotharius, Remigius, Winebaldus.* Num. 1, *Betto, Uga* pro *Beto, Aiga ;* num. 12 extr., *Auva* pro *Anciam ;* num. 14 post med., *ecclesiæ S. Stephani Ragnegiselus* pro *ecclesiæ Senonicæ Ravengisilus;* num. 17 post med., *Andesa* pro *Andesagenam ;* num. 18 init., *Militone* pro *Miledunum ;*

num. 19 init., *Halefridus* pro *Hellefridus,* et *Ticiaco* om.; num. 24 init. *Nonas Aprilis* pro *Briennom prædio ;* num. 25 med. *nobilis Betzela* pro *Vetula.*

Ceterum ex comparatione variarum lectionum quæ ex cod. S. Maximini in editione hujus Vitæ a majoribus nostris notatæ sunt, manifeste apparet cod. Brux. magnam cum illo habere affinitatem, non tamen esse eumdem.

69° Vita S. Ambrosii episcopi (fol. 199r-204v).

Vita auctore Paulino, edita apud Migne, P. L., tom. XIV, p. 27-46.

70° Passio S. Hyrenei episcopi (fol. 204v-205r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 25 Mart., tom. III, pp. 556, 557. — Non paucæ tamen occurrunt variantes lectiones.

71° Vita S. Frontonii monachi (fol. 205v-206v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 14 Apr., tom. II, p. 201-203.

72° Passio S. Eleutherii episcopi et Anciæ matris ejus (fol. 206v-208r).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Ex cod. non anno ætatis suæ duodecimo, sed decimo octavo ordinatus est diaconus, presbyter autem anno decimo nono; consecratus episcopus missus est in Apuliam civitatem *Echanam.* Sub finem omissæ sunt notationes loci ac temporis quibus beatus martyr passus est. De quo cfr. *Act. SS.,* ad d. 18 Apr., tom. II, p. 258 sqq.

73° Passio S. Yppopodii Lugdunensis (fol. 208r-209r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 22 Apr., tom. III, p. 8-10. — Scilicet num. 1-7.

74° Passio S. Georgii martyris (fol. 209r-211v).

Passio diversa ab ea quæ edita in *Act. SS.,* ad d. 23 Apr., tom. III, p. 117 sqq., ab ea quæ edita est in *Bibliotheca Casinensi,* tom. II, Florilegii pag. 7 sqq. et tom. III, p. 341, et ab ea quam anno 1874 edidit Arendt in *Berichten der Phil.-histor. Classe der Königl. Sächs. Gesellschaft der Wissenschaften* nec non a fragmento edito in *Anal. Boll.,* tom. I, p. 615.

Inc. Tempore quo Diocletianus Romani orbis gubernandum suscepit imperium, cum undique respublica multis ac diversis quateretur incommodis, Carausio videlicet...

Des. At vero sanctus Georgius... perpetuo lætatur tripudio, laboris sui dignam recipiens mercedem ab ipso cui nullus unquam inaniter aut infructuose militavit, rege regum, Jesu Christo Domino nostro, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula.

75° Passio S. Alexandri martyris (fol. 211v-212v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 22 Apr., tom. III, p. 8 sqq. inter Acta SS. Epipodii et sociorum, scilicet num. 8-14.

76° Passio S. Marci evangelistæ (fol. 212v-213v).

Hæc Passio prout in cod. legitur constat 1° (sub rubrica Prologus) capite VIII libri

S. Hieronymi *de Viris illustribus* (apud Migne, P. L., tom. XXIII, pp. 621 et 623), additis ante ultimam phrasim sequentibus :

Quique constitutis et confirmatis ecclesiis per Libyam, Marmaricam, Hammonicam, Pentapolim, Alexandriam atque Ægyptum universam, ad ultimum tentus est a paganis qui remanserant Alexandriæ. Qui videntes eum in sancto die Paschæ missas facientem, miserunt funem in collo ejus et trahebant eum ad loca Bucoliæ, quæ erant juxta mare sub rupibus ubi erat ecclesia constructa, et defluebant carnes ejus in terram ac saxa inficiebantur sanguine. Defunctus est, et a viris religiosis sepultus in loco lapidis excisi cum gloria. Ordinaverat autem pro se Alexandriæ Anianum episcopum. Aliis quoque ecclesiis longe lateque ordinaverat episcopos, presbyteros, diaconos.

2° His quæ sub hoc titulo : *Apostolatus Alexandrinus* edita sunt in *Act. SS.*, ad d. 25 Apr., tom. III, p. 347-349.

77° Vita S. Victorini (fol. 213v-214v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Jan., tom. I, p. 500-501, scilicet num. 1-9. — Sed cod. incipit : *Quoniam de sanctis semper loqui bonum est, idcirco quæ de singulis quibusque sanctis...* Deinde num. 2, *vadosus fluvius* pro *vadosus Flusor.*

78° Vita S. Severini (fol. 214v-215r).

Edita ibid., p. 501, scilicet num. 10-12. — Sed ultima phrasis *(Explicit vita...)* om.

79° Vita S. Richarii presbyteri (fol. 215r-217v).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Apr., tom. III, pp. 442-447. — In cod. deest prologus ; num. 2 med. hæc verba : *alter vero Frigorius* om.; item num. 13 extr. desunt in cod. verba *VI Kal. Maii.* Num. 16 init., sic : *Item clades magna quæ vocatur panocula seu venenosa lacerta longe lateque...*

80° Passio S. Torpetis martyris (fol. 217v-218v).

Contracta ex Actis prolixioribus editis in *Act. SS.*, ad d. 17 Maii, tom. IV, p. 7-10.

81° Passio SS. Ananiæ et Petri (fol. 218v-220v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Feb., tom. III, p. 492-495. — Ex cod. consummati sunt beatissimi martyres *die II Kl. Maii.*

82° Passio S. Jacobi apostoli fratris Domini (fol. 220v-221r).

Passio desumpta ex capite II Vitæ S. Jacobi, fratris Domini, auctore Simeone Metaphraste, editæ in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, p. 31 sqq.

83° Vita S. Philippi apostoli (fol. 221v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, pp. 11 et 12. — Sed omm. num. 1 ac initium num. 2 *(Cum igitur-provincias).*

84° Vita Stæ Walburgis virginis (fol. 221v-224v).

Vita auctore Adelboldo, edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Feb., tom. III, p. 542-546.

85° De inventione sanctæ Crucis (fol. 224v-225v).

Narratio ea de qua agitur in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 506, 5°; cfr. tom. II, pp. 282, 283.

86° Passio SS. Alexandri, Eventii et Theodoli (fol. 225v-227v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Maii, tom. I, p. 371-375. — Sed num. 14 sub fin., post *pervenit ad illa S. Balbina*, add. in cod.:

> Et cum invenisset, gratias cœpit agere Domino nostro Jesu Christo quod reperisset vincula beati Petri apostoli. Et prosternens se in oratione, dixit : *Benedictum nomen tuum, omnipotens Deus, quod per famulum tuum Alexandrum mihi ancillæ tuæ thesaurum spiritalem manifestasti.* Et cœpit vincula cum tremore nimio deosculari et gratias agere regi cœlorum deditque... *(ut loco citato)*... Septembris. Tunc beatissima virgo Christi Balbina cum fiducia revertens ad carcerem ad beatum Alexandrum papam ac ejus socios, cœpit eorum adhærere vestigiis, ut pro ea Dominum deprecarentur et suis eam colloquiis confirmarent. Eodem tempore ira repletus Aurelianus impiissimus, missis militibus suis jussit omnes christianos in carcere... mergi in profundum maris. Cum quibus et virgo Christi perrexit, glorificans Deum...

Num. 20 extr., post *Nonas Maii*, add.:

> Natalis vero agitur beati Hermetis martyris V Kl. Septembris ac per hoc benedictus...

87° Passio S. Quiriaci episcopi qui crucem Domini invenit (fol. 227v-229r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, p. 445-450. — Sed in cod. pars prior, seu numm. 1-14, om.

88° Passio S. Floriani martyris (fol. 229r-229v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, pp. 462, 463. — Sed hinc inde contracta. Etenim num. 1 sic:

> In diebus Diocletiani et Maximiani imperatorum, quando... christiani devota... pro Christo supplicia sustinebant ut... efficerentur. Cum venisset... gaudens accessit. Audiens autem tanta fieri in Lauriaco, ire cœpit ibidem pro... *(Ultima phrasis om.)*

> Numm. 2, 3... venisset ad commilitones suos cum... militaverat, ut audivit ab eis quod christiani ad sacrificia idolorum quærebantur, dixit eis : Quid aliud quæritis ? Nam et ego christianus sum. Ite et annuntiate præsidi quia hic sum. Præses autem Aquilinus, audiens de eo, vocavit eum ad se et jussit diis sacrificare. Quod cum ut faceret non potuit compellere eum, jussitque eum fustibus cædi. Iterum iterumque cæsus permansit fidelis. Tunc quoque

præses jussit scapulas... confringi. Quod beatus Florianus totum cum gaudio suscepit et glorificabat Deum.

Num. 4... superatum vidit, jussit... ponte. Beatus... exultans ibat ad mortem, quia ad vitam se credidit destinatum æternam. Ligato autem lapide magno ad collum ejus, juvenis quidam sævus nimis præcipitavit...

Num. 5... alis protegebat eum. Et beatus Florianus in visione apparuit cuidam matronæ Deo devotæ, indicavitque ei quo loco conderet eum humo. Mulier... fluvium perrexit et præ timore gentilium... involvit, deducens ad locum ubi cum sepeliret. Lassatis autem animaliolis, mulier timens oravit Dominum ut subveniret ei, et statim... fons largus effluxit, et reficiens animaliola perduxit ad locum et sepelivit. In quo loco... multæ, et omnes qui ex fide petierint impetrabunt misericordiam Dei. Vita enim sanctitas et constantia fidei athletas Christi coronat, et cum palma martyrii ad vitam æternam perducit, auxiliante rege æterno, Domino nostro Jesu Christo.

89° Passio SS. Mariani et Jacobi (fol. 229v-231r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Apr., tom. III, p. 746-749.

90° Passio Stæ Domitillæ virginis (fol. 231r-231v).

Edita in *Act. SS.*, inter Acta SS. Nerei et Achillei, ad d. 12 Maii, tom. III, pp. 12, 13, scilicet numm. 21-25.

91° Passio S. Victoris martyris (fol. 231v-232v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Maii, tom. II, p. 288-290. — In cod. episcopus ille Mediolanensis qui S. Victorem sepelivit nuncupatur *Marinus*. Deinde in cod. legitur sub finem attestatio notarii qui acta martyris descripsit, de qua tom. cit., p. 288, num. 8.

92° Passio SS. Victoris et Coronæ (fol. 232v-233v).

Compendium Passionis editæ in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 291-299.

93° Passio SS. Gordiani et Epymachi (fol. 233v-234r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Maii, tom. II, pp. 552, 553.

94° Vita S. Beati presbyteri (fol. 234r-234v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Maii, tom. II, pp. 365-366. — Sed præterquam quod nonnullæ phrases in cod. passim omissæ sunt, aliæ sunt discrepantiæ. Incipit :

Igitur quando provinciis præerant plurimis bellices et Aquitanii, tota etenim Germania manu regebatur publica, tum sæva gentilitas venerabatur ab accolis. Unde factum est...

Eodem num. 1, *peregrinationem traditur* pro *peregrinationem in Galliam traditur*.

Num. 4, *non longe ab ipsius castro lodo lacu* pro *non longe a castro Ledo.*

Num. 5. cod. refert quæ notantur p. 367 tom. cit., annot. *l.*

95° Passio S. Victoris martyris (fol. 234v-236r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 317-321. — In cod. nonnullæ phrases omm.

96° Passio SS. Simplicii, Faustini et Antimi (fol. 236^r-238^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 616-619. — Sed non paucæ occurrunt lectiones variantes. Insuper præponitur prologus qui editus est in *Anal. Boll.*, tom. II, pp. 288, 289.

97° Passio S. Pancratii martyris (fol. 238^r-238^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Maii, tom. III, p. 21.

98° Passio SS. Nerei et Achillei et aliorum (fol. 238^v-241^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Maii, tom. III, p. 6-13. — Omissis scilicet in cod. num. 21-25, in quibus agitur de S. Domitilla.

99° Passio S. Gengulfi martyris (fol. 241^r-243^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 644-648.

100° Passio SS. Victoris et Coronæ (fol. 243^v-244^v).

Compendium Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 14 Maii, tom. III, p. 266-268.

101° Vita S. Orientis episcopi (fol. 244^v-245^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, pp. 61, 62. — In cod. incipit :

Beatissimi Orientis sacerdotis, fratres karissimi, sacratissimos actus vel opera pro parte audebo tenui sermone disserere, quod non peritiæ...

Eodem num. 1, *pontificalis cathedræ* pro *pontificalis Auxio civitate cathedræ.*

Num. 2... ostenderetur in plebe Narveiena, qui mons est attollens verticem.

Num. 3... posset et apud eum omnes qui ante fuerant fiducia arriana comprehensi vilescerent, ita coactus... *Dein* hæreticorum turba ac paganorum *loco* hæreticorum turba Getarum.

Num. 4, (*pro* annullata est hæreticorum fatuitas,) decreveruntque hæreticæ pravitatis auctores.

Num. 5, accusatoris incurrens, qui regiis animis aggravatus Tholosæ ut occideretur exhibetur.

Num. 6, turba civitatis non ignorat, *pro* turba Auxitanorum civium non ignorat.

102° Passio SS. Petri, Andreæ, Pauli et Dyonisiæ virginis (fol. 245^r-245^v).

Edita in *Actis SS.*, ad d. 15 Maii, tom. III, pp. 452, 453. — In codice beati martyres passi leguntur *die Iduum Martiarum.*

103° Passio S. Peregrini martyris (fol. 245^v-246^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Maii, tom. III, pp. 563, 564.

104° Passio $S^{tæ}$ Potentianæ virginis (fol. 246^v-247^r).

Edita in *Bibliothecæ Casinensis,* tom. III, Florilegii pp. 350-351. — Sed secundum cod. migravit beata virgo ad Dominum *concludens in se* X *annos et duos ;* deinde sub finem ante hæc verba : *Ubi exuberant...* add. : *Venerabilis Potentianæ celebra-*

tur obitus XIIII *Kl. Junii.* Tandem cod. refert prologum editum in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 510, 24°. Discrimen est in fine :

Ostendite... et auditis; et interrogo vos cur eas inter apocryphas litteras censeatis. Venerabilis igitur Pudens, frater noster et amicus apostolorum et cultor et susceptor peregrinorum, summa ambitione fuit. Qui contempta mundique parentum facultate, semper paratus Christo, in omnibus præceptis Domini eruditus, jam post transitum parentum...

105° Passio S. Zenonis et filii ejus (fol. 247r-247v).

Edita sub nomine S. Cononis et filii ejus in *Act. SS.*, ad d. 29 Maii, tom. VII, p. 5-7. — Num. 2, pro his quæ in edit. sequuntur nomen *sinapis,* in cod. tantum *et cætera.*

106° Passio SS. Donatiani et Rogatiani martyrum (fol. 247v-248v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Maii, tom. V, pp. 280-281.

107° Passio S. Urbani papæ et martyris (fol. 248v-250r).

Hæc Passio est veluti compendium Actorum quæ edita sunt in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii p. 84-101.

108° Vita S. Germani Parisiacæ urbis episcopi (fol. 250r-255v).

Vita auctore Fortunato, edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Maii, tom. VI, p. 778-787.

109° Vita S. Maximini Treverorum archiepiscopi (fol. 255v-257v).

Edita apud Surium ad d. 29 Maii. — Sed prologus in cod. deest, nec in eo leguntur num. 1 extr. hæc verba : *Idibus Januarii.*

110° Passio S. Suiberti episcopi et martyris (fol. 257v-258r).

De hoc sancto martyre agitur inter prætermissos ad d. 29 Maii, tom. VII, p. 2.

111° Passio SS. martyrum Canti, Cantiani et Cantianillæ virginis (fol. 258r-259r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Maii, tom. VII, p. 428-430. — In sex prioribus numm. convenit hæc Passio cum textu codicis Namurc. 53 (vid. *Anal. Boll.*, tom. I, p. 511, 32°). Nec non et ex parte num. 8, nam post *sepelivit* add. :

Qui et ipse post aliquantulum tempus cum susceptionis suæ hoc ordine perrexit ad Dominum. Apparuerunt ei in visione sancti martyres dicentes : *Sceleratissimus Diocletianus Agapen, Chioniem et Hirenem, quas in virginitate perdurantes religiose nutrivisti, faciet intra paucos dies comprehendi. Quas usque torqueri faciet, donec Dominus concedit habere solatium famulæ suæ Anastasiæ. Tu autem, quia bene complacuisti*

Domino, requiesces cum sanctis. Igitur cum hæc narraret sanctus Zoelus, ecce Anastasia domum in quam nunquam fuerat ingressa ingrediens, constanter ait : *Ubi sunt sorores meæ quas mihi Dominus commendavit ?* Et videntes se invicem in Christo lætatæ sunt, atque locum ubi erant corpora sanctorum martyrum ostendentes, rogaverunt ut secum aliquantulum demoraretur. Illa vero unam apud eas exigens noctem, rursus ad urbem Aquileiensem pergit, sollicita satis de his quæ in vinculis habebantur. Qua eunte sanctus Zoelus perrexit ad Deum. Martyrizati... *(ut loco cit., ubi corr. mendum typogr.* 22 Kl. *pro* II Kl.)... imperante Diocletiano, regnante Domino nostro Jesu Christo per infinita secula seculorum. Amen.

112° Vita S. Symeonis monachi apud Treverim quiescentis (fol. 259r-262r).

Vita edita in *Act. SS.,* ad d. 1 Junii, tom. I, p. 89-95. — Sed in cod. prologus deest.

113° Passio SS. Marcelli et Petri martyrum (fol. 262r-263v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 2 Junii, tom. I, p. 171-173. — Qui in editis *Marcellinus,* nuncupatur hic *Marcellus.*

114° Passio SS. XL et VIII martyrum (fol. 263v-265v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Junii, tom. I, p. 162-167. — Sed in cod. præponitur prologus Rufini, ibid. editus p. 161, num. 7 ; deinde num. 1 ex parte om., scilicet a *nedum scriptura* usque ad *cogitasset insania ;* item num. 3 a verbis : *et ideo cum hoc pariter ;* num. 4 om. ; num. 18 ultima phrasis *(Hæc sunt...)* om. ; et ejus loco legitur in cod. :

Nomina autem martyrum hæc sunt : Vethius, Zacharias, Macharius, Alpiciades, Silvinus, Primus, Ulpius, Vitalis, Lomninus, October, Filominus, Geminas, Julia, Albina, Grata, Ponticus, Blandina, Emilia, Potomine, Pompeia, Rodane, Biblis, Quarta, Materna, Alpisque et Ammas. Maturus, Alexander, Julius, Apollonius. Hi sunt qui in carcere spiritum reddiderunt : Arethius, Fotinus, Cornelius, Cosemus. Hi autem qui ad bestias traditi sunt : Sanctus Tytus, Mammilia, Loticus, Justa, Trofome et Antani, Geminianus, Julia, Ausone, Emilia, Imanica, Pompeia, Domna. *(Cfr. etiam Martyrol. Bernense edit. in tomo nostro XIII Oct.).*

Numm. 19, 20 omm.

115° Passio S. Herasmi martyris (fol. 265v-267r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 2 Junii, tom. I, p. 213-216. — Sub finem, post *concede,* ita cod. :

Ut qui meminerit mei sabbato vel dominica, recipiat mercedem suam in nomine tuo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

116° Passio SS. martyrum Pergentini et Laurentini fratrum (fol. 267^{r}-268^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Junii, tom. I, pp. 272, 273.

117° Passio S. Bonifatii martyris (fol. 268^{r}-269^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Maii, tom. III, p. 280-283. — Ex cod. S. Bonifacius martyrizatus est *die V mensis Junii* et B. Aglae non tantum egenis sed et monasteriis et xenodochiis bona sua distribuit.

118° Vita S. Bonifatii Moguntinæ civitatis archiepiscopi (fol. 269^{r}-276^{r}).

Vita edita in *Monum. Germ.*, Script. tom. II, p. 333-353. — At variantes lectiones non paucæ notandæ sunt, præsertim quoad nomina virorum et locorum, videlicet :

Ed. cit.,	*lege ex codice :*
P. 336, l. 15,	Nethuscelle,
„	Winberti.
P. 337, l. 50,	Hinwest Saxonum rege.
P. 338, l. 5,	Berethwaldum ;
l. 10,	Winbreht, (et Wintra-præsidebat *om.*), Berowald ;
l. 15,	Cent ;
l. 45,	Rabbodum.
P. 339, l. 1,	Rabbodi ;
l. 5,	Treth ;
„	Rabbodum :
l. 40,	Winfrid.
P. 340, l. 5,	Lundenwich ;
l. 10,	Eventawich ;
l. 40,	Luthbrandum ;
l. 45,	Bawariorum, Turingam.
P. 341, l. 5,	Turinga ;
l. 15,	Rabbodi,
„	Rabbadi ;
l. 20,	Willebrordum ;
l. 25,	Willebrordi.
P. 342, l. 20,	Tetric ;
l. 25,	Hessonum.
P. 343, l. 40,	Hessona,
„	Hessonum.

Ed. cit.,	*lege ex codice :*
P. 344, l. 1,	Germere ;
l. 10,	Turingam ;
l. 15,	Thyodbaldi et Henedis ;
l. 20,	Trochwine et Berchtere et Anbercht et Hunrat ;
l. 35,	Ortorp.
P. 345, l. 5,	Hessonum,
„	Turinga ;
l. 25,	Frislare,
„	Amanaburg ;
l. 30,	Bawariorum ;
„	Herenvulfum.
P. 346, l. 10,	Turinga ;
l. 15,	Bawariorum ;
l. 20,	Tycine,
„	Luitbrandum.
l. 25,	Bawariorum ab Elone ;
l. 30,	Bawariorum Adelone ;
l. 35,	Herembreth,
„	(Quartus-dignitatem) *om.* ;
l. 40,	Bawariis.
P. 347, l. 1,	Hildiberch.
P. 348, l. 25,	Willibaldum et Burgardum ;
l. 30,	Bawariorum.
„	Heigstat ;

Ed. cit.,	*lege ex codice:*
P. 348, l. 30,	Burchardo.
P. 349, l. 10,	Turingia;
l. 25,	Elmere;
l. 35,	Coban;
l. 40,	Treth,
„	Waterius,

Ed. cit.,	*lege ex codice:*
P. 349, l. 40,	Hetelberus.
P. 350, l. 1,	Bathovulfus;
l. 5,	Borne,
„	Westereche.
P. 351, l. 30,	Elmere,
„	Thret.

In fine (*post* divulgaverunt) : glorificantes Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui vivit et regnat in secula.

Deinde adjiciuntur hi versus :

Es quisquis lector sacre legis et amator
Gesta beatorum que desunt querere virorum
Istic imposita que sunt moderamine recto.

119° Passio S. Procopii martyris (fol. 276^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Julii, tom. II, p. 556. — Sed in cod. num. 1 verba *Clementiæ autem-mediocriter attigerat*, omm.; num. 2 pro *Homeri, o miseri;* dein *vel compendium beatus* om.; pro *Desii* legitur *dies erat;* pro *Nonas Julias*, *VII Idus Julii.*

120° Passio S. Potiti pueri et martyris (fol. 276^{r}-277^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Jan., tom. I, p. 754-757. — Sed in cod. contrahitur. Præterea, num. 1, hæc : *in civitate Sardica*, om.; num. 9 tam nomen uxoris Agathonis senatoris *Quiriaca* quam ejus eunuchi *Hyacinthus* om.; ab angelo non *Ephirum* sed *Hierosolymam* translatus est (num. 5). Sub finem ad designandum martyrii locum hæc tantum in cod. : *Et ductus extra civitatem decollatus est super flumen quod dicitur Urbanus.*

121° Passio S^{tæ} Faustæ virginis (fol. 277^{v}-278^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Sept., tom. VI, p. 144-146. — In cod. subinde quædam phrases om.; deinde dicuntur SS. martyres spiritum reddidisse *VII Idus Januarias.*

122° Passio SS. Polieuti, Candidiani et Filoromi martyrum (fol. 278^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Jan., tom. I, pp. 666, 667.

123° Passio SS. Speleusippi, Eleusippi et Meleusippi (fol. 278^{v}-281^{r}).

Passio auctore Warnahario, edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Jan., tom. II, p. 76-80.

124° Passio S. Macharii et Eugenii (fol. 281^{r}-282^{r}).

Hanc Passionem in Append. leges. SS. Macharii et Eugenii meminit Annus Græco-Slavicus (*Act. SS.*, tom XI Octob.) ad d. 19 Febr. et iterum ad d. 20 Decemb., qua die in martyrologio Romano annuntiatur his verbis : In Arabia SS. martyrum Eugenii et Macarii presbyterorum, qui a Juliano apostata, cum ipsius sævitiam

arguissent, sævissimis plagis affecti atque in vastissimam eremum relegati gladio cæsi sunt.

125° Passio SS. xxxv martyrum (fol. 282^r-282^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Jan., tom. II, pp. 188, 189. — Num. 1, in enumerandis sanctorum martyrum nominibus cod. *Plesyrati* pro *Plesii, Arati ;* dein *Yppetromani* pro *Hippeæ, Romani ;* et *Obriaci* pro *Cyriaci.* Num. 2, *Hi viri* pro *Hi XXXVII viri* et num. 9, pro *Beatus..., Beatus Paulus.*

Appendix ad cod. 207-8.

DE S. HILARIO PICTAVIENSI. (Cfr. supra, pag. 137, 16°.)

Quid egerit sanctus Hilarius Romæ in synodo.

1. Quoniam sanctorum miracula fidelibus ad ædificationem virtutum habentur recolenda, non debent oneri esse recitata, cum imitata exonerationem faciant a peccatis. Neque temeritati aut præsumptioni debet imputari, si neglecta vel per inertiam prætermissa, dum tamen obediendo fiat, conscribantur. Præstet ipse nobis intercedendo loquendi adjutorium atque de se ut digne scribamus auxilium. Quare igitur illud tam antiquum et speciale miraculum inter reliquos ejus actus non sit insertum potest mirari, cum adhuc ex multorum etiam episcoporum assertione testimonium habere fateatur veritatis.

2. Arriana namque hæresi per orbem furente, multi qui ecclesiæ videbantur esse columnæ, hujusmodi venenis infecti misere ac desipienter a fidei salute languebant, in tantum ut ipse tunc apostolicæ sedis papa Leo, ipsius lepræ commaculatione respersus, veri dogmatis et ipse prævaricator, ut ex antiquitatis relatu memoratur, existeret. Cumque omnes fere episcopi ejus litteris commoniti Romam super his tractaturi venissent, venit et domnus Hilarius, quamvis tardius, armis tamen universalis fidei munitus. Quod cum ab annuntiante dictum fuisset : *Adest Hilarius, Pictaviensis episcopus, præ foribus,* papa veluti sero venienti, immo magis catholico indignatus, mandavit synodo ne ullus ei coepiscoporum assurgeret aut locum ei sessionis annueret.

3. Præsentatus siquidem vir Dei concilio, honore pontificatus papam præveniens ipsi cunctisque residentibus verbum salutationis digna reverentia inferens, dixit *Avete.* Cui ille, quasi quem ignoraret insultans, talibus respondisse fertur : *Tu ergo Hilarius gallus ?* Ille vero ad id quod erat fatendum sermonem convertens, sic ait : *Non sum,* inquit, *Hilarius gallus, sed de Gallia.* Nam gente aquitanicus, pontificali vero dignitate præminebat gallus. Ac si diceret ei : Non sum natione gallus, sed de Gallia præsul. Et papa, animi potius stomachatione permotus, hæc infit : *Et si tu Hilarius de Gallia, ego Leo Romanæ sedis apostolicus et judex,* Tunc

Hilarius ejus pertinacem intelligens controversiam, respondit ei, non stulte quidem sed sapienter : *Quod si Leo, sed non de tribu Juda. Et si judicans resides, non tamen in sede majestatis.* Mox ille cum indignatione de spreta sede, immo de sedis dignitate surrexit, multumque præsagum antistitem minans exivit, dicens : *Vide quia revertens te ab his tumidis sermocinationibus mitigatum humilitati restituam.* — *Et si,* inquit Hilarius, *non redieris ?*

4. Quod autem ei locus dignæ sessionis denegatus fuerat, non adeo vir Dei moleste tulit. Terra tamen se insidere parans, dixisse supplex illud psalmistæ fertur : *Domini est terra et plenitudo ejus.* Ad quam prædicationis vocem, statim, ut sese habet ad præsens usque relationis fama, ipsa tellus erumpens sursum excrevit atque fideli famulo Christi in medio residentium episcoporum sessum nec humiliorem præbuit. Quod universis et maxime catholicis stupentibus Deumque pro sancti merito collaudantibus, attolliturque clamor eum apostolicum morte præventum repentino defecisse, audiunt interitum. Quid plura ? Clerus conventusque turbatur, civitas omnisque populis hoc attonitus facto miratur, synodus disjungitur, episcopi omnes cum reverentia et laudibus beatissimi viri, domni Hilarii, ad propria, erroris capite contrito, revertuntur.

DE SS. PERPETUA ET FELICITATE. (Cfr. supra, pag. 145, 48°.)

Passio sanctarum Perpetuæ et Felicitatis.

1. Apud Africam, in civitate Turbitanorum, facta persecutione christianorum sub Valeriano et Galieno, comprehensi sunt venerabiles viri juvenes Saturus et Saturninus, duo fratres, Revocatus et Felicitas soror ejus, et Perpetua ; quæ erat de nobili genere, quæ habebat patrem et matrem, et duos fratres, et filium ad mamillam. Annorum enim erat illa viginti. Proconsul ergo Minutius sedens pro tribunali dixit ad eos : *Invictissimi principes, Valerianus et Galienus, jusserunt ut sacrificetis.* Saturus respondit : *Hoc nos non sumus facturi.* Proconsul jussit eos recludi in carcerem, siquidem hora præterita erat. Audiens vero pater Perpetuæ eam esse comprehensam, cucurrit ad carcerem, et videns eam dixit : *Quid hoc fecisti, filia ? Dehonestasti generationem tuam. Nunquam enim de genere nostro aliquis missus est in carcerem.* Perpetua vero dixit ad eum : *Pater.* At ille respondit : *Quid est, filia ?* Perpetua dixit : *Ecce, verbi gratia, vides vas jacens, aut fictile, aut cujuslibet generis ?* At ille respondit : *Video. Quid ad hæc ?* Perpetua dixit : *Numquid aliud nomen potest habere quam quod est ?* At ille respondit : *Non.* Perpetua dixit : *Sic nec ego aliud nomen possum accipere, quam quod sum christiana.* Tunc pater ejus conturbatus audito hoc verbo, irruit super eam, volens oculos ejus eruere ; et exclamante ea confusus egressus est foras.

2. Orantibus vero sanctis sine cessatione, cum essent in carcere, virtus divina jugiter confortabat eos et timorem futuri judicii et amorem nominis Christi sensibus eorum inserebat, ut nec præsentia cuperent et ad æterna ardentius festinarent. Quorum etiam mentibus tantus ardor fidei tribuebatur ut vicissim se cohortatione

mutua ad martyrii incitarent palmam. Nec diffidentia ulla aderat de conscientia, cum perfectio cognosceretur in opere. Quadam ergo nocte videns Perpetua visum, alia die retulit sanctis commartyribus suis, ita dicens : *Vidi in visu hac nocte scalam æream * mirabili altitudine usque ad cœlum ; quæ angusta erat ita, ut nonnisi* * *cod.* eream. *unus per eam ascendere posset. Dextra vero lævaque inerant fixi cultri et gladii ferrei, ut nullus circa se nisi ad cœlum respicere posset. Sub ea vero jacebat latens draco teterrimus, ingenti forma, ut præ metu ejus quivis ascendere formidaret. Vidi etiam ascendentem per eam Saturum usque ad summum et respicientem eum ad nos, et dicentem : Ne vereamini hunc draconem, qui jacet ; quin immo confortati gratia Christi ascendite, et nolite timere, ut mecum partem habere possitis. Vidi etiam juxta scalam hortum ingentem, copiosissimum et amœnum, et in medio horto sedentem senem in habitu pastorali, et mulgentem oves, et in gyro ejus stantem multitudinem candidatorum. Et respiciens ad nos, vocavit ad se, et dedit nobis omnibus de fructu lactis. Et cum gustassemus, turba candidatorum respondit Amen. Et sic præ clamore vocum sum expergefacta.* At vero illi, cum hæc audissent, gratias agentes sufficientes Domino, cognoverunt se ex revelatione beatæ Perpetuæ martyrii corona dignos esse effectos.

3. Post hæc vero procedens Minutius proconsul, et sedens pro tribunali, eos exhiberi præcepit ; dixitque ad eos : *Sacrificate diis. Sic enim jusserunt propitii principes.* Saturus respondit : *Deo magis oportet sacrificare quam idolis.* Proconsul dixit : *Pro te,* inquit, *respondes, an pro omnibus ?* Saturus dixit : *Pro omnibus. Una enim in nobis est voluntas.* Proconsul ad Saturninum, Revocatum et Felicitatem et Perpetuam dixit : *Vos, quid dicitis ?* At illi responderunt : *Verum est, unam gerimus voluntatem.* Proconsul vero viros a mulieribus separari jussit. Et ad Saturum dixit : *Sacrifica, juvenis, et ne te meliorem quam principem judices esse.* Saturus respondit : *Meliorem eo me judico esse apud verum principem præsentis et futuri seculi, si colluctando pati meruero.* Proconsul dixit : *Suade tibi, et sacrifica, juvenis.* Saturus respondit : *Hoc ego non sum facturus.* Proconsul ad Saturninum dixit : *Sacrifica vel tu, juvenis, ut possit evadere.* Saturninus respondit : *Ego christianus sum, et hoc mihi facere non licet.* Proconsul ad Revocatum dixit : *Forte et tu sequeris voluntatem illorum ?* Respondit Revocatus : *Eorum plane propter Deum sequor desideria.* Proconsul dixit : *Sacrificate, ne vos interficiam.* Revocatus respondit : *Deum adoramus, ut hoc mereamur.*

4. Proconsul vero eos removeri præcepit, et Felicitatem et* Perpetuam sibi * *cod.* per.
offerri jussit, et ad Felicitatem dixit : *Quæ diceris ?* Respondit : *Felicitas.* Proconsul dixit : *Virum habes ?* Felicitas respondit : *Habeo, quem nunc contemno.* Proconsul dixit : *Quod genus est ?* Felicitas respondit : *Plebeium.* Proconsul dixit : *Parentes habes ?* Felicitas respondit : *Non habeo, Revocatus vero congermanus meus. Verumtamen ab his majores parentes habere non potero.* Proconsul dixit : *Miserere tui, puella, et sacrifica, ut vivas ; maxime quia te infantem in utero habere video.* Felicitas respondit : *Ego christiana sum, et hæc omnia propter Deum contemnere præcepta sunt.* Proconsul dixit : *Doleo ego de te. Consule tibi.* Felicitas respondit : *Fac quod vis. Mihi enim persuadere non poteris.*

5. Proconsul ad Perpetuam dixit: *Quid dicis, Perpetua? Sacrificas?* Perpetua respondit: *Christiana sum, et nominis mei sequar auctoritatem, ut sim perpetua.* Proconsul dixit: *Parentes habes?* Perpetua respondit: *Habeo.* Audientes vero pater et mater, et fratres et maritus, simul cum parvulo ejus qui erat ad lac, venerunt, cum essent de nobili genere. Et videns eam pater ejus stantem ante proconsulis tribunal, cadens in faciem suam, dixit ad eam: *Filia. jam non filia, sed domina, miserere ætatis meæ, patris tui, si tamen mereor dici pater; miserere matris tuæ, quæ te ad talem florem ætatis perduximus: miserere fratribus tuis, et huic infelicissimo viro tuo, vel parvulo huic, qui post te vivere non poterit. Depone hanc cogitationem. Nemo enim nostrum post te vivere poterit; quia hoc generi meo nunquam contigit.*

6. Perpetua vero stabat immobilis; et respiciens in cœlum, dixit ad patrem suum: *Pater, noli vereri. Perpetuam enim, filiam tuam, si non obstiteris, perpetuam filiam possidebis.* Proconsul dixit ad eam: *Moveant te et excitent ad* dolorem lacrimæ parentum tuorum, præterea et voces parvuli tui.* Perpetua respondit: *Movebunt me lacrimæ eorum, si a conspectu Domini et a consortio ejus sanctorum*, cum quibus per visionem meam fructibus bonis sum copulata, fuero aliena inventa.* Pater vero ejus, jactans infantem in collo ejus, et ipse cum matre et viro tenentes manum ejus et flentes, osculabantur dicentes: *Miserere nostri, filia, et vive nobiscum.* At illa projiciens infantem eosque repellens, dixit: *Recedite a me, operarii iniquitatis: quia non novi vos. Non enim potero meliores et majores vos facere Deo, qui me ad hanc gloriam perducere dignatus est.*

* *cod.* te.

* *supplet. ex apogr. cod. S. Vict. Paris.*

7. Videns vero proconsul eorum perseverantiam, data sententia Saturum, Saturninum et Revocatum flagellis cæsos, Felicitatem et Perpetuam exalapatas in carcerem recipi præcepit, ut in cæsaris natali bestiis mitterentur. Et cum essent in carcere, iterum vidit visionem Perpetua: Ægyptium quemdam horridum et nigrum jacentem, et volutantem se sub pedibus eorum; retulitque sanctis fratribus et commartyribus suis. At illi intelligentes, gratias egerunt Domino, qui, prostrato inimico humani generis, eos laude martyrii dignos habuerit. Contristantibus vero eis de Felicitate quod esset prægnans mensibus octo, statuerunt unanimiter pro ea precem ad Dominum fundere. Et dum orarent, subito enixa est vivum. Quidam vero de custodibus dixit ad eam: *Quid factura es cum veneris in amphitheatrum, quæ talibus detineris tormentis?* Felicitas respondit: *Hic ego crucior, ibi vero pro me Dominus patietur.*

8. Facto itaque die natalis cæsaris, concursus ingens fiebat populi in amphitheatrum, ad spectaculum eorum. Procedens vero proconsul, eos in amphitheatrum produci præcepit. Euntibus vero illis, sequebatur et Felicitas, quæ ex sanguine carnis ad sanguinem salutis ducebatur et ab obstetrice ad gladium, et de lavatione post partum balnei sanguinis effusione meruit dealbari. Acclamante vero turba, positi sunt in medio amphitheatri, nudi, ligatis post tergum manibus; et dimissis bestiis diversis, Saturus et Perpetua a leonibus devorati sunt, Saturninus vero ab ursis erutus, gladio est percussus. Revocatus et Felicitas a leopardis gloriosum agonem impleverunt.

9. Horum ergo famosissimorum et beatissimorum martyrum, sanctissimi fratres, qui passi sunt sub Valeriano et Galieno imperatoribus apud Africam, in civitate Turbitanorum, sub Minutio proconsule, die Nonarum Martiarum, fideliter memoriis communicantes, et actus eorum in ecclesia ad ædificationem legentes, precemur Dei misericordiam, ut orationibus eorum et omnium sanctorum nostri misereatur atque participes eorum efficere dignetur, in gloriam et laudem nominis sui, quod est benedictum in secula seculorum.

DE S. PIGMENIO MARTYRE. (Cfr. supra, pag. 147, 61°.)

Passio sancti Pygmenii martyris.

1. Orto imperio Juliani impiissimi persecutoris, cruciata sunt in diversis provinciis jussu ejus VII millia martyrum, persequente eo christianos qui prius fuerat christianus, et in imperio devolutus extitit persecutor et sacrilegus. Collectus enim fuerat a Pigmenio [1], presbytero urbis Romæ de titulo Pastoris. Hic Pigmenius presbyter erudivit hunc Julianum litteris et beatum Donatum ; et sicut ipse doctus erat grammaticam, dialecticam et rhetoricam, et geometriam et arithmeticam, atque philosophiam et omnem legem christianam, ita erudivit eos. Quem etiam Julianum subdiaconem sanctæ ecclesiæ catholicæ consecravit. Ille tamen sanguine [2] collectus a Pigmenio, præfato presbytero, cœpit omnibus illustribus conjungi et exponere quod erat doctus a Pigmenio presbytero. Et dum ab omnibus diligeretur, ipse de semetipso dicebat quia de imperiali fastigio esset genitus. Et dum amaretur ab omnibus senatoribus, quia eleganti et prudenti forma videbatur, ad imperiale fastigium electus est a populo.

2. Hujus temporibus erat quidam vir illustris et præfectus urbis, nomine Flavianus. Hic occulte cum omni domo sua factus fuerat christianus. Hujus uxor, nomine Dafroxa, et ejus filiæ duæ, una Demetria et altera Bibiana dicebatur ; quæ nutritæ fuerant sub omni castitate et fide. Hic autem Flavianus cum frequenter corpora sanctorum cum christianis noctu colligeret et sepeliret, divulgatum est imperatori quod Flavianus corpora sanctorum Prisci presbyteri et Prisciliani clerici et religiosæ feminæ Benedictæ perquireret ; divulgaveruntque etiam quod in domo sua noctu fuissent cruciati beatus Johannes et Paulus. Et cœperunt voce publica dicere [3], eo quod respublicá offendisset Deum, ob persecutionem hominis qui prius fuerat christianus et postea apostata et persecutor. Tunc Julianus imperator scriptione præcepit damnari Flavianum, et omnes facultates ejus fisco sociari jussit. Ipsum quoque Flavianum ad aquas Taurinas, milliario sexagesimo ab urbe Roma, via Claudia, in exilium deportari præcepit. Qui triduo post directionem exilii, in oratione permanens jejunans dormitionem accepit.

[1] *cod.* Pygmenius *et sic deinceps.* — [2] *sic, pro* Julianus ? — [3] *videtur hic esse lacuna.*

3. Eodem tempore uxor ejus cum duabus filiabus suis in domo sua nuda remansit. Quam imperator fame cruciari præcepit, si non sacrificasset diis et accepisset maritum. Illa autem permanens cum duabus filiabus in fide Domini nostri Jesu Christi, nullomodo præceptis imperialibus obaudivit. Traditur autem Fausto cuidam, propinquo suo, tamen gentili, qui eam talibus urgeret monitis, dicens ei : *Ut quid istam superstitionem vanam tenendo adhuc rebus privatæ estis, et morte propinqua periculis cum filiabus subjacetis ?* Tunc Dafroxa dixit : *Deus qui misit Filium suum, Dominum Jesum Christum, ut nos eriperet, potest et virum meum mihi reddere et facultatibus suis cœlestibus eum mancipare : quia si ego doleo de nece viri mei, tamen de ejus pretiosa morte magis gaudeo.* Respondit Faustus : *Ergo magna est mors ?* Dafroxa dixit : *Quia non legisti, tamen vel audire te non memineris? Scriptum est enim : Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Faustus dixit : *Et ubi est paternitas cognationis, ut mihi nunquam ex vobis parentibus divulgatum sit quia pretiosa est mors sanctorum ejus ?* Dafroxa dixit : *Tu crede in Filium Dei Christum, quem Julianus negat, et videbis dignitates et facultates centies multiplicari.* Respondit Faustus : *Et quæ erit credulitas?* Respondens Dafroxa dixit : *Fauste, ut baptismum accipias, et ut merearis nomen accipere Christi quem Julianus negat. Nam ante Dominum Jesum Christum tempora non sunt nec fines, sed quod perpetuum et æternum est.* Tunc tremens Faustus cecidit ad pedes ejus et cœpit rogare eam ut baptizaretur. Dafroxa itaque rogat venire ad se sanctum Johannem presbyterum ; quem cum lacrimis deprecabatur ut Faustum baptizaret. Qui ut pœnitentiam ageret respondit, ut jejunio recreatus more sancto baptizaretur. Indicto vero jejunio VII diebus, cinere asperso capite et eleemosynas dando urgebatur, ut sanctorum mereretur orationibus adjuvari. Septimo itaque die, omnibus venditis, non tantum ornamentum, sed aurum et argentum pauperibus spargens, baptizatus est.

4. Qui cum jam baptismo Christi redemptus fuisset, post dies XXX et IX requiritur a Juliano imperatore. Et venit ante conspectum ejus. Et interrogatus est a Juliano imperatore : *Generositatem tuam tam magnis argumentis quam infelicibus objectionibus credo te acquisitam uxorem Flaviani non perdidisse.* Respondens autem Faustus, dixit : *Ego quidem non tanto merito eam non perdidi ; sed beata Dafroxa me sibi acquisivit, ut merear videre quem tu negas, cujus regnum sempiternum est.* Tunc dixit Julianus : *Ego quidem fui christianus ; sed diis libamina offerendo regno conjunctus sum. Tu vero tantæ Romanæ sedis illustris, qui semper servisti diis, quibus ego humiliatus exaltatus sum, quomodo seductus es ?* Respondens Faustus dixit : *Non sum seductus, sed angelis sum sociatus et mancipatus, sicut tu dæmoniis. Sed ut cognoscas, adorabo ego nunc Dominum Jesum Christum, qui judicaturus est vivos et mortuos et regnum tuum : et tu adora dæmones tuos, ut videamus quis ex nobis exaudiatur.* Respondens Julianus imperator, dixit : *Insanis.* Faustus autem, genibus positis, orando reddidit spiritum. Tunc Julianus jussit projici foras corpus beati Fausti, et non sepeliri, sed canibus derelinqui.

5. Eadem nocte venit Dafroxa et collegit corpus ejus, et sepelivit intra domum suam juxta corpora sanctorum martyrum Johannis et Pauli. Eadem vero nocte

rediens in domum viri sui Flaviani, laudans Deum, in somno visitatur a viro suo, dicente ei : *Veni, Dafroxa, accipe coronam.* Et post dies v in eadem domo orans requievit. Tunc Julianus imperator hoc audiens quia sine tormento transisset, mirari cœpit, jussitque duas filias ad se duci, et omne eorum patrimonium connumerari et fisco sociari. Adductæ sunt autem duæ filiæ ejus in conspectu Juliani. Et cum introissent, Demetria pavore perterrita emisit spiritum, xvi Kl. Julii. Confusus vero Julianus, dixit : *Requiratur mulier quæ puellam erudiat doctrinam deorum.* Et data est Bibiana Rufinæ cuidam sacrilegæ. Tunc vero Bibiana mente fidei plena sepelivit sororem suam juxta matrem insimul in sarcophago in domo sua. Post menses vero vi urgebatur Bibiana a Rufina ut sacrificaret diis, et acciperet filium ejus in conjugio. Bibiana autem perseverans in Christi fide, deridebat Rufinam. Et dum frequens esset afflictio cum verberibus, nunquam quiescebat prædicare Christum. Tunc Rufina nuntiavit imperatori Juliano. Eadem autem die Julianus imperator jussit eam plumbatis deficere. Quæ cum diu cæderetur, quarta die post jussionem Juliani reddidit spiritum. Cujus corpus jacuit biduo in foro Tauri, præcepto Juliani.

6. Tunc Johannes presbyter noctu collegit corpus ejus, et sepelivit in domo juxta matrem et sororem suam, in cubiculo Romani ad caput juxta palatium vicinum, ad formam Claudii, iiii Nonas Decembr., ubi frequenter Johannes et Pigmenius presbyteri conveniebant. Hoc audiens Julianus, auctoritate sua mandavit Pigmenio, dicens : *Perge quo volueris. Hic enim nulla bona tibi mercavi. Istud tamen servitiis tuis reddo.* Ipse autem collectum Julianum ab infantia nutrivit eum et fecit christianum, et, sicut superius memoratum est, litteris erudivit eum, simul cum beato Donato. Tunc ergo Julianus furore plenus, tenuit Johannem presbyterum ; quem non auditum in via Salaria ante simulacrum Solis decollare præcepit, in clivum Cucumeris. In eodem autem loco collectum est corpus ejus a Concordio presbytero, et in sarcophago sepultus juxta concilia martyrum, viii Kl. Julii. Tunc Pigmenius presbyter perrexit ad Persidam, ubi complens annos iiii^{or} factus est cæcus. Post annos vero iiii^{or} monitus in somnis a Domino Jesu Christo dicente ei : *Pigmeni* [1], *revertere Romam et ibi illuminaberis.* Erectus autem mane et non dubitans, ascendit navem et venit Romam. Post menses vero iiii ingressionis suæ, ascendere cœpit per clivum Sacræ Viæ cum uno puero, petens stipem. Et ecce procedens imperator in rheda aurea, vidit a longe Pigmenium : quem cognoscens vocari præcepit. Qui cum adductus fuisset ante conspectum suum, vidensque eum dixit : *Gloria sit diis deabusque meis, quia te video.* Respondit vero Pigmenius, voce clara dicens : *Gloria sit Domino Jesu Nazareno crucifixo, quia te videre non possum.* Cumque hoc dixisset, iratus est Julianus et jussit eum per pontem dari præcipitem. Cujus corpus collectum est, et sepultum in cimiterio Pontiani ad Ursum Pileatum, xii Kl. Martii.

7. Eodem tempore surrexit bellum Persarum et ambulavit imperator ad Persidam. Quo cum ambulasset, pugna conflictus vinctus tenetur Julianus imperator,

[1] *cod.* Pygmenii.

et nimium afflictus vivus decoriatur ab extremo vertice usque ad ungulas pedum, et tincta [1] vermiculo ibidem omni tempore reges Persarum dum pacem habuerint super corium Juliani sedentes congratulabantur. Post mortem vero Juliani imperatoris erat quædam mulier Olympina, de genere Flaviani. Quæ cum audisset extinctum Julianum, introivit in domum Flaviani et requisivit corpora sanctarum feminarum Dafraxæ [2], Demetriæ et Bibianæ, ibique basilicam construxit, quæ dicitur Olympinæ. Et omnibus diebus vitæ suæ de domo Flaviani non recessit; sed stetit juxta corpora sanctarum feminarum, ubi jejuniis et orationibus die noctuque hymnis copulabatur, usque ad Siricium, episcopum urbis Romæ, qui etiam frequenter cum presbyteris et diaconibus et fidelibus in eodem loco Deo et Domino nostro Jesu Christo sacrificium offerebat, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

DE S. THEODOSIA VIRGINE. (Cfr. supra, pag. 147, 67°.)

Passio sanctæ Theodosiæ virginis.

1. Temporibus illis, Diocletiano quater et Maximiano ter consulibus, orta est persecutio christianis. Adveniente igitur Urbano præside in civitatem Cæsaream, provinciæ Palæstinæ, multos pro nomine Christi comprehendit confessores eosque jubet in carcerem retrudi, proxima sessione audiendos. Cumque jussisset sibi tribunal parari, ut confessores Dei audientia publica audiret, tunc quædam virgo, nomine Theodosia, nobili familia exorta in seculo, sed nobilior futura in æternum. Hæc autem erat annorum octodecim, vultu et aspectu decora, mente et proposito illustrissima. Hæc parentibus unica fuit. Cum audisset Dei confessores publica audientia futuros, accenditur desiderio sancto, et cogitans apud se et discutiens diligenter præsentia et futura, Spiritu sancto repleta, et pro nomine Christi paravit semetipsam fortem, ut quidquid ei accideret libenter toleraret, dicens: *Quid in hoc seculo fallaci delectat? Quidquid promittit, stabile non est. Quare non potius contemno periturum, ne simul cum eo peream?* Cumque hæc ardenter animo meditaretur, tempus noctis advenit, et per visum confortatur [3] a Domino ut nihil terreretur tormentis, nec delicati corporis impossibilitatem pertimesceret, nec nobilitatem generis sui consideraret, cum ipse Dominus adveniens in carne humana tanta tolerasset pro salute humani generis, Ad hæc Theodosia evigilans, ait intra se: *Heu mihi, si ista considero quæ in seculo aguntur blandimenta. Si non exuero nobilitatem falsam, palmam victoriæ perdo. Scio enim quia quæ mihi impossibilia videntur, Deo possibilia sunt. Cur etiam tardo, et non festino ad sponsum æternum cui animam et corpus meum obtuli?* Jam enim erat Deo consecrata.

2. Cumque illuxisset dies, beata Theodosia in corde gestans erat partum quem nocte conceperat. Dignum erat enim in tali fabrica Christi palatium præparare.

[1] *lacuna apparet.* — [2] *sic.* — [3] *cod.* confortaretur.

Statim illustrata fulgore sancti Spiritus, oblita est nobilitatem superfluam corporis sui, totamque intentionem animæ vel desiderium suum ad palmam supernæ vocationis extendens, ut nescientibus parentibus vel familia festinanter pergeret ad domum ubi Dei confessores retrusi detinebantur. Dansque præmium claviculario, deprecatur ut eam sineret Dei confessoribus sociari. Tunc clavicularius videns pulchritudinem vel formam delicatæ virginis, dixit ad eam : *Quid pateris, domina, tantæ nobilitatis origo, in qua tota domus paterna dependet, qui te unicam filiam sibi habere gratulantur? Quid desideras hominibus te morte damnandis sociare? Cur confiteris te Christum credere, pro quo illi damnandi sunt? Quare festinas florem ætatis exterminare tam cito?* Cui beata Tbeodosia respondit : *Noli hoc attendere, nec mireris corporis elegantiam, quæ aut infirmitate corrumpitur aut senectute vilescit; sed potius intende quia animæ pulchritudo inde in melius renovatur unde cutis exterior, quæ videtur splendida, conteritur. Non enim diligit Deus speciem corporis, sed pulchritudinem mentis. Ego enim ab infantia christiana sum nutrita, et usque in finem Christum confiteor. Etsi mihi pro illo mori contingat, a salutis confessione non recedo.* Hæc ea dicente et christianam se esse confirmante, timens clavicularius delatorem, permisit eam sanctis martyribus sociari. Cumque ingressa fuisset ad sanctos, vultu placido Christum in pectore gestabat, cujus virtute per visionem corroborata desiderium salutis conceperat. Videns ergo eos, ait ad illos : *Suscipite vobiscum comitem viæ salutis. Orate pro me ad Dominum, ut merear vobiscum agonizare, certansque certamen fidei fidem servare et cursum merear consummare et repositam justitiæ coronam percipere.* Orantibus vero sanctis, beatam Theodosiam Domino commendaverunt. Cumque finem orationis implerent, refulsit locus carceris fulgore inenarrabili, et odor suavitatis omnibus apparuit. Et audita est vox dicens eis : *Pro qua orastis, exauditi estis. Ego enim sum qui sum, qui eam vocavi, cujus mentem in meo amore sinceram inveni. Ego eam oleo lætitiæ perungo, meoque Spiritu confirmo ad vincendas omnes cruciationes quas ei inferre habet inimicus per suos ministros. Vos autem sine tormentis pœnarum per confessionis palmam suscipiam in regno cœlorum.*

3. Parentes vero beatæ Theodosiæ nimio tædio consumpti, nesciebant ubi virgo devenisset. Cumque eis nuntiatum fuisset, dicendo : *Theodosia filia vestra in Christi confessione agonizat,* pergunt festini ad carcerem, lacrimantes et ejulantes pro unica filia, quam credebant bonorum suorum superstitem futuram. Volventesque se pedibus ejus, deprecabantur ne genitorum suorum amorem relinqueret, sed tantum a desiderio confessionis recederet, affirmantes omnia bona sua se imperatori daturos ut illa nihil pateretur mali, sed secundum suam devotionem christiana permaneret : tantum ne talem sobolem viderentur amittere. Quibus beata Theodosia respondit : *Ut video, declinastis post Sathan, sicut scriptum est : Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Vos videritis. Intelligite ergo quæ dictura sum vobis et credite. Venturus enim erit Dominus in judicium, quia qui in primo adventu* [1] *fuit occultus, in secundo erit manifestus. Tunc reci-*

[1] *cod.* adventus.

piet unusquisque propria opera corporis sui quæ gessit, et in illa die justus judex reddet singulis secundum opera eorum. Mihi autem quid molesti estis? Nam plus considerabo lacrimas vestras quam præcepta Domini mei Jesu Christi? Nec amorem vestrum præpono amori Christi, nec divitias labiles hereditati perpetuæ assimilabo. Cum vestra voluntate me Deo consecrandam obtuli. Vota mea ecclesia celebravit, non organo, non cymbalo, quæ sunt mulcentes animas ad perditionem salutis, sed hymnis et canticis integram castitatem servantibus. Dotem meam Christus accepit et populus christianus clamando Amen subscripsit. In hoc testamento meo scriba justitiæ testis est Paulus; hortator castitatis adest. Exempla Teclæ virginis præ oculis habeo; sponsum æternum Christum in pectore meo gesto. Nunc assunt mihi dies salutis, nunc tempus Deo acceptum, quo mihi relinquendus est mundus. In mundo vero jam esse nolo, in quo me diu constat peregrinam esse a Deo meo. Dissolvi cupio cito corpore et esse cum Christo. Sinite me, sinite triumphare mortem et palmam victoriæ reportare pro amore Christi, cui spiritu nupsi, propter quem contemno omnia quæ videntur in hoc seculo, ut ab ipso percipiam quæ se quærentibus promisit, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendere potest. Unicam filiam, ut dicitis, me habuistis in seculo nobilissimam: ipsam quæso ut habeatis in cœlo martyrem. Facultates quas mihi promittitis, si ipsas accepero, quoniam morior, hic dimitto, aut forsitan vivens amitto. In veritate vobis profiteor quia me ab amore Christi nullo pacto disjungitis, nulla suasione mutare poteritis. Quid enim amore Christi præponendum est? Quid hac dulcedine dulcius? Quæ hereditas superflua huic hereditati consimilis? Hæc passio temporalis æternam præparat gloriam sustinentibus. O parentes, si me filiam vestram tenere amatis, nolite amare minus[1] *Christum pro quo ego passura sum. Considerate quæ dico. Si terreno sponso me daretis, ipso vivo alteri nubere non poteram. Quod si hoc facerem, adultera dicerer. Nunc vero qui regi regum et Domino dominantium, per quem omnia facta sunt, qui me de visceribus vestris nasci præcepit, Christus Dominus meus, cui jam in fide merui sociari et ejus sponsa dici, qui semper immortalis vivit, qui ab initio regnat et in æternum successorem regni sui nunquam habebit, vos, ut video, ab istius sponsi tam nobili caritate disjungere me contenditis. Sed hoc certe cognoscite, quia ad hoc persuadere mihi in perpetuum non potestis. Si vos estis arbores, hoc est homines de quibus nata sum, et vos arescere sinitis, idonea et viva vel fructifera est radix crucis Christi, quæ me portat, et omnes heredes Dei, qui futura credunt. Lacrimæ autem vestræ non me conturbant, nec amor divitiarum vestrarum ab amore Christi me valebit separare*[2].

4. Cumque hæc agerentur, et omnia supra dicta gesta nuntiata fuissent Urbano præsidi, illico exardescens inimicus jubet convenire ordinem universæ civitatis et ipse præ nimia ira vultu quasi inverso oculisque micantibus minas cœpit adversus Dei virginem sævissimas cogitare. Inquirit diligenter de beata Theodosia cujus in confessione christiana talem audierat famam, quibus natalibus esset oriunda vel quis eam hanc doctrinam docuisset. Cognovit eam filiam esse nobilissimi viri qui

[1] *vox suppleta.* — [2] *cod.* superare.

erat princeps illius civitatis et jamdiu tempore quieto Deo consecratam fuisse. Exhiberi ante se jubet parentes illius : inquirit ab eis si eorum suasione hanc viam sequeretur puella. Dicunt igitur parentes ejus quæ vera erant, se penitus ignorasse devotionem virginis. Cumque in parentibus nullam invenisset culpam, jubet eos absolutos discedere, et toto furore suo in Dei virginem fremens, exardescit inimicus contra splendorem castitatis, mendacium diaboli contra veritatem Christi. Quid multa ? Jubet sibi Urbanus præses tribunal præparari, ut cunctis astantibus et omnibus videntibus Dei virginem, beatam Theodosiam nobilissimam, pœnis exterminaret, si ei non possit blandimentis suadere. Fit autem in illa die magnus concursus populi utriusque sexus; omnes undique conveniunt ad miraculum tantæ rei cognoscendæ. Peragrat fama totam civitatem : Theodosiam, nobilissimam virginem, publice audiendam ante præsidis præsentiam advenire. Quo audito nec matrona in domo sua aliqua remansit, non virginem illuc advenire verecundia prohibuit, non judæum religio sua retinuit ; sed omnes audientes ad hoc spectaculum undique conveniunt. Illico sedet pro tribunali præses, ordinantur officia tormentorum, præparantur diversa genera pœnarum, equulei statuuntur, craticulæ succenduntur, sartagines inflammantur ; omnesque ministri diaboli armati fremebant ligaturas nervicas in manibus gestantes. Tortor immanis aderat ; vox illa sacrilega non tacebat : existimabant ut, si hæc videret Dei famula Theodosia, territa a confessione recederet. Exhiberi jubet puellam delicatam, ad regnum cœli post mortem futuram. Introducitur beata Theodosia, quæ signum victoriæ secum in incessu et vultu gestabat. Fulgebant oculi Spiritu sancto radiantes ; splendida erat facies ejus, quasi oleo lætitiæ peruncta. Claritate aspectus sui omnium se videntium corda prosternebat. Omnes mirabantur tantam elegantiam virginis talibus natalibus exortam, sic animi virtute armatam, mortem non timere, nec pœnas expavescere. Ab officio dictum est : *Theodosia virgo, quæ præceptis principum rebellis extitit, præsto est audientiæ mancipanda.* Item ex officio præconatur : *Theodosia, rebellis legum vel principum, introducatur audienda.* Ex officio dictum est : *Adest Theodosia.* Videns vero eam Urbanus præses, dixit : *Ingenuam et bene natam puellam Theodosiam conspectui legum vel meæ potestati applicate, ut a me quasi a patre suo consilium salutis accipiat et recedat ab errore quo infantia ejus videtur errasse, et quasi prudentissima filia audiat judicis adhortationem et dignitatem nobilissima* [1] *sponsi sortiatur, et pœnas quas sibi conspicit esse paratas evadat, et suis parentibus restituatur incontaminata, diis sacrificando, ut non cum contemptoribus secundum principum decreta florem corporis ejus pœnis discerpam.*

5. Audiens hæc Theodosia Urbanum præsidem dicentem, studebat silentio, intentionemque mentis et corporis cœlo defigens. Ad cujus sapientiam iratus præses, dixit : *Nihil ad hæc respondes, filia, quæ salutis tuæ causa hortamur ?* Sancta Theodosia irridens diabolum et aspiciens cœlum signumque crucis in fronte digitis suis depingens, dixit : *O diaboli falsa blandimenta ! O serpentis occultum venenum ! O leo devorans animas pie viventes ! Quid enim est quod non fingas te, ut*

[1] *sic.*

animas non permittas ascendere ad cœlum, unde tu superbiæ tuæ pœna projectus es? Semper deceptor animarum ab initio tu fuisti. Astutias tuas, Christo Domino adjuvante, prævidebo, et exultans in gloria Domini mei Christi, calcato capite tuo, per confessionem humilitatis, ad cœlos conscendam, unde tu per superbiam tuam cecidisti. Hoc scito quia omnia parata sum pro Christo, Domino meo, sustinere, nec desidero ut amplius mihi blandiaris. Quod si hoc feceris, legibus principum tuorum resistis. Ego enim clara voce coram omni populo christianam me esse confiteor : quia quod tempore pacis acquisivi, in bello non perdo ; sed per me discet virgo quod amet, et conjugata quod imitetur, adolescens et qui contemptor est quid erubescat. Dæmonia vero quæ colis, ac si vana simulacra despicio. Turpe est enim Jovem corruptorem adorare, Dianam, agreste animal, Deum dicere. Quid Martem sanguinarium nominare delecter? Quorum si vellem acta singulorum exponere, vos ipsi erubescetis. Vide ergo ne mihi parcas, vide ne misericordiam falsam promittas. Adjunge tormenta tormentis; carnes meas quas seculum nutrivit, extermina. Cutem nitidam et vultum placidum quem in me miraris, cito horrebis, et interiorem vultum hominis in melius innovabis. Præses dixit : *Non tam cito debemus irasci, nec celerius exasperari adversus puellam verbosam et præsumptricem. Contingere assolet ut ubi est libertas, ibi adveniat facultas quo tenera ætas indisciplinate respondeat. Quod si forte patientiam nostram considerans ad consilium salubre reversa fuerit, salvetur ; et tunc placebit nobis quod nunc non exterminamus tale corporis decus.* Sancta Theodosia respondit : *Vere hominum omnium dedecus tu es, qui putridæ carnis decorem miraris et quid intra hunc parietem nitidum contineatur non consideras, quod in eo phlegma vel cetera fœtida elementa latent, nec horrescis quæ plus expediunt tacere quam exponere, quia tu interioris hominis pulchritudinem non agnoscis, cujus laus ex Deo est, non ex hominibus. Nam et lilia et rosæ tempore suo omnibus speciosæ videntur, succedente autem tempore arescunt : sic et pulchritudo corporis aut infirmitate corrumpitur aut senectute dedecor efficitur et vilescit.* Dixit Urbanus præses : *Doleo pro te, puella, quod sic tam cito festinas ad mortem. Cito vis carere vita tua quam alii sibi longævam adoptant. Audi immo consilium nostrum, et ætatis tuæ vel mentis compesce præsumptivam audaciam. Nos te vivere optamus. Unicus est mihi filius : esto et mihi unica filia. Ideo autem injurias a te irrogatas patienter ferimus, considerantes teneræ ætatis tuæ brutam scientiam. Ita et nos volumus ut et tu audias nos, ut salutem consequaris, honorando deos et principes et me tibi adoptando patrem.*

6. Sancta Theodosia respondit : *Quæ a te dicta sunt, audivi, præses, et pietatem quam promittis circa me exhibere, perpendo. Sed quantum vobis videtur bona utilitas ista vitæ præsentis, centies tantum et amplius contraria est saluti æternæ. Unde et tu patienter audi quæ a me tibi dicuntur et, quasi utilis rector provinciæ vel judex verborum meorum, discernendo pensa rationem. Non enim otiosum videbitur quod propono. Dic ergo mihi, præses : cœlum et terram et omnem ornatum eorum, maria et flumina et omnia quæ in eis sunt quis fecit?* Præses dixit : *Deus.* Sancta Theodosia dixit : *Qualis deus, visibilis an invisibilis?* Præses dixit : *Invisibilis.* Sancta Theodosia dixit : *Quem invisibilem confiteris, incomprehensibilis est an comprehensibilis?*

Præses respondit : *Incomprehensibilis.* Sancta Theodosia dixit : *Quis est ille deus, dicito mihi, cui me suades sacrificare ?* Præses respondit : *Jovi, deo magno.* Theodosia sancta dixit : *Erras, præses. Jovis, deus tuus, quem dicis, visibilis fuit ab hominibus et comprehensibilis, et infirmitatem carnis portavit ; castitatem sororis suæ violavit ; peccata quoque multa commisit. Unde etiam adulter et mœchator vel violator castitatis dicendus est, non deus.* Præses respondit : *Multa te habeo interrogare. Ut religio vestra deposcit, rogo te ut humiliter et cum disciplina mihi respondeas.* Sancta Theodosia respondit : *Audi, præses. Libertatem talem nos docuit Dominus noster Jesus Christus, ut regum vel principum terrores non pertimescamus nec personaliter aliquid dicamus. Ideoque scias quia sicut prudenter interrogaveris, taliter a me responsum accipies.* Præses dixit : *Ergo Jovis deus non est, cui et ipsi principes pro salute sua cerimoniant ?* Theodosia sancta respondit : *Ecce quam insipiens et vanus est sermo tuus, ut aliud quod verum est verbis confitearis, et aliud per fallaciam tuam affirmare festinas* [1]. Præses dixit : *Audivimus quia et Christus vester visibilis fuit et carnem gestavit.* Sancta Theodosia respondit : *O præses, putabam te habere sapientiam aliquam. Tu autem, ut video, in omnibus insipiens es, et insipienter respondes, comparando carnem Jovis immundi, quam peccata nutrierant in mundo et gehenna consumet in æternum, illi incarnationi Domini nostri Jesu Christi, qui* [2] *ex voluntate redemptionis extitit, non ex natura humanitatis ; qui peccata nostra solus portavit. Ideo credentibus æterna salus promittitur ; non credentibus vero, sicut tu, æternum supplicium præparatur. Nam de salutifera et gloriosa incarnatione Domini nostri Jesu Christi, qua dignatus est induere humanam carnem, quam ipse de limo terræ fecit et fabricæ suæ reparator advenit, hæc causa est, ut parietem quam* [3] *diabolus fraudulenter artibus suis ruinaverat, ipse consilio salutis misericordiæ suæ repararet, nascendo per virginem. De quo sacramento non est tibi aliquid plus dicendum, quia nec tu dignus es audire.*

7. Audiens hæc Urbanus præses, insibilavit voce serpentis, rabidioresque sermones inclamat, dicens : *Tollite a conspectibas meis impudicam, expoliate verbosam et IIII^or nervicis extendite et toto corpore ejus dissipate. Quæ enim non est sui miserata, nec a nobis misericordiam mereatur accipere.* Sancta vero Theodosia dixit cum torqueretur : *O fallax, ecce jam exhorrescis corpus meum, quod ante jam* [4] *laudabas, et pulchritudinem quam in me mirabaris a conspectibus tuis repellere fecisti. Hoc est ergo quod et ego maxime desidero. Quod temporale est, vilescat tibi, et quod æternum est, in Deo melioretur, ut tanquam sponsus procedat de thalamo suo, sicut scriptum est : Etsi exterior homo noster corrumpitur, interior renovatur.* Urbanus præses dixit : *Ut quid thalamum nominas, misera, quæ nubere contempsisti ?* Sancta Theodosia respondit : *Ego cui nupsi, æternus est ; cujus spiritu sapientia fœcundor, cujus gratia fortis existo, per cujus fortitudinem te et patrem tuum diabolum celeriter conculcabo. Ipse enim est rex regum et Dominus dominantium, cui a militia cœli die noctuque nec non et in terra incessabiliter psallitur et in hymnis et canticis sacrificium laudis offertur.* Urbanus præses dixit : *Quid est hoc*

[1] *sic.* — [2] *sic.* — [3] *sic.* — [4] *forsan pro* tam.

quod in hymnis et canticis Deum laudatis? Theodosia sancta dixit: *Licet non deberem, sscundum præceptum Domini, margaritas mittere porcis, tamen, ut forte de audientibus quicumque salventur, Christo Domino donante dicam quanta sit sublimitas vigiliarum et hymnorum. Quid enim in psalmis non invenitur quod proficiat ad salutem, ad utilitatem, ad ædificationem, ad consolationem humani generis? Omnis ætas in psalmis habet quod imitetur, habet quod delectetur. Habet infans quod lactet, puer quod laudet, adolescens in quo corrigat viam suam, juvenis quod sequatur, senior quid precetur. Discit femina pudicitiam; pupilli inveniunt patrem, viduæ judicem, advenæ custodem; audiunt reges et judices quid timeant. Psalmus tristem consolatur, lætum temperat, iratum mitigat, pauperem recreat, divitem ut se agnoscat increpat; omnibus omnino invocantibus se aptam medicinam tribuit; et peccatorem despicit, sed remedium ei per patientiam salubriter ingerit. Providet plane Spiritus sanctus quemadmodum salvetur. Hæc sunt cantica quæ canit ecclesia, hæc est gloria in qua sancti exultant. Putasne audisti? Intelligis, miser? An secundum cor tuum impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei?*

8. Audiens hæc Urbanus præses, dixit: *Ingeniose quidem et composite locuta es; tamen cum dicas te unum Deum colere, tres adorare cognosceris. Ex quibus intelligi potest Patrem et Filium quem dicitis uniter adorandum: quid tertium, quem Spiritum sanctum appellatis, hoc edicito. Juro autem per deos et per meam salutem quia audire desidero.* Theodosia sancta dixit: *Vere, sicut scriptum est, astutiores sunt filii tenebrarum quam filii lucis. Tamen, sicut superius dixi, quia non debent pretiosæ margaritæ porcis mitti, verum etiam te judicem indignum judicabo ad audiendum sacramentum Trinitatis. Et nunc adhibe patientiam tibimetipsi, et dicam qualis sit ratio ista, pro salute audientium. Audi ergo. Pater et Filius et Spiritus sanctus unum sunt, una majestas, una deitas. Nam sicut Filius ex corde Patris processit, ita et Spiritus sanctus de Patre et Filio. Propterea tres confitemur, et unum credimus fide; et sicut Pater in Filio, ita et Filius in Spiritu sancto. Audisti ergo et Filium et Spiritum sanctum ex Patre. Propterea a nobis unus Deus colitur, et Trinitas vera agnoscitur. Ecce audisti, licet indignus, qualiter Trinitatem credimus et unum Deum adoramus et colimus. Audisti quæ interrogasti; recede nec aude*[1] *ex hoc amplius quidquam interrogare. Ex his autem quæ audisti, perpetuum tibi judicium manet. Vide amodo ne mihi parcas, nec tardes malitiam tuam exercere in me. Semper enim vincit qui in Christo credit, nec aliquando vincitur qui usque in finem in Christo perseverat.*

9. Urbanus præses dixit: *Multum verbositatem tuam sustinui, ut patientiam meam stans populus cognosceret. Nunc vero secundum meritum tuum omnis hic populus qui te verbosantem audivit meamque patientiam cognovit, omnisque ætas in tuis tormentis timebit, ne aliquis suasus verbis tuis in tali supplicio veniat. Tu autem secundum meritum tuum pœnas lues.* Et adjecit: *Ignite sartagines et corpus ejus frigendo consumite.* Replentur oleo sartagines, et supposito igne non sentiebat

[1] *cod. post corr.* audes; *prius* audies.

calorem. Lassantur ligni cæsores, lassantur flammarum ministri, omniumque crudelitas et virtus tabescit. Videns hoc Urbanus præses, quia oleum non tepesceret, furore diaboli cæcatus jubet eam stipite confixo medio foro capillis suspendi, custodiasque militum positas sic dimitti, ut pendendo exhalaret spiritum. Cumque die penderet ac nocte, prima diei hora undique multitudo populo confluebat, ut cum diabolo dimicantem videret. Tunc beata martyr, videns multitudinem populi, hac doctrina monebat : *Audite me, omnes qui votis meis concordatis, qui puro corde Deum timetis. Convertimini jam a malo et facite bonum, ac recordamini apostolicum dictum : Volo vos sine sollicitudine esse. Sine sollicitudine enim esse poterit, qui nullis laqueis seculi hujus irretitur, sed terrena relinquens semper superiorem suspirat patriam ; qui cogitans eam quæ est mater omnium nostrum, non istam quæ servit cum filiis suis, sed illam quæ gaudet Christo regnante cum sanctis suis. Unde, mi carissimi, actus et gesta sanctorum imitamini. Volo vos scire quid timeatis, immo timendo quid fugiatis : quia nec honor elatus nec divitiæ superfluæ valent de pœnis liberare ; sed duplicem pœnam meretur qui honorem quemlibet a Deo sibi collatum per negligentiam polluit. Unde, carissimi, fugiendum est quidquid contrarium videtur esse saluti, dicente Domino : Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum faciat ? Semper domestica cura contraria est animæ saluti ; quia scriptum est : Inimici hominis domestici ejus. Væ, qui vult dominus dici et super se dominum non habere. Væ, qui vult imperans esse et imperantem sibi Dominum contemnit. Væ, qui se dolere scit et dolenti non condolet. Væ, qui vult saturari et esurienti non porrigit. Væ, qui vult calefieri et nudos non vestit. Væ, qui vult requiescere et alium requiescere non permittit. Væ, qui suum aliquid vendicat, cum omnia a Deo accipiat. Væ, qui possident divitias steriles et sunt sine misericordia, quia nihil eis prosunt, sed potius demergunt in pœnam ; quia cui plus creditur, plus ab illo requiretur. Expedit vos cura seculi expoliatos, supernorum bonorum curam gerere semper. Ille enim lætus et securus vivit qui nihil habet in seculo quod cogitet ; quia scriptum est : Perversæ enim cogitationes separant a Deo. Et iterum : Impedimenta mundi hujus fecerunt nos miseros. Hæc omnia, carissimi, pectori vestro non atramento sed Spiritu sancto scribite. Ista vero verba quæ dico, audientibus proficient ad salutem, non credentibus vero cum Urbano præside erunt in judicio ; quia : Scienti bonum et non facienti peccatum est illi.*

10. Hæc omnia nuntiata sunt Urbano præsidi a quodam sophista paganorum. Hic ingressus ad præsidem, taliter aiebat : *O venerabile caput et rector provinciæ, præses, dum uni puellæ parcis, quam immutare non potes nec valebis, ad ejus doctrinam pene omnes cultores deorum conversi sunt, ita ut veneranda templa multi despiciant. Per hanc ipsorum principum decreta viluerunt. Nam de vobis quid dicam, quorum nec pœnas pertimescit nec blandimenta cognoscit ? Ad contemptum vestrum tantus ad eam populus congregatus est, quantus nec ad principis natalem videri potuit unquam.* Hæc audiens præses, turbatus est ; æstimabat enim eam pendendo fuisse mortuam. Sancta autem Theodosia hilaris et illibato corpore fuit, ut nec cicatrices apparerent vulnerum, cujus corpus sic fuerat dissipatum a lacera-

tione pœnarum. Nam Domini misericordia ut omnibus præbet auxilium, ita suam famulam curavit et refecit, ut omnibus christianis appareret quasi nubes nivea quæ ad velandam Dei famulam præstabat obsequium, ut mirarentur et confunderentur inimici ejus; ut impleretur quod dictum est: *Qui me oderunt, videant et confundantur, quia tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me.* Præses dixit: *Quid faciemus? Vincimur.* Et adjecit: *Exhibeatur.* Adducitur beata martyr læta, hymnum Deo dicens, *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum et non confundebar.* Ex officio dictum est: *Astat Theodosia.* Intuens eam præses ut leo rapiens, vidit speciem virginis hilarem et decoram [1]. Erubescit, terretur, confunditur, obmutescit; tandemque erumpit in voce serpentis et dicit: *O mali milites, qui pro salute principum non doletis injuriam quam patimur. Quid istam largioribus epulis et potu nutristis, et præmio corrupti eam de pœna deposuistis, et vulneribus ejus medicinam adhibuistis?* Hæc audiens beata Theodosia, subridens ait: *Vere scriptum est: Homo in honore cum esset, non intellexit. Et iterum: Obcæcatum est insipiens cor eorum, sicut Urbanum præsidem agnosco. Cui cum assimilabo, nisi jumentis insipientibus, quibus non est intellectus?*

11. Audiens præses, dixit: *Suspendatur in equuleo, et ungulis dorsum ejus et ventrem aperite. De sale vero et aceto acido [2] confricate eam. Aut ista prævalebit loquendo, aut ego torquendo. Natalibus ejus quibus usque modo peperci, jam non parcam.* Suspenditur, torquetur, ungulis dissipatur; nec sentiebat penitus dolorem, quia anima ejus tota in corona pendebat. Amor Christi vim pœnarum superabat. Tunc beata Theodosia dixit: *Ecce jam in altioribus degens deos vestros et principes vestros despicio, et, conculcato jam capite serpentis, vos etiam ipsos sub pedibus meis habens, triumpho in Christi victoria. Pœnis vero quas mihi inferre videris, delector. Solum hoc timeo, ne fingas te misereri. Asperitas tua optabilior est, misericordia tua falsa contraria est Exurge ergo, Urbane, iniquitas pessima; incumbe, calamitas nequissima; nihil meum de prandio mihi parato ferculum fraudes. Dum enim acrius tormentis infirmor, tunc valde potens sum. Cum a te acrius torqueor, tunc a Domino meo dulcius reficior. Tunc vero lascescor [3], cum tu a pœna cessas. Excogita, crudelissime, si qua super has pœnas tormenta agere poteris. Videbis te victum, dum torquere me jubes; me autem in omnibus lætam reddes, quando sic irasceris. Attende, miser, considera, infelix; attende et erubesce. Modo membra mea torquere et corpus meum dissipare fecisti. Ecce jam manus carnificum a me cessaverunt, et sanitas Christi mihi successit. Aspice, crudelissime, et considera diligenter vel si aliqua cicatrix super me paret, aut si aliquid livoris est in corpore meo. Non enim potest serpens in petra Christi vestigium facere, quæ Christo est consecrata. Oculis tuis incredulis vide quia torqueor et non deficio, licet omnibus pateat quia tu non eras meritus cognoscere sanitatem meam. Tu autem iracundia conturbaris; ego vero in nomine Domini mei Jesu Christi nihil sentio nec patior mali. Unde cognosce me, si vis, in ipso præsumentem et ei hymnum laudis lætam dicentem: Si consistat adversus me prælium, non timebit cor meum.*

[1] *cod.* decoram. — [2] *cod.* jucido. — [3] *sic, pro* lacessor? *aut* lassescor?

12. Urbanus præses dixit : *Deponatur de catasta et per omnes artus membrorum vinculis ferreis oneretur, ut plus penset pœna quam caro ejus, ut in his pœnis deficiens crudeliter exspiret. Interim recludatur in custodia semota et ab omni luce aliena. Nullus cum ea de vinctis recludatur, nec alicujus solatio relevetur vel confortetur.* Fit præceptum præsidis, vincula ferrea præparantur, oneratur martyr vinculis et gravescit. Tunc beata Theodosia, aspiciens in cœlum, dixit : *Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos, Dominus diligit justos.* Hæc ea dicente, disrupta sunt universa vincula illa, et sic minutatim redacta sunt ut ferrum quod fuerat in ea positum non pareret. Et iterum ait : *Laqueus contritus est, et ego per Dominum liberata sum. Adjutorium meum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.* Postmodum recluditur in carcere. Eadem nocte venit chorus virginum ubi erat martyr reclusa, dantesque claviculario præmium deprecabantur ut earum [1] permitteret martyri solatio relevari. Cumque impetrassent et ingressæ fuissent, quam æstimabant defecisse in vinculis, invenerunt in Dei laudibus exultantem, et ubi putabant tenebras, invenerunt lucem magnam et martyrem hymnum Deo dicentem. Istam namque modulationem canebat : *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine.* Et iterum : *Sicut tenebræ ejus ita et lumen ejus, quia tu possedisti renes meos.* Et iterum : *Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextra tua.* Et beata Theodosia videns eas, læta in Domino dixit : *Adducentur regi virgines post eam ; proximæ meæ adductæ sunt mihi in lætitia et exultatione.*

13. Et orans cum eis, cœpit de perpetua castitate monere illas, dicens : *O mihi consortes in Christo sorores, hereditariam vobis doctrinam relinquam, posteritatique meæ magnum fabricans nomen. Nunc ergo, sanctæ sorores in Christo, viriliter agite, et confortetur cor vestrum. Via angusta est a vobis tenenda, deliciarum vobis fugienda sunt opprobria. Corpus quod pro Christo mortificare debetis, nolite fovendo nutrire, hoc scientes quia interitus carnis salus est mentis, et quoties exterior corrumpitur homo, interior renovatur. Seculi deliciæ corruptio est castitatis, quia vinum et adolescentia duplex est flamma. Quod ut fugiatis, moneo. Studete jejuniis et vigiliis sanctis. Vigilia bona a peccato mundat animam. Vultus virorum sic attendite quasi imaginem Domini Jesu Christi. Faciem viri non recordemini, nisi in oratione pura, non in desiderio turpi, ne idolum faciatis in animabus vestris. Neminem superflue diligatis, nisi singulariter Christum. In domiciliis vestris frequenter viros nolite permittere. Circatores etiam et importunos caute fugite. Si infirmatur aliquis ex vobis, orationem sanctam postulet, non faciem viri desideret. Carissimæ sorores, domus matronarum nolite assiduare. Virgo enim quæ hæc agit, odibilis est Christo, et quæ* [2] *terrenas nuptias videre delectatur, thalamum Christi, sponsi sui, non cito ingreditur. In ecclesia Dei cum tremore et timore state. Oculi vestri sint intendentes in cœlum et aures audientes præcepta Dominica. Fabulas seculares fugite ut pestem ; corrumpunt enim mores bonos colloquia mala. Vultus sacerdotum vel levitarum cum timore aspicite, hoc scientes quia amator*

[1] *sic videtur legendum pro* eas. *Nisi mox legendum sit* martyris. — [2] *cod.* qui.

castitatis habitat in honestis vultibus. Vocem lectoris suavem non delectemini. ne corrumpantur mores vestri. Nihil enim prodest virginitas carnis, ubi operatur corruptio mentis : quia revera non potest caro corrumpi, nisi mens ante fuerit corrupta. Sicut enim tinea vestimentum et vermis lignum corrumpit et devorat, sic cogitatio turpis maculat animam et eam sinceram esse non sinit. Ante omnia fugite secularium participationem. Sponsus autem noster et Dominus zelotis est. Sint in vobis honesti mores, tolerantia et humilitas, dilectio Dei et proximi. His enim et talibus ornamentis castitas adornatur. Exiens autem hinc talis anima de seculo, occurrunt ei angeli et archangeli, cum patriarchis prophetæ, apostoli cum martyribus, mater Domini nostri Jesu Christi, gloriosissima virgo Maria, cum omni choro virginum, et suscepta ab eis eorumque consortio sociata perpetua lætitia lætabitur. Hæc vobis, sanctæ virgines, sufficiant, et omni fraternitate de poculo sanctæ doctrinæ quo Domino Jesu Christo donante potastis alios irrigate. Videte ne thesaurum vobis creditum terræ abscondatis. Transeunt dies persecutionis et tribulationis : succedunt dies lætitiæ et fiduciæ, in quibus istud testamentum meum heredibus meis pandatis. Modo autem sit repositum in cordibus vestris firmiter.

14. Et hæc dicens, orans et commendans eas Domino, dixit : *Deus, qui antequam essem scisti me ad hunc agonem esse futuram ; Deus, qui donasti ut sim quod sum, cujus amore dereliqui quod fui, cujus virtute ego firmata sum, et omnium ad te clamantium ora et in te sperantium corda confirmantur, cujus spiritu maritata fecundor, tu istas omnes tua sapientia sanctifica, tua virtute corrobora. Tu ab eis incentiva carnis extingue. Moriantur in eis vitia carnalia et effugiantur cogitationes pravæ et delectationes, quæque adversus animam militant et per quæ* [1] *merguntur animæ in infernum. Non iracundia præcipitet in crimine aut odium aut vindicta, non zelus comedat, non livor nec superbia earum conscientias aut opera obfuscet. Lampades harum conversationum in conspectu tuo luceant in perpetuum, et hic sint igne tui amoris accensæ ut, castitatem et humilitatem mentis et corporis custodientes thalamum illum æternum quem diligentibus te promisisti cum gaudio et lætitia cœlesti ingredi mereantur.* Cumque omnes respondissent *Amen,* motus est locus in quo erant et omnibus audientibus vox intonuit, dicens : *Theodosia, Theodosia, Spiritus Domini super te. Dimitte eas in pace. Prope est enim ut agone consummato ad me venias, quem tota mente dilexisti et diligis. Te qui imitatus fuerit, sicut tu mihi dilectus erit et carus.* Et hæc verba cum ceteris virginibus audiens beata Theodosia, dans omnibus pacem lætas dimisit ambulare.

15. Lucescente vero die, jubet beatam Theodosiam infelicissimus præses præsentari aspectibus suis. Vidensque eam dixit : *Diu incredula mente vixisti, nec te exhortatio mea potuit convertere nec tormenta mutare. Pro qua re, ut digna es, jubeo te ligato saxo in mare præcipitari, ut in terris caro tua*

[1] *cod.* quem.

non habent sepulturam. Beata Theodosia respondit : *Impudorate canis rabide, fac voluntatem patris tui diaboli, qui te mittit contra me, cujus armis. tu jam armatus es. Cognosce etiam quia si bis hoc feceris, videbis me celeriter ad terras remeare, per virtutem Domini mei Jesu Christi, antequam remiges tui ad te revertantur, in quorum fortitudine tu confidis. Illi enim lascivia sua celeumantes ad te revertentur. Ego autem cum angelico choro, Christo gubernante navigium castitatis meæ, Alleluia dicendo ad portum salutis revertar ad terras. Et ne tu glorieris ancillam Christi posse superare, immo ipsum Dominum Christum me gubernantem, hic in mea provincia dignam habebo sepulturam.* Urbanus præses dixit : *Et si hoc contigerit quod dicis, gladio te animadverti faciam, aut forsitan sic vivam te igni cremare præcipio et pulveres tuos a ventis dispergi facio, ut vel sic finem ponam magicis artibus quæ a te committuntur. Noli enim putare ut corpus tuum odoramentis et aromatibus conditum posteritati tuæ adorandum relinquam.* Sancta Theodosia respondit : *Hoc scito, pestifer, quia quidquid feceris, Dominus meus Jesus Christus, qui me de limo terræ formavit, de corpore meo nec capillum perire permittit. Et pulveres meos potest colligere et illa die astabo tibi, judicans te. Nam sic credo in Domino Christo quia non tibi datur potestas in corpore meo sic facere.* Urbanus præses furore commotus dixit : *Armetur navigium remigesque veloces superimponite, et rebellem quoque regum vel principum, quæ etiam nobis tantum contumax fuit, in angustum æronem*[1] *coartate et saxum gravissimum ad collum ejus ligate, per quod melius possit in altitudinem pelagi demergi.* Statimque fit jussio præsidis. Obscurato quoque littore, præcipitatur in mare. Sancta quoque Theodosia suscipitur ab angelo et ita læta[2] residens, super undas sicut ante prædixerat, ad terras cum *Alleluia* reducitur ab angelis et ne hominibus phantasma videretur esse, saxum immane quod ei in collum suspenderant secum in manibus reportavit ad terras, exultans et dicens : *Cantemus Domino ; gloriose enim honorificatus est.* Et iterum : *Virtus Domini statuit aquas quasi in utre. Timeat Dominum omnis terra.* Et cunctis se videntibus ait : *Ite, nuntiate præsidi Urbano quia ego Theodosia ecce assum, martyrii mei cursum consummare desiderans. Cognoscat quia venti et maria et cuncta quæ in eis sunt, Christo Domino obediunt. Super hæc enim quæ jam in me egit excogitet aliquid, si valet. Si autem non potest, erubescat et victum se esse agnoscat, et confiteatur et intelligat quantum potest Deus auxiliari christianorum in se credentibus.*

16. Nuntiatur vero præsidi hoc factum mirabile. Audiensque hæc fremuit vehementer, sicut de talibus scriptum est : *Dentibus suis fremet et tabescet.* Et recte fremebat et tabescebat is cujus desiderium perierat. Jubetque ministris eam comprehendi, dicens : *Jam omnes victi sumus. Recludatur in carcerem.* Jubetque ad se vocari magistratus civitatis, et præcepit amphitheatrum præparare et omne genus ferarum in ipsum congregari et a venatoribus laxari.

[1] *cod.* heronem. — [2] ita læta *in cod. scribitur bis, hic ante* ne hominibus.

Et ita ipsæ exacerbatæ sunt ut se ipsas non cognoscerent. Adhuc autem nondum dies illuxerat, et spectaculum impletur populo, viris ac mulieribus, et sicut superius contexuimus, nullam matronam nobilem mariti timor retinuit, nullam virginem parentum terror vel verecundia prohibente domi remansit, oblitæque quod fuerant, ad spectaculum currebant. Quid multa vero dicendo longius protraham? Sedit pro tribunali præses; jubet coram se feras ventilari et a venatoribus exacerbari. Rugiebat leo vehementer; vacca ferocissima cornibus suis terram ventilabat; subsequebatur et taurus mugitu terribilis; leopardus et thagala levitatis suæ signa monstrantes. Aper quoque silvestris dentibus stridebat; ursorum quoque impetus non tolerabatur. Cumque hæc omnia fuissent parata, introducitur beata Theodosia, semper in Christo vincens, secumque palmam victoriæ gestans. Vidensque tantam multitudinem ferarum, vexillo crucis armat pectus et frontem. Videntesque eam feræ, omnes siluerunt et a ferocitate conticuerunt. Tunc expectante omni populo, sic omnes allocuta est, dicens : *Nunc videbitis quantum omnipotens est Deus christianorum; nunc cognoscetis quantum possit qui puro corde diligit Deum. Nunc vero intelligetis quia dæmonia sunt idola quæ Urbanus colit et principes ejus. Istas omnes feras invocato Christi nomine signumque ejus gestans mitigavi. Urbanus vero nec virtutibus Dei compungitur nec tanta mirabilia videns erubescit.* Et hæc dicens, ait ad feras : *Christus Jesus, Dominus meus, qui vos nasci præcepit, ipse vos mitigavit ad ipsius gloriam et fidelium fidem corroborandam, ut Urbanus et omnes consortes ejus erubescant. Singulæ accedite, et pedes meos adorate, dantes gloriam Deo, ut impleatur quod scriptum est : Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Accedebat leo deposita ferocitate, conversus in ovem subpeditabat. Ursus cervice declinata Dei famulam adorabat. Similiter et vacca ferocissima cum tauro oblita est a venatore gladium in capite gestare. Quid multa dicam ? Omnes bestiæ quæ ibidem erant, subjectæ Dei famulam, beatam Theodosiam, adorabant. Tunc illa præcepit eis ut unaquæque earum sua voce Deum laudaret. Tunc aspiciens leo et leopardus cum ceteris, exiliens in tribunal præsidis, expectabant ut eis juberetur a beata Theodosia ut judicem iniquitatis devorarent. Quibus beata Theodosia ait : *In nomine Domini mei Jesu Christi præcipio vobis ne eum tangatis nec penitus lædatis. Nos enim malum pro malo non reddimus. Sufficit enim pœna quam Deus præparavit diabolo, patri eorum, cujus opera ipsi exercent, et cujus voluntatem in christianis affligendis ipsi perficiunt.* Hanc jussionem audientes feræ, neminem lædentes unde exierant reversæ sunt.

17. Hæc videntes universi, fit clamor immanius in populo : *O justitia, o veritas, unus Deus Dominus Jesus Christus quem Theodosia colit. O cæca mens judicis qui tantis virtutibus visis nec credit nec erubescit. Vere Deus est Christus, Filius Dei vivi; vere magnus est Deus christianorum.* Tunc videns se Urbanus præses in omnibus superatum et victum fuisse, commotus exclamabat, dicens : *Heu me, heu me, quia victus sum ab hac puella, juvencula, verbosa et præsumptrice.* Tunc jubet eam ministris suis gladio puniri. Tunc beata Theodosia

videns carnificem gladio evaginato paratum astare, petiit paulolum inducias orandi; in quibus ad cœlum beatis oculis erectis ac sanctis manibus extensis, ait : *Gloriam laudis offero tibi, Deus æterne, rex immortalis, qui mihi ingenuitatis meæ constantiam firmasti. Tibi gratias refero, amator puræ conscientiæ. Tu enim nosti, Domine, gubernator meus, quia ex ea die qua te in baptismo salutis accepi defensorem usque in hanc diem fidei meæ stolam non cogitatu, non facto unquam maculavi; sed semper tuus amor meum pectus inflammabat, semper die ac nocte qua nosti caritate te amplectebar. Per diem tecum fuit confabulatio mea; per noctem tuam visitationem expectabam. Tu nosti, dominator omnipotens, quia faciem viri non desideravi, sed ea moderationis gesta diligere concupivi quæ tibi placent per opera bona. Super tuum amorem nec osculum patris accepi nec ipsorum affinium meorum faciem libenter attendi. In lege tua die ac nocte meditata sum. Dulcia sunt eloquia tua faucibus meis super mel et favum. Tu solus, misericors Christus, Deus immortalis, cordis mei arcana cognoscis, qui et virginitatem meam tuo regimine sinceram in tuo amore servasti, qui per Spiritum sanctum in me regnare fecisti, qui me omni loco, omni tempore vitæ meæ sub tegmine tuæ protectionis custodire dignatus es. Adesto mihi nunc in confessione nominis tui et suscipe spiritum meum in tua pace perpetua, qui semper cum Spiritu sancto vivis et regnas in secula seculorum. Amen.* Et hæc dicens, gladio capite cæso, obdormivit in pace. Statimque terræ motus factus est magnus, ita ut fundamenta ipsius amphitheatri moverentur; omnibusque audientibus vox de cœlo intonuit, dicens : *Veni, Theodosia carissima mihi, repausa post tantos labores. Veni, dilectissima, ingredere in gaudium sponsi tui, percipe promissa Domini tui. Præsto sunt enim angeli et archangeli, qui te suscipiant. Cursum bene cucurristi, fidem mihi servasti : recipe modo centesimi fructus, coronam justitiæ; quia ego sum qui certantibus et vincentibus do præmii palmam et derelinquentibus hunc mundum propter nomen meum hereditatem æternam.* Hæc omnibus audientibus de cœlo dicta sunt. Et cum se levare vellet judex de amphitheatro pleno populo, omnibus videntibus nec non etiam Urbano indignissimo aspiciente visa est de ore sanctæ martyris Theodosiæ columba exiens, quasi aureo splendore pulchrior, ad cœlos conscendere. Qui omnes hæc mirabilia videntes, Deum magnificabant. Multorum fides in Christo firmata crescebat, replebantque universi amphitheatrum linteaminibus dignis. Omnes enim ad sepulturam sanctæ martyris quod dignum habebant jactabant, ne cruor tantæ virtutis ad terram distillaret. Et sic in pace consummavit martyrium suum. Hæc omnia gesta sunt in civitate Cæsareæ Palæstinæ. Sancta vero Theodosia dominica die complevit martyrium suum, tertio Nonas Aprilis.

18. Ceteros autem confessores quorum causam audire noluit præses, jussit ad metalla æris in Palæstina tradi exilio, nihil tormentorum adhibens eis. Quos Dominus pro sua pietate diu laborare non passus est, sed eos Dominus in oratione Dominica constitutos sine tormentis per confessionis palmam, veluti promisit, in pace suscepit. Parentes vero Theodosiæ cum omnibus christianis sepelierunt corpus ejus sepultura qua digna erat in pace. Et cum sepul-

turæ traderetur corpus pretiosum, omnibus psallentibus audita est vox de cœlo, dicens : *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus ;* et : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Currite dum tempus habetis : regna cœlorum patent, et intrare nemo contendit in ea.* Ea itaque nocte apparuit parentibus suis in visu cum magno choro virginum et martyrum, inter quas et ipsa erat nivea cyclade induta, crucemque auream in manibus portans et coronam in capite gestans ; et sic patrem et matrem alloquitur, dicens : *Ecce qualis est gloria unde me fraudare volebatis. Ecce quid meretur qui ex toto corde mundum relinquit et parentes plus quam Christum non diligit, sed omnibus relictis et conculcatis Christum sequitur. Quapropter moneo vos : agite pœnitentiam et convertimini ad Deum ex toto corde vestro. Ego enim orabo pro vobis et interpellam pro salute vestra regem sempiternum, Dominum Jesum Christum, cui Pater omne judicium et potestatem tradidit, et ipse miserebitur vestri. Facultates vestras, quas mihi in seculo promittebatis vendite, et date pauperibus, et eas in cœlum ante vos dirigite. Et vos, si hæc geritis, cito eas secuturi estis, ut ubi est filia vestra ibi sit et thesaurus vester et, quod maximum est, ut animæ vestræ ibi exultent sine fine perpetua jocunditate, adjuvante ipso Domino nostro Jesu Christo.*

DE SS. EUGENIO ET MACARIO. (Cfr. supra, pag. 156, 124°.)

Passio sanctorum Macharii et Eugenii.

1. Sanctorum martyrum Macharii et Eugenii festa agimus, qui passionis coronam Juliano impugnante meruerunt. Quibus et ait : *Quid est, Eugeni ? Quousque patiar vos ?* Eugenius respondit : *Quod adversum nos iratus cogitas, moliris pro nostra utilitate facturus. Omnis tua recedat improbitas, et desine ad sacrificium cogere quos scis ad hoc non posse perduci. Non patimur enim te agere vel impetrare quod postulas.* Julianus dixit : *Vobiscum aliter agendum est.* Et confestim jussit vincula deputari et inter binarum columnarum spatia extensis eos pendere visceribus, brachiisque porrectis omne onus corporis sustinere, tenuissimisque funibus violenter astrictis pedes eorum præcidi potius quam ligari. Tunc fenum allatum est ignisque, et suppositum fumum præstabat potius quam calorem. Sic enim carnificis voluntas insana cupiebat, ut per longiora supplicia lacessiti suæ consentirent voluntati. Pependerunt itaque horis amplius quam duabus. Cum autem totus contra vultum eorum fumus et omnis vis esset incendii, tunc Julianus scelesto ore proclamat : *Quid est, Eugeni*[1] *? Placet vobis hæc perferre tormenta ?* Eugenius respondit : *Diabole, propter hæc agere festinas, ne extinguatur in te unquam flamma illa perpetua.* His dictis, fumus abscessit et omne fugit incendium.

2. Tunc ad se eos jussit duci, dicens : *Fratres, doleo pro vobis.* Eugenius ait : *Non pro nobis, sed pro te tibi fundendæ sunt lacrimæ, quia funditus interisti,*

[1] *cod.* Eugenii.

relinquens omnipotentem Dominum, et portenta formidas quæ homo fecit; quæ nec vestras injurias et suum possunt vindicare contemptum. Julianus dixit: *Novum vobis doloris tormentum inveniam.* Eugenius respondit: *Si quid agis, maturius agere festina.* Julianus igitur craticulam jussit afferri oleumque infundi, ut apposito igne vis incendii major exiret et crepitantibus flammis tenerum corpus excussa altius scintilla penetraret. Tunc dixit Eugenio: *Nec istius pœnæ incommoda pertimescis?* Eugenius respondit: *Expecta, diabole, quia flamma tua nulla est.* Julianus dixit: *Accede igitur et sacrifica.* Eugenius dixit: *Tu, Domine Deus omnipotens cœli et terræ, firmam nobis usque in finem concede virtutem.* Et fronti suæ signaculum sanctæ crucis imprimens, craticulam lætus insiluit, stetitque in ea per duas horas intrepidus.

3. Tunc Julianus, incredibili admiratione permotus: *Descende jam,* clamavit Eugenio; *ferrea sunt forte tua vestigia.* Et dixit Machario: *Accede potius tu ad craticulam.* Tunc Macharius ascendit, et in craticula per tres horas deambulans ipsius etiam Juliani obstupefecit aspectum; descendensque e sella respiciebat ne quis dolus fuisset in flamma. Cui ait Macharius: *Quid oculis intueris? Manu vel leviter attinge, et intelliges in te valere ignem, quem*[1] *fides mitigat christiana.* Julianus igitur attingens manu, mox abstulit, et ait Machario: *Relinque jam ignem et flammam, quam, ut video, fortiter contemnis.*

4. Tunc craticulas jussit auferri, et a sua sede discedens, ad genua se martyrum cum lacrimis provolvit, dicens: *Aspiciens vos, doleo tanta per me fuisse perpessos.* Et confestim centum libras auri et decem argenti jubet festinus afferri, eaque omnia cum XL agris se eis donare mentitur. Quibus visis, Eugenius respondit: *Hæc frustra numerantur; munere enim tentari posse nos speras. Lapis deus fieri te persuadente non poterit. Si autem putas aliquid potestatis in his esse simulacris, petra illa os aperiat et loquatur, et tunc scimus si possunt sentire aliquid vel proferre.* Julianus dixit: *Omnibus non loquuntur.* Eugenius respondit: *Et, diabole, facturos nos putas esse quod suades, ut accipiamus imbecillem fragilemque substantiam et animam nostram, qua nobis nil carius est, perdamus? Nudi nati sumus, nudos oportet ab hac mundi luce discedere; ideoque nullam substantiam nobiscum ferre possumus, sed hic relinquenda sunt omnia cum terra pariter arsura.*

5. Julianus dixit: *Multum nos contemnis; ignarus enim es.* Statimque jubet ministris ut exhiberent tres viperas. Quæ cum afferrentur in medium, dixit Julianus Marsis: *Quomodo excitari possunt acrius ad furorem?* Marsi responderunt ferventi eas aqua perfundi. Quod cum factum fuisset, bestia subito furibunda processit ac se in circulum collegit. Et cum affuisset Eugenius, totum corpus ejus amplexa est, et os suum ori sancti martyris vinxit, quædam muta deprecationis blandimenta significans. Et mox aliam viperam Machario præparavit, perfusam similiter pice et aqua calida. Quæ statim cucurrit ad regem. Quam timens Julianus, mox effugit. Quæ reversa, sancti Macharii vestigia lambebat, et omnia ejus membra

[1] *cod.* quam.

complectens, procubuit ad pedes ejus, ostendens in ipso motu corporis se veniam postulare. Jubente postmodum rege, auferuntur illa animalia.

6. Cumque rubore confusus, rationem qua eos vinceret invenire non posset, ait: *Non facio illa quæ optatis.* Eugenius respondit: *Quare nos punire non festinas?* Julianus igitur mox jussit afferri catenas et eis affigi usque ad ultima interna nervorum eaque ipsa vincula astricta corporibus plumbo insidente signari, ne servatore parcente exutis paulisper in occulto catenis vacuum ducerent aliquod tempus a pœna. Tunc protectoribus duobus hos assignat, præcipiens eis ne ullum quidem ad colloquium eorum permitterent christianum, Mauritaniæque eos religavit exilio. Illi postmodum pervagantes ad civitatem Gildonam, ubi nullus est cultus mundus, pervenerunt. Ubi pervincti sunt perpetua caligine tenebrarum, quoniam mens hominum totius humanitatis ignara misericordiam Dei nec noverat nec timebat.

7. His itaque ex improviso incolæ ejus civitatis aspectis, mirantes clamabant dicentes: *Ubi nati sunt isti angeli, aut unde venerunt?* Eugenius respondit: *Ut audio, vobis est Dei ignota majestas.* Dicunt ei: *Nobis Deus qui sit ignotus est.* Eugenius ait: *Vel sero cognoscite.* Tunc omnes secuti sunt eos usque ad montem ad quem fuerant destinati. Qui mons XVIII millia passuum in immensam altitudinem parietis more consurgens, repere magis ad cacumen suum hominem quam ascendere patiebatur. Cumque jugi labore vix ad ejus summa perventum fuisset, lapides cerneres vicino solis ardore combustos, et per omne illud latus montis carbonum calore fuscata saxa ipsa nigrescere.

8. Tunc Gildonienses causa admirationis exclamabant, dicentes: *Habitat hic draco, eo paratior ad nocendum quod famelicam rabiem ad occursum numerosi populi pandens omnes ad se venientes devorare perhibetur.* Sanctus Eugenius respondit: *Utinam eum nobis Deus offerre dignetur. Erit enim occasio quo credatis.* Et cum ventum fuisset ad locum, mons fragore commotus est: de cujus abdito hiatu processit draco, habens in mensura longitudinis cubitos XL, in circumflexione XXX, per caput IIIIor, ex cujus oculis, ore vel naribus magna vis exibat incendii. Quo Eugenius subito conspecto, sic orare cœpit ad Dominum: *Deus, qui illum nostris oculis obtulistis, cito mitte fulmen quo pereat.* Et facto mox tonitruo cœlestis flamma descendit, et ita draconem consumpsit, ita ut nec cinis quidem vel favillæ alicujus reliquiæ restarent. Tunc ad speluncam saxeam illius draconis accedunt, quæ spatii centum cubitos continebat, ibique VIII diebus somno membra laxarunt. Tunc dixit Eugenius: *Nescio quid de diabolo illo mens mea expectat.* Et visa est subito stella de cœlo ab Oriente descendens: et lucem solitam longo tractu crinito[1] agmine ducens, ad terram cum propria luce defluxit; et ita signum quod Eugenius dixerat approbatum est. Omnia enim ante mortem Juliani futura memorabat.

9. Transactis itaque XXXta duobus diebus in eo monte, amoti ab hominum conversatione et ab ipsarum etiam avium solatio[2] subtracti, sine panis præsidio, habentes vix solum aquæ potum, immanibus feris, pardis vel leonibus jungeban-

[1] *corr.* criniato. — [2] *cod.* solatium.

tur; quæ tamen quotidie eorum supplices pedibus accubabant. Cumque hæc et alia Eugenius perspexisset animalia, ait : *Adhuc aliquid novi nos quod non meremur expectat.* Et subito media nocte aer purus effulsit, quasi meridie sereno sole monstratur, et apertum est de quatuor partibus in circuitu rotæ quasi quoddam medium lumen per cujus undique circulum XII lapides grato igne fulgebant. Quæ rota super lapidem venit eumque medium fregit, et per scissuram ruinæ illius salientis aquæ fluvius immanis emersit, et vox subito resonabat : *Accedite ad aquam ; potate securi, et vitam habetote perpetuam.* Gustata itaque illa aqua, nec famem nec sitim postea pertulerunt. Tunc omnes feræ cum summa festinatione pergentes ad aquam illam, biberunt, et statim feritate deposita potentiaque poculi mansueta facta, amiserunt omnem naturæ prioris horrorem. His omnibus factis, oravit Eugenius, dicens : *Domine omnipotens, Jesu Christe, glorificetur nomen tuum a cunctis. Tecum esse oramus in perpetuum, in signo Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.*

IX. Codex signatus n° 219-221.

Codex foliorum 294 (præter tria insiticia in capite, quibus inscriptus est totius codicis index), formæ majoris ($0^m,42 \times 0,315$), columnis binis, non una manu exaratus seculo XV.

Tituli minio scripti (etiam in indice), litteræ initiales satis magnæ, rubræ vel ceruleæ, quædam ornamentis et coloribus variis insignes (1). At præcipue hic notandum venit folium 105^r, ubi incipit Vita S. Henrici imperatoris. Totam hujus paginæ marginem, in parte inferiori non minus centimetris septem, in exteriori fere quinque latam, complent foliorum volutæ, quibus et rami foliis viridantes et floribus ac fructibus onusti atque omnis generis aves intermixti exhibentur ; quæ omnia audaci ac perita manu designata et variis coloribus, aspersis etiam punctis aureis, ad vivum repræsentata sunt. Nec minus elegans tum figurarum lineamentis tum varietate tincturæ littera initialis S, foliorum etiam volutis circumcincta et scutello aureo imposita, et ipsa ad amplitudinem septem centimetrorum dilatata. Præter hæc cernitur in parte superiori paginæ tabella inferius quadrata, fornicata superius, et tum altitudine tum latitudine ad amplius viginti centimetra porrecta, in qua vividis coloribus et auro depicti cernuntur S. Henricus et ejus conjux Sta Cunegundis throno insidentes et aulicis utriusque sexus circumdati, cum duobus clericis hinc inde genuflexis et angelo supra volitante fasciolas proferentibus, sine ulla tamen inscriptione. Totam tabellam circumplectitur tæniola aurea, itemque altera interiorem marginis terminum (præter superiorem), quæ et inter duas

(1) Fol. 1^r, 41^r, 60^r, 80^v, 96^v, 140^r, 147^r, 198^r, 216^r, et præsertim 224^v, 241^r, 252^r.

scriptionis columnas inflectitur. — Paulo inferius quoque (fol. 111r) simili fere modo ornatæ (aliquanto tamen modestius) conspiciuntur littera initialis et fascia quæ per totam marginem inferiorem et præterea supra et infra priorem columnam decurrit.

Codicem exaratum fuisse in monasterio Viridivallensi *(Groenendael)* in silva Soniensi prope Bruxellas, constat ex nota minio scripta quæ legitur folio 224r, post sermones de S. Dionysio et sociis ejus, his verbis concepta : *Notandum quod feria tercia post festum S. Dionysii semper est dedicatio ecclesie monasterii nostri Viridivallensis in Zonia.*

Continet autem codex sermones et homilias in festis sanctorum per totum anni decursum legenda, inter quæ ad rem nostram magis pertinent quæ jam indicantur.

1° De inventione sanctæ Crucis (fol. 48v-50v).

Desumptum ex Actis apocryphis S. Judæ Quiriaci editis in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, pp. 445 sqq., scilicet num. 3 inde ab his verbis : *Perrexit autem Helena ad Hierosolymam,* ac num. 4-14.

2° Quomodo Constantinus adeptus est victoriam per signum sanctæ Crucis (fol. 50v-51r).

Narratio edita in *Anal. Boll.*, tom. II, pp. 282, 283.

3° Passio SS. apostolorum Petri et Pauli ab Egesippo hystoriographo egregio descripta (fol. 77v-78v).

Fragmentum Passionis editæ in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 238-240. — Incipit : *Erant tunc temporis Romæ* (tom. cit., p. 239, col. 1, lin. 24). Desinit : *Alter gladio necati sunt* (p. 240, col. 1, lin. ultima).

4° De translatione sancti Benedicti abbatis (fol. 95r-96v).

Fragmentum historiæ translationis SS. Benedicti et Scholasticæ in Galliam, auctore Adalberto, editæ in *Act. SS.*, ad d. 21 Martii, tom. III, p. 302, scilicet numm. 1-6.

5° Vita S. Henrici imperatoris et confessoris (fol. 104v-111r).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Julii, tom. III, p. 754-763. — Sed in cod. omm. numm. 9-21 ac prima phrasis num. 22 *(Hæc-stylum vertamus)*, item ultima phrasis num. 27 *(Et si quis...)*, item numm. 28-30, item ultima pars num. 32, scilicet ab his verbis : *Sub eisdem diebus basilicam.*

Vitæ continuo annectuntur Miracula edita tom. cit., p. 764-766, num. 1-10.

Tandem in cod. Vitæ præponitur hic prologus :

Si beatorum tantummodo spirituum qui ceteris ejusdem naturæ ruentibus a via minime declinaverunt veritatis, exempla nobis imitanda proponerentur, nos excusabiles in Deo serviendo, imo vix obtemperare Domino posse cœlesti

causari forsitan quis posset, utpote carnis ad terrena deprimentis alligatos compressosque vinculis, cum illi, tum quia spiritus, nullo carnis circumdati pondere, tum quia Patris utique cœlestis faciem non per intervalla verum omnibus et singulis sub momentis, sacerrimo protestante Salvatoris eloquio, contuentes, in quo summam consistere beatitudinem nemo qui abnuat, ad perperam agendum minime inclinentur. Sed providentissima, sapientissima, immo benignissima Dei providentia, sapientia ac clementia nostræ consortes naturæ, quatinus quævis de medio tolleretur excusatoria pravorum cavillatio, prævidit, providit atque tandem exhibuit imitandos, patriarcharum misericordiam, prophetarum fervorem, apostolorum sanctitatem, martyrum constantiam, confessorum devotionem, nitidam virginum puritatem nobis velut in mensa proponens, quo quemadmodum illi, ita nos quoque, in similia propositis præparando, Domino gratum posse debereque offerre sacrificium evidentissime demonstraret. Ast, quod majori cuivis esse valeat admirationi, etiam palatinos, immo palatinorum dominos ita suo famulatos esse Creatori vix aliquem ratione vigentem latere credimus, ut, si nulla etiam ceterorum sanctissimorum probæ derelicta vitæ fuissent monumenta, ad singulorum accendendos ipsa sufficere animos sole clarius appareat. Nam divitiarum, deliciarum et honorum plurimum a Dei retractivorum servitio copia non carentes, minime, ut plerumque fieri, proh * dolor, assolet, a Dominicorum impletione mandatorum, tanquam supernas totis exquirentes nisibus divitias, delicias et honores, amoveri quoquo modo valuerunt. Inter quos præcipuis efferendus est laudibus vir per omnia sanctissimus, imperator Henricus, qui cum omnium perfectiones virtutum non mediocriter possederit, maxime tamen in divini cultus ampliatione, episcopatuum restauratione et de novo fundatione, monasteriorumque constructione, denique in castitatis virginalis cum sanctissima uxore Cunigunde, immo spirituali sorore conservatione, eum divitiis haud suffocatum, immo ad nostri venerationem Salvatoris ampliandam commendabiliter usum, sed neque voluptatibus constat fuisse enervatum. Quæ, quatinus quibusvis probæ vitæ studiosis, utpote boni promotiva plenius innoteant, divinum non desperans affuturum auxilium, ad pro posse prælibati beatissimi vitæ Henrici patefaciendum decursum, calamo simul et atramento minime parcere dulce duxi, quosvis obtestando lectores ob ruditatem aspera in correctionis lenificare runcina, ad ipsius

* *cod.* proch.

utique laudem et gloriam qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

6° Vita S[tæ] Kunegundis virginis, uxoris sancti Henrici imperatoris (fol. 111[r]-112[r]).

Contracta ex Vita edita in *Legenda Aurea*, (ed. Dresdæ et Lipsiæ 1846) p. 905-910.

7° Legenda et vita sanctæ Annæ, matris gloriosæ virginis Mariæ genitricis Dei (fol. 125[v]-126[v]).

Ea legenda easdem fabulas compendiose complectitur quæ fusius referuntur in libello de Vita S[tæ] Annæ auctore Petro Thoma Puglisio (Venitiis 1707). Cfr. *Act. SS.*, ad d. 26 Julii, tom. VI, p. 235, § II.

8° Passio B[tæ] Margaretæ martyris et virginis (fol. 136[v]-140[r]).

Edita nonnullis omissis apud Mombritium, tom. II.

9° Passio B. Magni episcopi et martyris cujus dies est decima nona mensis Augusti (fol. 140[r]-142[r]).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Augusti, tom. III, p. 713-716.

10° Relatio de translatione reliquiarum S. Prothomartyris Stephani ad urbem Constantinopolitanam (fol. 165[v]-167[r]).

Edita apud Surium ad d. 3 Augusti.

11° Miracula quædam de S[ta] Anna, gloriosa genitrice Virginis Mariæ (fol. 290[v]-294[r]).

Horum miraculorum quinque, plus minus compendiose edita sunt in *Act. SS.*, ad. d. 26 Julii (tom. VI), videlicet primum et secundum (tom. cit. p. 261-264, num. 2-16), tertium (p. 268, num. 29-30), octavum (p. 267, num. 27), et decimum (p. 277-278, num. 69-71). Quod vero ad cetera spectat :

Quartum est de clerico cui morituro visa est occurrere B. Anna, propterea quod vivens beatam Virginem matremque ejus crebro salutabat cum angelica salutatione, hoc " superaddens in fine : *Et benedicta sit omni hora venerabilis matrona, tua pia mater Anna, ex qua sine macula processit sacratissima caro tua virginea.* „

Quintum est de quadam Margareta in monasterio degente, quæ singulis diebus in honorem SS. Joachim et Annæ quinquies Pater et Ave recitabat. " Hæc dum ammoneretur discere latinum, quia consorores suæ hortabantur assumere statum monialium propter indulgentias magnas illi ordini annexas, Margareta respondit : *Jam senex sum : addiscere nequeo. Sufficit mihi scire Pater Noster atque Credo.* „ Illis autem instantibus, brevi, ut rogaverat, letaliter ægrotavit. Morti vero proxima, visione vidit sibi occurrentes SS. Joachim et Annam.

Sextum est de viro a febri sanato in profesto S. Annæ.

Septimum de viro servato a naufragii periculo.

Nonum autem est hujusmodi :

Postquam Philippus, dux Burgundiæ, Davantriam ultra Ysselam cum magno exercitu obsedisset anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, Davantrienses Dominum deprecati sunt, ut, si quandoque propter peccata virgam meruissent a Domino, non ab armatis sed aliunde punirentur. Unde et idem dux cum exercitu suo discessit; sed plaga pestilentiæ confestim eos invasit, ita ut multa millia incolarum eodem tempore morerentur. Et ecce in ea tempestate filia cujusdam mulieris hac dira peste infecta graviter infirmabatur. Tunc mater ejus ex hoc plurimum consternata* ad sanctam Annam, cujus imago in eadem civitate habetur, cucurrit, et ipsam cum multo gemitu et fiducia impetrandi pro filia devotissime exoravit. Et ecce statim filia melius habuit mortisque periculum evasit.

* *in marg.* alias contristata.

Undecimum tandem refertur his verbis :

In partibus Brabantiæ apud oppidum Bruxellense est quoddam villagium quod dicitur Ouderghem, habens ecclesiam in honore sanctæ Annæ dedicatam, unde et festivitas sanctæ Annæ celebris est ibidem, cum sit patrona villagii. Ibique in proximo ecclesiæ prædictæ est antiquum monasterium monialium de ordine Prædicatorum. Accidit autem anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo secundo quod præpositus sive gubernator bonorum temporalium ejusdem monasterii, vir laicus et secularis, plus quam decuit circa temporalia sollicitus, immo nimium cupidus, juberet suis mercenariis fenum monasterii de prato super currum in festo sanctæ Annæ domum afferri, parvipendens ejusdem festivitatis celebrationem, cum tamen dominæ priorissæ monasterii plurimum displiceret. Dum ergo currus onustus feno per viam suam progrediens ad monasterium tenderet, ecce divina voluntate ad laudem venerabilis matronæ, sanctæ Annæ, idem currus in terra rigida et sicca subito usque ad axes immergitur, ibique quasi murus immobilis figitur. Accedunt bubulci et alii qui circa hoc opus aggregati fuerant, fenumque deponentes currum exonerant; deinde ad vacuum currum decem equos applicantes ipsum a loco removere satagunt : sed incassum omnia peragunt. Non enim est consilium, non est prudentia contra Dominum. Relinquitur igitur sic currus terræ pulveri innexus usque in diem crastinum : ut qui antea sponte ob honorem sanctæ

Annæ festivare noluerant, jam nunc vel inviti ab incepto opere desistant, utque per divinæ vindictæ flagellum Deum in sanctis suis honorare compellantur, qui hoc supplici devotione ex proprius motibus fecisse debuerant.

X. Codex signatus nº 242-265.

Pergamenus, foliorum 271 (præter tria in capite, quorum unum indicem exhibet totius codicis et *legendorum in refectorio,* alterum ex parte recta tres strophas decem versuum seu quinque distichorum in laudem S. Ambrosii; cetera vacua sunt, sicut et quatuor folia in fine codicis adjecta, nisi quod in ultimo verso legitur nota de scriptoribus codicis, quam infra reperies), formæ majoris (0^{m},385 × 0,27), duplici columna, lineis graphide ductis, exaratus extremo seculo XV et ineunte XVI.

Tituli diversarum partium minio exarati. Non paucæ litteræ initiales satis ornatæ sunt, nec ineleganter, foliorum volutis totam columnæ altitudinem vel majorem ejus partem complectentibus.

Fol. 275^{v} legitur hæc nota: *Liber monasterii Rubeævallis in Zonia juxta Bruxellam. Hoc volumen pro prima et majori parte scripsit frater Hubertus de Wijse, professus in dicto monasterio. Ultimam vero partem complevit frater Cornelius Wischaven, professus etiam in eodem monasterio. Oretur igitur pro ipsis ferventer ex charitate. Item multa in isto volumine scripta sunt festivis diebus. Non venumdetur. Orate, dilectissimi fratres, pro me, fratre Huberto de Wijse, confratre vestro. Anno* XV^c^XLVI, *Januarii* XXVIII.

Codex continet Opera S. Ambrosii, inter quæ notari possunt hæc hagiographica:

1º Incipit relatio sancti Ambrosii, episcopi æcclesiæ sanctæ eximii, de passione sanctæ Agnetis virginis (fol. 194^{v}-196^{v}),

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Januarii, tom. II, p. 351-354.

2º Liber beati Ambrosii episcopi de excessu fratris sui Satiri (fol. 257^{v}-262^{r}).

Editus in *Act. SS.*, ad d. 17 Septemb., tom. V, p. 496-505.

XI. Codex signatus n° 298-306.

Foliorum nunc 228 (si rationem habeas excisorum et insiticiorum eorumque quorum numeri replicati sunt), formæ mediocris (0^m,335 × 0,24), columnis binis, lineis graphide ductis, exaratus seculo XV. Litteræ initiales minio designatæ, non vero tituli, qui atramento descripti sunt, sed lineolis rubris subter omnes quibus enuntiantur voces deductis notati. Ceterum nulla ornamenta præterquam in folio II (primum decisum est) recto, ubi conspicitur tabella ad novem centimetra in latitudinem et fere ad totidem in altitudinem extensa, in qua S. Hugo Gratianopolitanus inter montes Carthusianos S. Brunoni, coram ipso cum sex sociis genuflexo, benedicens exhibetur. Hæc effigies coloribus depicta est, sed non eximia arte. Summum pedum episcopi auro distinctum, sicut et stella altiori monti eminens, loco utique ubi condendum erat cœnobium Carthusiæ, atque tæniola totam tabellam circumdans. Præterea eamdem tabellam adornant rami tenues, secundum eamdem in margine interiori paginæ decurrens, foliis aureis et floribus pictis insignes. Denique et littera C initialis Vitæ S. Hugonis tota auro depicta est, innixa scutello subrubeo quadrato, eique inscripta est crux cærulea ad lævam inclinata, scutelli quoque angulis extra litteram eorumdem colorum varietate atque, sicut et interiori parte, tenuibus volutis candidis haud ineleganter distinctis.

Adjuncta sunt a compactore in fine codicis undecim folia chartacea omnino vacua et in capite folium membraneum, in cujus parte recta legitur exordium Actorum S. Silvestri, aversa autem item vacua, nisi quod in ea manu seculi decimi sexti inscripta est hæc nota : *Liber domus silve sancti Martini ordinis Cartusiensis Cameracensis diocesis juxta Grendemontem in Flandria* (1) ; postea vero deletis initio verbis *silve sancti Martini* superscripta est vox *Bruxellarum*. Similis inscriptio legitur et in folio insiticio ante folium 81 recto : *Liber domus silve sancti Martini ordinis Cartusiensis.*

Nonnisi scripta de sanctis et rebus Carthusiensibus continet codex. Videlicet, præter Vitas sanctorum quatuor infra recensendas, leguntur in eo : a) *Tractatus magistri Arnoldi de Novavilla contra illos qui dicunt Cartusienses peccare non ministrando carnem infirmis suis* (fol. 38^r-40^v), editus inter Opera Arnoldi illius impressa Basileæ anno 1585, tom. I, num. 45 (cfr. Nic. Antonium, *Bibl. Hisp. Vet.*, tom. II, p. 117) ; b) *Tractatus de origine et veritate religionis ad defendendum ordinem Cartusiensem* (fol. 41^r-76^v) qui, secundum Theodorum Petreium (*Bibliotheca Carthusiana*, p. 121) auctorem habet Guillelmum de Hyporegia ; at nec Petreius nec Andreas Bossotus a Monteregali, ubi de hoc scriptore agit (*Syllabus scriptorum Pedemontii*, p. 250), indicant utrum typis editus sit necne. Notatu dignum est huic tractatui præfixam non esse narrationem miraculi de mortuo ad

(1) Cœnobium Carthusiense silvæ sancti Martini prope Gerardimontem fundatum est anno 1328 (Ben. Tromby, *Storia del Patriarca S. Brunone e del suo Ordine*, tom. VI, p. LXXXVIII).

vitam resuscitato quo fertur S. Bruno ad conversionem vitæ adductum fuisse. c) *Speculum Cartusianum* (fol. 81r-110r) et *Additio seu suppletio præscripti speculi Cartusiani* (fol. 76v-80bis), quam scriba præpostero ordine Speculo præposuit, quum addenda fuisset secundæ parti (fol. 102r). Eadem refert quæ *Brevis historia ordinis Carthusiensis* quam edidit Martene (*Amplissima Collectio*, tom. VI, p. 151-216); sed non pauca ex codice suppleri possunt. d) *Scripta magistri Johannis Gerson, Cancellarii Parisiensis, contra impugnantes ordinem Cartusiensem* (fol. 101r-112r), edita inter Joannis Gersonii Opera (Antverpiæ 1706), tom. II, p. 711-714. e) *Tractatus præfati magistri Johannis Gerson de non esum carnium Cartusiensibus admittendo, contra eos qui eosdem ex hoc statuto tanquam indiscretos et inhumanos judicant* (fol. 112r-119r), mutilus ob folia excisa : editus apud Tromby, *Storia del patriarca S. Brunone e del suo Ordine Cartusiano*, tom. VIII, p. CXLV-CLIV *(in qua felicitatem)*.

Sequitur jam elenchus Vitarum Sanctorum quas continet codex.

1° Vita S. Hugonis Gratianopolitani (fol. 2r-13v).

In fine legitur : *Explicit vita sancti Hugonis Gratianopolitani a reverendo Guigone quinto priore Cartusiæ ut prefertur compilata.*

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 April., tom. I, p. 35-46. — Prologus deest.

2° Vita S. Anselmi Belicensis episcopi ordinis Cartusiensis (fol. 14r-28r).

Edita apud Surium ad d. 26 Junii. Ejusdem Vitæ textum, sed interpolationibus vitiatum, ediderunt Bollandiani in *Act. SS.*, ad eumdem diem, tom. V, p. 227-238.

3° Vita S. Stephani Dyensis episcopi ordinis Cartusiensis (fol. 28v-37v).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 7 Septemb., tom. III, p. 187 sqq.

In cod., post num. 22 continuo referuntur nonnulla miracula edita tom. cit. inde a p. 194, scilicet numm. 10-18, cum hac in cod. clausula : *His et multis aliis signis ac miraculis quæ singulariter explicare nimis excederet in immensum, infra trium ebdomadarum spatium a sepultura dicti sancti viri ipsum illustrare dignata est clementia salvatoris.* Cfr. ibid., p. 193, num. 23. Inde continuatur narratio miraculorum, eorum scilicet quæ leguntur loc. cit., numm. 19-26, 39, 7, 28-33, 8, 34, 40, 36, sequitur hoc miraculum :

> Alius vir de dicto castro (Motanergos) qui propter nimiam capitis tumefactionem per dies quinque in extremis laboraverat, cibum vel potum seu alterius rei beneficium nullatenus capiendo, ad beati Stephani sepulcrum, devenit, gratias referendo; nam mater ejus cum prædicti sancti pontificis patrocinium pro salute filii affectuosis precibus postulasset, statim salutis beneficium est adeptus.

Deinde quæ leguntur ibidem, num. 37, his verbis additis (cfr. tom. cit., p. 193, num. 23) :

Si quis arbitratur hujus sanctissimi pontificis facta mirifica cuncta posse narrari, nimis fallitur, et tam necesse est multa sileri quam impossibile omnia comprehendi.

Postea quæ leguntur numm. 38, 41; quibus annectitur clausula (cfr. ibid., p. 194):

Pro hujusmodi ergo... receptum. Lætamini igitur, sanctissimi Cartusienses, quia frater vester ascendit ad cives suos, pro eis in captivitate positis legatione fungens, corda ipsis concilians beatorum, vota illis intimans miserorum. Iterum dicimus: Lætamini et exultate, quia cœlestis curia ex vestris habet cui cura sit de vobis, qui suis vos protegat intercessionibus et meritis, quos informat exemplis, miraculis confirmavit, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui est super omnia Deus benedictus. Amen.

Tandem in tota illa narratione notanda est aliqua inter editam et codicem diversitas, tum quod spectat ad stylum, tum quoad nomina tam locorum quam personarum.

4° Vita beati Hugonis Lincolniensis episcopi et confessoris (fol. 132r-235v).

(Excisa sunt fol. 229 et 230.)

Est magna Vita S. Hugonis quam edidit James F. Dimock, anno 1864, in ampla collectione quæ inscribitur: *Rerum Britannicarum medii ævi scriptores, or Chronicles and memorials of Great Britain and Ireland during the middle ages.*

5° Incipiunt miracula ante et post mortem per eum facta (fol. 235v-236v).

Edita in eadem collectione ab eodem inter Opera Geraldi Cambrensis, tom. VII, scilicet cap. VI, VII, VIII, p. 178-180, ac cap. IV, p. 176.

6° Sequuntur miracula beati Hugonis post sepulturam ejus ab eo facta (fol. 236v-238r).

Partim edita in collectione mox citata, p. 182-186; scilicet miracula quæ enarrantur primo, secundo, tertio ac quarto loco, seu cap. XII-XV, ac miraculum sexto loco narratum, seu cap. XVI. — Reliqua dabuntur in Append.

7° Sequitur de Canonizatione ejusdem sancti viri Hugonis Lincolniensis episcopi (fol. 238r-238v).

Sanctum Hugonem, episcopum Lincolniensem, monachum ordinis Cartusiensis, cujus vitam supra descripsimus, merito, ut prædictum est, in Christi gloria cum omnibus sanctis in æternum regnare confidimus, quia ipsum non solum sancto

Martino propter pietatis devotionem aut beato Ambrosio propter ecclesiæ defensionem, sed etiam virtutibus omnium sanctorum cœtibus per earum laudabilem adimpletionem ipsum rationabiliter et juste comparare valebimus. Fuit enim par angelis in divini ministerii sedulitate, patriarchis in beatæ spei longanimitate, prophetis in contemplationis studiositate et futurorum prolocutione, apostolis in prædicationis strenuitate, martyribus in mirabili patientia injuriarum sibi illatarum ex iniquorum perversitate, confessoribus in victus et vestitus parcitate et eleemosynarum magna largitate, doctoribus in doctrinæ sedulitate, virginibus in munditiæ puritate, monachis in orationum assiduitate et obediendi Deo et ejus vicariis prompta voluntate, eremitis in pœnitentiæ asperitate, omnibus sanctis fidelibus in omni morum honestate et perfectæ religionis sanctitate. Quia ejus cum sanctis communitas et ejus laudabilis vitæ sanctitas jam nunc per ipsius descriptam vitam satis patuit et tam ante mortem quam in morte necnon et post mortem pluralitate miraculorum largius innotuit, quapropter dum domnus papa Honorius tertius de ipsius episcopi Hugonis virtutibus et miraculis audisset et hujus rei veritatem a venerabilibus tunc viris Cantuariensi archiepiscopo et abbate de Fontibus postea episcopo Helyensi per testes idoneos et advocatos examinari diligengentissime fecisset, super his inventis ad papam relatis et in auditorio sanctæ Romanæ ecclesiæ solemniter recitatis, dum viderent quod convenirent in eo morum sanctitas et miraculorum auctoritas, cardinalibus approbantibus et episcopis universis apud sedem apostolicam tunc copiosius congregatis, pronuntiante papa, meruit ascribi catalogo sanctorum et deinceps tanquam inter omnes sanctos specialis sanctus specialiter coli a devotione omnium christianorum. Amen. Deo gratias. Expliciunt miracula patrata a sancto Hugone, ejusdem canonizatio et vita in omnibus præscripta.

8° Translatio corporis sancti Hugonis Lincolniensis episcopi (fol. 238v-239v).

In fine mutila. — Vide Append.

Appendix ad cod. 298-306.

DE S. HUGONE EPISCOPO LINCOLNIENSI (Cfr. supra, pag. 189, 7°.)

Templarius quidam, beati præsulis dum in hac miserabili vita adhuc degeret amicus, dum sic esset splenreticus [1] quod a medicis fuisset derelictus et desperatus, vidit, in extasi positus, quod beatus Hugo episcopus gratulabundus ipsi benedicebat, moxque evigilans sensit se convaluisse. Convalescentiam suam tanto animadvertit mirabiliorem extitisse, quo nullius creticæ determinationisque signum præcessit vel sequebatur. Agens hic gratias suo curatori et Deo omnipotenti, suo creatori.

Fuit etiam mendicus quidam, nomine Symon, qui per plures annos cæcus mendicabat inter canonicos Lincolnienses. Hic in quodam festo Pentecostes ad tumbam sancti episcopi sanitatis lumen recepit, meritis beati viri. Quem postea retinuit decanus in domo sua per plures annos.

Quædam etiam mulier, Mathildis nomine, curata fuit a cæcitate. Quæ cum diebus singulis, die etiam qua curata fuit, ad ecclesiam duci consuevit [2], die curationis suæ per se sine ductore rediit.

Alius quoque cæcus de villa de Rotwelle, post tres septimanas cæcitatis suæ duci se fecit ad tumbam beati episcopi Hugonis. Ubi cum moraretur, inter ipsa missarum solemnia oculos quos prius aperire non potuit aperuit, et gratias agens dixit : *Ecce video candelas quas ego ipse attuli ad honorem sancti viri.*

Fuit etiam mutus quidam in civitate Lincolniæ, cui lingua palato suo adhærebat ex parte inferiori immobilis. Hic ad tumbam sancti Hugonis veniens cum devotione, ibique in oratione et lacrimis pernoctans, plenam et integram sancti viri meritis recipit loquelam.

DE EODEM S. HUGONE LINCOLNIENSI. (Cfr. supra, pag. 190, 8°.)

Translatio corporis sancti Hugonis Lincolniensis episcopi.

Congruum est et decens ut sanctos et electos Dei ecclesia militans speciali in terris prosequatur honore quos post consummatum certaminis boni cursum insigniis dignitatum attollit triumphans ecclesia gloriosa. Ingredientes namque domum Dei ad glorificandum qui in cœlis est, Deum patrem eorum, viso lumine devotius advocentur, et fidem catholicam quam iidem electi Dei servabant in vita veram fuisse ex gloria eis adhibita perpendens eam firmius amplectetur. Congruitatem nempe et decentiam hujusmodi honoris advertentes, viri Deo devotissimi, episcopus et capitulum ecclesiæ Lincolniensis, ac etiam attendentes specialiter sanctæ

[1] *sic.* — [2] *cod.* esuevit.

recordationis Hugonem, quondam Lincolniensem episcopum, multorum miraculorum tam in vita quam etiam post vestem mortalitatis exutam insignius effulsisse, ipsum primum auctoritate apostolica sanctorum ascribi catalogo confessorum et postmodum corpus ejus a loco humili ecclesiæ Lincolniensis, quo velut lucerna latebat sub modio, ad locum eminentem gloriose transferri, auro gemmisque includi honorifice procurarunt, et tam festum ipsius quam translationis solemniter celebrarunt et celebrant annuatim, eumdem Dei electum sonoris præcordiis[1] efferentes.

Cujus gloriosi principis translatio insignis pridie Nonas Octobris anno videlicet Domini incarnati millesimo ducentesimo octogesimo, anno etiam a die quo corpus ejus traditum fuerat sepulturæ octogesimo fere completo, eximie facta fuit per insignem veritatis doctorem, Johannem, Cantuariensem tunc archiepiscopum, totius Angliæ primatem, et Oliverum, Lincolniensem episcopum, miræ probitatis et sapientiæ magnæ virum, assistentibus eis venerabilibus viris canonicis Lincolniensis ecclesiæ supradictæ. Qui omnes, per devotæ orationis instantiam et abstinentiæ voluntariæ observantiam ad tam sacri operis executionem præparati, noctis ad hoc notato congruo tempore adveniente, post matutinas devote cantatas, ad tumbam sancti præsulis marmoream accedentes, corpus ipsius, quod fere octoginta annis, ut præmittitur, jacuerat tumulatum, quasi integrum reppererunt. Caput vero gloriosi corporis cum cœpissent palpare, a corpore discingebatur et collum rubeum velut hominis recenter mortui apparuit. Quod quidem dicebatur a pluribus miraculose evenisse, eo quod capsula ad conservationem perpetuam dicti corporis cum capite mirifice præparata solum corpus sine capite poterat continere. Idcirco caput ipsius auro decenter inclusum separatum ostenditur populo venerandum. Corpori siquidem integre sic reperto suppositi sunt in tribus partibus panni mundissimi, illudque taliter levaverunt in altum et in loculo ad hoc artificialiter præparato cum reverentia posuerunt, non permittentes ad illum quemquam manum apponere qui non fuerat per veram cordis contritionem, oris confessionem, satisfactione præstita seu cum proposito satisfaciendi a peccatorum suorum maculis emundatus.

Deinde hujusmodi corpus venerabile in dictæ ecclesiæ revestiarium cum hymnis et canticis spiritualibus detulerunt, caputque levaverunt ac desiccaverunt; et sic illud ibidem usque in diem sequentem sub custodia dimiserunt. In tumba autem qua corpus jacuerat prælibatum, oleum purissimum invenerunt usque ad largifluam quantitatem. Et habitum regularem quo vir sanctus utebatur in vita et cum quo corpus ejus traditum fuerat sepulturæ, integrum similiter reppererunt.

Die vero sequenti pontifices et canonici memorati ad locum in quo corpus venerabile dimiserunt revertentes, ad exequendum ulterius officio tam eximio convenientia se paraverunt. Inter quos Lincolniensis episcopus Oliverus prædictus, caput dicti sancti arripiens, illud tenebat in manibus reverenter. Ex cujus capitis maxilla nocte præcedente desiccata et sicca mane reperta, in manus episcopi

[1] *sic, pro* præconiis?

tenentis stillavit oleum purissimum abundanter, et a stillatione non cessavit donec idem pater reverendus eamdem maxillam deposuit in pelvi argentea ad deportationem capitis in populo ordinata. Subsequenter processione solemni juxta morem ecclesiæ ordinata, dicti patres per ecclesiam processerunt, præsentibus clero et populi multitudine copiosa, præfato domno archiepiscopo caput sanctum in pelvi argentea deferente aliisque deferentibus sacrum corpus, usque ad locum quo sita fuit capsula auro, argento et lapidibus pretiosis ornata, ad conservationem perpetuam dicti corporis præparata, infra quam dictum corpus venerabile posuerunt. Et super fabricam marmoream decentis structuræ altitudinisque competentis hujusmodi capsulam honorifice collocaverunt, capsulam fabricæ marmoreæ conjungi firmiter facientes. Dictus autem episcopus et capitulum suum caput præfatum auro et argento ac lapidibus pretiosis includi et juxta altare sancti Johannis Baptistæ in ecclesia Lincolniensi non longe a capsula prælibata collocari fecerunt. In quibus locis tam caput quam corpus a clero et populo adoratur ipsiusque sancti auxilium apud Altissimum imploratur et Dominus qui actus dicti sancti remuneravit tam in cœlestibus quam in terris devotissime collaudatur.

Deinde dictus episcopus Lincolniensis et capitulum festum translationis hujusmodi annuatim fore celebrandum tam in ecclesia Lincolniensi quam in ipsius diocesi statuerunt. Translationem itaque gloriosi corporis sancti pontificis Hugonis inclitæ recordationis domnus Eduardus, illustris rex Angliæ, quondam regis Henrici Tertii natus, et domna Alionora, consors ejus regina, multique alii regni nobiles et magnates sua venerabili præsentia decorarunt. Inter quos bonæ memoriæ Thomas Beekies, electus Menenensis, eodem translationis die in ecclesia Lincolniensi præfata a dicto domno Cantuariensi archiepiscopo munus consecrationis accepit et convivium splendidum in domibus episcopi Lincolniensis celebravit, ad honoris Dei et gloriosi confessoris sui cumulum et augmentum. Porro præter archiepiscopum Cantuariæ et episcopum Lincolniensem ac electum Menenensem in episcopum consecratum, ut præmittitur, interfuerunt hujusmodi translationis festo domnus Ragensis archiepiscopus et septem episcopi infulati abbatesque plurimi. Necnon præter domnum regem Angliæ et reginam prædictos, domna regina Navarræ, comites quatuor, etiam Lincolniensis comitissa baronesque ac milites in multitudine copiosa, suam exhibentes præsentiam in solemniis antedictis Dominumque qui famulos suos talibus attollit insigniis, collaudantes. Colentes igitur festum translationis præfatum, Redemptorem cunctorum qui sanctum... *(Cetera desunt, ablatis foliis in fine codicis.)*

XII. Codex signatus n° 329-41.

Foliorum 462 seu paginarum 528, formæ mediocris (0^{m},32 × 0,22), columnis binis, lineis graphide ductis, magnis characteribus exaratus diversis manibus seculo XIV. Multæ litteræ initiales artificiose depictæ, inter quas octo scutellis aureis impositæ, sanctum cujus vita describitur sedentem exhibentes aut ejus martyrium vel translationem ; quibus et annexæ sunt appendices totam fere paginam circumplectentes, auro et variis coloribus distinctæ ac ludicris animalium et monstrorum figuris ornatæ.

In fronte paginæ primæ inscripta est hæc notula, manu seculi XVIII : *Liber bibliothecæ S^{ti} Pantaleonis martyris infra Coloniam ;* et ad calcem paginæ 528 seu ultimæ, manu seculi XVII : *Ex donis perfectus hic liber magistri Michaelis.*

Jam sequitur index eorum quæ complectitur codex, omissis tribus Sermonibus sive homiliis quæ leguntur pp. 93-98, 470-484, 484-520.

1° Liber sancti Pantaleonis Coloniæ (p. 1-39).

Venit sub hac rubrica Passio S. Pantaleonis quæ maxime convenit cum Passione edita apud Mombritium, tom. II. — Consimilem ediderunt Monachi Casinenses in *Bibliotheca Casinensi,* tom. III, Florilegii p. 246 sqq.

2° Sermo in natale sancti Pantaleonis (p. 39-52).

Sermo iste ex toto paræneticus est, nihil referens quod pertineat ad historiam.

Inc. Sancta solemnitas beatissimi martyris Pantaleonis quæ nos in nomine Domini congregavit, de meritis et gloria tanti martyris exigit aliqua dici ; sed non potest aliquid digne dici.

3° Miracula sancti Pantaleonis martyris (p. 52-92bis).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 27 Julii, tom. VII, p. 421-425.

4° In festo S. Maurini abbatis et martyris, cujus solemnitas 10 Junii agitur (1) (p. 98-100).

Lectio edita in *Act. SS.,* ad d. 10 Junii, tom. II, p. 279, num. 1.

5° Sermo in natali sancti Maurini martyris (p. 100-106).

Editus ibidem, p. 279, num. 2-4, præter ultimam partem ; desinit enim in his verbis : *ad memoriam revocemus.*

6° De translatione sancti Maurini (p. 106-133).

Editum ibidem, p. 279-283, scilicet a num. 4 extremo ad num. 15. — *Inc.* Peracto beato agonis sui triumpho.

P. 115, facta mentione de Thiedone episcopo qui antea in monasterio S. Severini,

(1) Titulus manu recenti additus.

custodis officium ministrabat, in margine manu recenti additur : *Modo SS. Cornelii et Cypriani.*

7° Relatio de passione sancti Albini martyris (p. 133-142).

Edita sub nomine Albani martyris in *Act. SS.* ad d. 22 Junii, tom. IV, p. 147-159. Inc. *Cum beatorum martyrum qui de toto orbe ad Dominum venerint, mentionem faceret presbyter Fortunatus, de sancto Albino quoque martyre in Laude Virginum ait : Albinum egregium...* Cfr. quoque Commentarium de S. Albino, martyre Romano, Coloniam delato (*Act. SS.*, tomo modo cit., p. 172-175).

8° Relatio quomodo ejusdem pretiosi martyris reliquiæ ad nostrum delatæ sunt monasterium (p. 142-149).

Inedita, ut videtur. Vid. Append.

9° Præfatio de translatione sancti Albini martyris (p. 149-152).

Vid. Append.

10° Item alia incipit relatio de translatione sancti Albini martyris (p. 152-159).

Vid. Append.

11° Item Relatio (p. 159-165).

Vid. Append.

12° Vita gloriosæ reginæ Mathildis (p. 165-272).

Edita ope hujus codicis inter *Monumenta Germaniæ*, Scr. tom. IV, p. 283-302.

13° Testamentum ecclesiæ S^tæ Cæciliæ (p. 272-277).

Editum apud Theod. Lacomblet, *Urkundenbuch für die Geschichte des Niederrheins*, tom. I, p. 60, num. 105. — Sed in codice desunt nomina eorum qui diplomati signum suum apposuerunt.

14° De constructione monasterii istius loci (p. 277-293).

Refertur hic diploma S. Brunonis, Coloniensis episcopi, datum Coloniæ anno Domini 964, die Pentecostes, quo certa bona conferuntur ecclesiæ S^tæ Cæciliæ. Dicuntur in codice S. Brunoni hoc diploma danti assedisse : Christianus cœnobii S. Pantaleonis abbas, Adamarus Fuldensis, Odilo Stabulensis, Bruno Corbiensis, Bernardus Prumiensis; subscripsisse vero Wilhelmus Moguntinus, Heinricus Trevirensis, Thidericus Metensis, Wicfridus Veronensis, Baldricus Leodicensis.

15° Narratio de Vita sancti Brunonis (p. 295-317).

Edita ope hujus codicis inter *Monumenta Germaniæ*, Scr. tom. IV, p. 275-279.

16° Vita domni Brunonis archiepiscopi (p. 329-462).

Vita auctore Rotghero, clerico Coloniensi, edita ibid., p. 254-275. — Cfr. etiam *Act. SS.* ad d. 11 Oct., tom. V, p. 698 sqq., quo tomo, p. 755 sqq., eadem Vita edita est.

N. B. In Vita S. Brunonis (a p. 402-406) inserta est sub rubrica : *De translatione S. Evergisli, Coloniensis archiepiscopi*, relatio edita inter *Monumenta Germaniæ*, tom. cit., pp. 279, 280.

Insuper a p. 406-416, col. 1, lin. 4 *(in se completum novit)*, inseritur sub rubrica : *De translatione sancti Patrocli*, relatio edita tom. modo cit., pp. 280, 281.

17° Testamentum domni et in Christo venerandi Brunonis archiepiscopi Coloniensis (p. 462-468).

Editum ibid., p. 274, num. 49.

18° [Versus aliquot in laudem S. Brunonis] (pp. 468, 469).

Editi ibid., p. 275. — Leguntur dein in cod. sequentia :

Quod de casula mandastis domni Brunonis, eam fuisse non dubitetis quam nostri priores Engilbertus et ceteri ipsius nomine in maxima habuerunt veneratione eaque semper usi sunt in obitu *(sic)* ejus solemni commemoratione.

19° Visio Elyzabeth de assumptione beatæ Mariæ virginis (p. 521-528).

Edita in opere inscripto *Corpus revelationum SS. Birgittæ, Hildegardis, Elizabethæ,* (Coloniæ Agrippinæ 1628) p. 204-205. — Sed in cod. incipit : *In anno quo mihi per angelum Domini...* Desinit : *Corpus meum terræ commendavere.*

Appendix ad cod. 329-41.

DE S. ALBINO MARTYRE. (Cfr. supra, pag. 195, 8°.)

Relatio quomodo ejusdem pretiosi martyris reliquiæ ad nostrum translatæ sunt monasterium.

1. Quia caritas non inflatur nec sapit superbe, ab exiguitatis nostræ tantillitate fraternitas vestra non detrectavit requirere si quid forte quomodocumque caperemus de pretiosi martyris Albini translatione. Unde quidquid vel majorum relatu vel ex librorum annalium serie potuimus colligere, curavimus vobis insinuare. Nec dedignemini, quæsumus, vel unam ariditatis nostræ stillam fluentis vestris infundi, cum ex inundatione vestra nos opus habeamus irrigari. Caritas enim cum omnia vincat, et in hoc nostræ prævaluit verecundiæ ut imperiti [1] præsumamus peritissimis scribere. Præelegimus vero ingenioli nostri scribendo periculum facere

[1] *cod.* impartiri.

quam de re excellentissima requisiti vacare. Nos ergo comperta paucis absolvimus; vos autem de paucis, gnari [1] multa cogitare, castigatius examinate quæ dicimus.

2. Cum igitur diu Britannia hæresi infecta Pelagiana a fide aberraret catholica, quasi pro cœlestis iræ vindicta vicinis traditur ferienda. A quibus variis et miserandis cladibus per multum tempus est affecta. Quapropter epistolam lacrimis ærumnisque plenam mittunt ad Etium, tunc orbis Romani patricium, nec impetrant auxilium. Tandem igitur resipiscentes et quia pro perfidia cœlitus impugnantur cognoscentes, imperantibus Marciano et Valentiniano, sub præsule Romano Simplicio, a Gallicanis episcopis apostolicæ fidei defensores quærunt, Germanumque Autisiodorensem et Lupum Trecassinum suscipiunt. Confirmant sacerdotes fidem catholicam verbo veritatis, comitantibus miraculorum signis. Bellum etiam Saxonum, Pictorum atque Scottorum contra Britones junctis viribus susceptum, divina retundunt virtute, ubi Germanus dux belli factus non tubæ clangore sed cum Alleluia totius exercitus in excelsum elevata voce hostes in fugam vertit immanes.

3. Confirmatis in fide sana Britonibus reditumque jam properantibus ecclesiasticis sacerdotibus, pro benedictione quoque susceptis sancti Albini reliquiis... *(Sequuntur hic in textu quæ jam edita sunt in* Act. SS., *tom. IV Junii, p. 174, num. 8)*... Theophania regni adminicula administravit. Quæ diva augusta sancti Pantaleonis monasterium summo honore coluit et regali munificentia sublimavit sanctorumque reliquiis præmunivit, quia depositis membris corruptibilibus ibidem diem Domini expectare statuit. Hæc igitur a præsule Romano prædicti martyris reliquiis impetratis Italiæque finibus translapsis cum transitum conaretur, in Alpibus summis equus exuviarum sanctarum bajulus repente corruit et per præceps devolutus in montis radicibus substitit. Qui cum imperatricis et omnium qui aderant mœrore maximo quæreretur et jam minuatim disruptus æstimaretur, sanus et incolumis repertus est in vallibus imis, illæsis etiam ubi reliquiæ viri sancti [2] recondebantur scriniis. Gratiarum igitur actione pro miraculo viso celebrata, iter acceleraverunt prosperoque cursu Moguntiacum venerunt.

4. Ubi licet ejusdem sedis antistes augustam cum memoria martyris venerabiliter excepisset, donariis quoque non spernendis honorasset, verebatur tamen et auctoritate regia et martyris memoria recens adducti, cognatione vocabuli, sui martyris Albani gloriam extenuari. Nam uterque eorum vocabatur Albanus. Hunc ergo nostrum martyrem Albinum vocari obnixe rogavit, et cum optimatum regni consilio simul et auxilio impetravit. Sic imperatrix devota demum voti compos Coloniam venit et in loco quo veneratur adhuc, sacrum pignus deposuit, umbraculumque capitis sui superposuit, sibique post obitum ante ipsum altare sicut hodieque cernere licet, sepulcrum construi jussit.

5. Postea vero cum letaniæ solemniter cum sanctorum reliquiis Coloniæ celebrarentur et apostolicus Leo simul et imperator Heinricus cum ejusdem sedis præsule Hermanno præsentes haberentur, hunc de quo agimus proprium suum marty-

[1] *cod.* girari. — [2] (v. s.) *cod.* virtutum scie.

rem a Romanis appellari audivimus, Romæque ab apostolicæ ecclesiæ æedituo eadem ipsi percepimus. Hæc sunt quæ ex majorum relatione memoriæ nostræ non exciderunt et passim in annalibus reperta ad exaranda cetera nos animaverunt. Vos ergo, quia et figulus fossorem luti necessarium habet, opem nostram rusticanam nolite spernere, sed artificum more ex informi materia pulcherrimum vas elaborate, simulque valete.

DE EODEM S. ALBINO. (Cfr. supra, pag. 195, 9°.)

Incipit præfatio de translatione sancti Albini martyris.

Quoniam nihil bona voluntate locupletius, nihil pia devotione Deo est acceptabilius, certum est quod de radice bonæ voluntatis oritur fructus piæ devotionis et ejusdem piæ devotionis merito bona voluntas non solum augmentum accipit, ut crescat, verum etiam firmamentum, ut indeficiens subsistat. Hoc ita esse, manifestum est illis præcipue qui misericordia Dei præveniente invitati ut velint, et subsequente confortati ut possint gustare et videre quoniam suavis est Dominus, proficientes de die in diem, eunt de virtute in virtutem, donec in tantam per quotidiana incrementa perveniant celsitudinem, quæ perducat eos ad videndum Deum Deorum in Sion. Hunc profecto bonæ voluntatis et piæ devotionis affectum juxta tropologiam, non dubitaverim dicere illum esse fructum quem in nobis Dominus esurit, quem in quo non invenerit tanquam infructuosam maledicens ficulneam, perpetuæ sterilitati addicit. Hoc autem illis evenire nonnunquam solet, qui perceptis Dei beneficiis ingrati, nec bonæ voluntatis sacrificium offerentes nec piæ devotionis ignem adhibentes, cum novem illis mundatis quidem sed ingratis dissimulant redire et dare gloriam Deo; ideoque non solum jam percepta bona digni sunt amittere, verum etiam ad ea quæ potuerant promereri, obstante ingratitudinis vitio non merentur pervenire. Quod malum ab his quibus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, divina dispensatio misericorditer avertit : primo quidem infundens affectum bonæ voluntatis. Quæ gratia Dei cum in vacuum non recipitur sed in opus procedit, ipse a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, causas præstare consuevit quibus accendatur et semper innovetur fervor piæ devotionis. Hos itaque, quamvis peccatores indigni et negligentes multumque infra perfectorum merita constituti, de abundanti beneficio et misericordia Dei talia nuper circa nos ejus beneficia exuberasse recognoscimus. Pro quibus, ne ingratitudinis argui merito judicemur, non solum nos ipsi gratias agere, verum etiam et alios nobiscum ad hoc faciendum provocare curamus, qualicumque sermone narrantes [1] ad communem utilitatem quid illud sit in quo visitavit et lætificavit nos oriens ex alto.

[1] *vox suppleta.*

DE EODEM S. ALBINO. (Cfr. supra, pag. 195, 10°.)

Item alia incipit relatio de translatione sancti Albini martyris.

1. Præsentis igitur attestatione scripti et fideli relatione ex patribus nostris, nos, fratres ecclesiæ sancti Pantaleonis, accepimus gloriosissimi Britannorum martyris Albini corpus a prima constructione loci apud nos esse reconditum: cujus rei argumentum nobis erat non solum loculus in quo contineri veraciter asserebatur, verum etiam, quod majus est, crebra miraculorum efficacia; quæ tam potentiam quam præsentiam ejusdem martyris evidenter attestari videbantur. Cum igitur de tanto tamque venerabili thesauro nobis divinitus collato tota quidem Coloniensis civitas generaliter, nostra vero specialiter ecclesia nec immerito exultaret, erant tamen nonnulli qui, quo incertum est spiritu, loquentes, hujus nostræ exultationis gaudium etsi non turbare, vel sollicitare solebant, qui de Britannia venientes, vel eos qui veniebant audientes, constanter asserere conabantur præfatum martyrem ibi ortum, ibi passum ibique sepultum, eam quam sanguine suo illustravit provinciam nequaquam dereliquisse, sed in ea tam corporali præsentia quam spirituali potentia permansisse. Super hoc animos nostros titillabat aliqua non quidem dubitatio sed admiratio, quoniam quidem de nostris auctoribus certi admodum essemus, et illorum assertionem nec recipere vellemus nec de sufficienti possemus refellere.

2. Inter hæc ipse quem nullum latet secretum, cujusque oculis nuda et aperta sunt omnia, solita pietatis suæ clementia de hoc utrosque articulo evidenter expedivit, præstando videlicet occasionem qua et nobis occulta veritas palam innotesceret et piæ devotionis fervor de bona voluntate quam prius inspiraverat procedens, ardentius nostris in cordibus revivisceret. Siquidem non immerito nobis visum est quod sæpedicti martyris sanctissimum corpus loculo dignitati ejus minus congruo servaretur, ideoque inter nos habito de melioratione illius generali consilio, novus illi argento, auro et lapidibus pretiosis ex collatione fidelium præparatus est. Quo ad unguem perfecto, cum instaret dies condicta qua de veteri in novum gloriosi martyris reliquiæ componerentur repositorium, nos fervore quodam a Deo, ut credimus, inspirato accensi, cum magna cordis humilitate et multa precum instantia domno abbati nostro supplicavimus, ut sacri corporis pignora nos videre permitteret, non propter otiosam curiositatem, testis est Deus, sed ut quod a nobis semper corde videbatur, etiam corporalibus oculis ad augmentum devotionis ostenderetur; præcipue tamen ut contentio illa quæ inter nos et Britannicos illos propugnatores super ipso corpore erat, hoc modo desopiretur. Habito itaque non sine salubri timore super petitione nostra communi consilio vixque obtento cum morosa deliberatione abbatis et consensu seniorum, quandoquidem non est temere in talibus agendum, præoccupavimus faciem Domini in confessione, indulgentiam ejus fusis lacrimis postulantes et humiliantes illi animas nostras.

3. Purificatis hoc ritu cordibus, tandem, post longam desiderii quod dilatione creverat expectationem, admissi sunt oculi corporales ad videndum cœlestem illum nobis donatum a Domino thesaurum, merito desiderabilem super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciorem [1] super mel et favum. Siquidem patefacto debita cum reverentia loculo, exterius argenteo licet vili opere adoperto, ligneus fortiter munitus intus præter spem inventus est: qui et ipse dissolutus pretiosas protomartyris Britannorum reliquias nobis exhibuit, caput videlicet cum barba, cervicem adhuc sanguine passionis infectam, brachia et manus, scapulas pelle et carnibus partim contectas, pectus cum cratibus laterum et spina dorsi ac renibus. Ceterum inferiora illa, coxas scilicet, tibias, crura et pedes, nos nec habere nec prius habuisse deprehendimus, statimque partes illas in partibus suæ Britanniæ cum ad nos transferrentur remansisse certa fide et credidimus et diximus. Pannus etiam quo sacrum corpus tegebatur candidus fuit ad instar nivis, et incorruptus sicut ea die fuisset impositus, attestantibus cunctis qui aderant ipsum ducentis et sex annis durasse. Odor suavissimus qui in revelatione sacrorum corporum familiariter adesse solet, non defuit: quo cuncti adstantes ita refecti sunt, ut constaret eis habere se et videre unum ex numero eorum qui in vita et in morte Christi bonus odor Deo sunt in omni loco.

4. Visis igitur et deosculatis cum ingenti desiderio nec minori gaudio in lacrimosa devotione sacrosanctis reliquiis, clausæ sunt et signatæ cum multa diligentia in scrinio decenter fabrefacto exterius, et resonante voce exultationis et salutis in tabernaculis justorum tam clerus quam populus cantabat Domino canticum novum, et reboabat omnis ætatis, sexus seu conditionis concordi jubilatione laus ejus in ecclesia sanctorum. Ad confirmandum igitur testimonium veræ fidei tam præsentium quam futurorum Deo ipsique martyri servientium, dignatus est fortis athleta Dei manifestari et manibus attrectari, ut ab omnium cordibus auferret scrupulum dubietatis.

5. Felici autem devotioni nostræ cellerarius tunc temporis sinistro instinctu adversatus et eam parvipendens, ea hora qua ista gerebantur humili negotio occupatus vel divino judicio vel ipsius negligentia tali fraudatus est visione, ne forte iterum esset impedimentum dictæ visioni, cui antea totis viribus renitebatur. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octogesimo sexto, sub Philippo, Coloniense archiepiscopo, et abbate nostro Henrico.

DE EODEM S. ALBINO. (Cfr. supra, pag. 195, 11°.)

Item relatio.

1. Itaque jam de cetero neque Britannia Coloniæ neque Colonia Britanniæ invideat, neque altera adversus alteram de participatione sacri corporis conquera-

[1] *cod.* dulciora.

tur ; sed utraque gaudenter magnificet Dominum, et exultet spiritus utriusque in Deo salutari suo, contenta, immo magnifice insignita parte sua, quam divina dignatio gratuito ei munere indulsit. Quamvis enim nec isti, nec illi donatum sit totum possidere tantum talemque patronum, tamen utraque, si cum fide et pia devotione quærere non neglexerit, indivisum ejusdem merebitur invenire patrocinium.

2. Nos tamen quos alienigenas et longe positos præveniendo in benedictionibus dulcedinis ultro visitare dignatus est, et apud nos mansionem eligere, ut de hospitibus et advenis efficeret cives sanctorum et domesticos Dei, specialius eum amare ac devotius venerari tenemur, certi nimirum ac fidentes quod, si tantæ gratiæ ingrati non fuerimus, plura et potiora per eum a Domino semper beneficia obtinere promerebimur. Quid enim diligentibus et honorantibus se ille non dabit qui vix nomen ejus scientibus nihilque apud eum adhuc meritis semetipsum dedit? Qui in hoc mortalitatis corpore positus, necdumque in Christo renatus tantam caritatem habuit qua Dominus neminem habere diffinivit majorem, ut animam suam pro fratre et hospite suo non dubitaret ponere, quantam nunc eum credere possimus possidere caritatis perfectionem, quando in cœlesti gloria constitutus, non de rivo tenuiter manante [1], sed de ipsa fontis æterni plenitudine haurit integritatem beatitudinis suæ? Haurit, inquam, de plenitudine fontis illius de qua psalmista gratulabundus Deo : *Quoniam apud te,* inquit, *est fons vitæ et in lumine tuo videbimus lumen.* Vere juxta apostoli sententiam plenitudo legis caritas, per quam factum est qnod is qui necdum præcepta divinæ legis audierat, subito perfectus doctor et probatus adimpletor justitiæ inventus est ; quoniam juxta eumdem apostolum : *Non auditores sed factores legis justificantur apud Deum.*

3. Merito felix, merito gloriosus, gloriosum in cœlo et in terra ex re nomen adeptus quod os Domini nominavit. Albinus enim denominari videtur ab albedine : quæ vix unquam nisi in laude in Scripturis posita invenitur. Quo nomine sanctus iste non incongrue censetur, cum sit unus et de potioribus in numero eorum *qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Quod quidem mire dictum et humanæ consuetudini contrarium esse videtur, quoniam sanguinis intinctio non dealbationem sed potius cruentationis horrorem soleat inferre. Sed nimirum Spiritus sanctus qui per os beati Joannis apostoli et evangelistæ verbi cœlestis arcana humanis auribus expressit, ad virtutem et efficaciam passionis Christi proprie respexit ; quia profecto sanguis Agni immaculati et incontaminati Christi lavat et mundat sanctorum animas, auferens sordidam nigredinem peccatorum, conferens candorem et decorem virtutum. In hujus Agni sanguine lavant omnes sancti, præcipueque martyres et dealbant stolas suas, id est corpora et animas, quoniam quanto magis similitudini passionis Christi patiendo appropinquant, tanto magis præ ceteris in æternæ beatitudinis claritate gloriosius coruscant.

4. Inter quos, gloriose et præelecte Christi martyr Albine, cum his qui empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno, cantans canticum novum sequensque

[1] *cod.* manavit.

Agnum quocumque ierit, nos tibi humiliter et devote assistentes clementer respice et assidua prece conserva, ut et in præsenti sub tuo patrocinio Domino nostro Jesu Christo servire [1] et in futuro sub tuo ducatu ad contemplandam atque possidendam immarcessibilem æternæ beatitudinis gloriam introduci mereamur, præstante ipso Domino Jesu Christo, qui est corona martyrum, spes et remuneratio sanctorum omnium, vivens et regnans cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

XIII. Codex signatus n° 380-82.

Foliorum 174, præter tria insiticia in capite codicis et duo alia vacua ad calcem, formæ mediæ (0^m,31 × 0,22), columnis binis, exaratus seculo XV. Tituli singularum Vitarum, excepta prima, minio descripti ; earumdem litteræ initiales alternæ rubræ vel cæruleæ, nullis fere ornamentis.

In capite folii primi insiticii initio codicis legitur hæc inscriptio : *Liber monasterii Canonicorum regularium Vallis sancti Martini in Lovanio. Collatus eidem a fratribus Swollensibus in subsidium fundationis primæ.* Et rursus in margine inferiori folii 92^r : *Est liber hic sancti Martini Lovaniensis.*

1° Passio S. Marci evangelistæ (fol. 1^r-2^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 April., tom. III, p. 347-349, sub titulo *Apostolatus Alexandrini.*

2° Passio SS. martyrum Vitalis, Valeriæ, Gervasii et Protasii, quod est quarto Idus Maii (fol. 2^r-3^v).

Passio auctore S. Ambrosio, edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Jun., tom. III, p. 821-822, num. 17-23.

3° Passio S. Philippi apostoli, quod est Kalendas Maii (fol. 3^v-4^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, pp. 11, 12. — In cod. incipit, omisso num. 1 :

Post ascensionem Domini Salvatoris per annos viginti Philippus instanter ...

Clausula vero talis :

... omnibus qui credunt in unum Deum, Patrem invisibilem, incommutabilem et immensum, quem vidit hominum nemo neque videre potest, et in unum ejus Unigenitum, Dominum

[1] *vox suppleta.*

nostrum Jesum Christum, qui crucifixus est pro seculi delicto, et in unum sanctum Paraclitum Spiritum, illuminatorem animarum nostrarum, et nunc et semper et per infinita secula seculorum. Amen.

4° Passio S. Jacobi apostoli fratris Domini, quod est Kl. Maii (fol. 4ᵛ-5ʳ).

Edita apud Mombritium, tom. II, his variantibus in codice : 1° Omisso initio, incipit :

Tempore illo suscepit ecclesiam Hierosolymorum frater Domini Jacobus, qui cognominatus est justus ...

2° Positus in pinna templi Jacobus ita locutus traditur :

Viri Israelitæ, audite. Ad hoc in sublimi loco levatus sum ut testimonium dicam de Jesu Nazareno, quem crucifixerunt scribæ et pharisæi, dicentes quod magus esset et quod non esset verus Filius Dei : qui est antequam cœlum et terram fieret ex Patre genitus. Hic nostris temporibus ex semine David ex virginali utero hominem natum assumpsit. Qui natus est sub Herode rege, passus cruce sub Pontio Pilato præside. Hic tertia die resurrexit a mortuis et dedit nobis, discipulis suis, potestatem in suo nomine cæcos illuminare, dæmones effugare, curare omnes infirmos et mortuos suscitare. Cumque probasset nobis se in veritate surrexisse a mortuis, omnia quæ nos docuerat ante passionem commemorans, ita ut cibum sumeret et in manus signa clavorum crucis ostenderet ac memoraret quod esset ascensurus ad Patrem suum in cœlis, nos vero discipuli ejus tristaremur, ille prohibuit tristitiam nostram, dicens : Gaudete, quia vado ad Patrem et mitto vobis Spiritum sanctum Paraclitum. *Igitur, videntibus nobis, post quadraginta dies resurrectionis suæ ascendit in cœlum. Cumque illum stuperemus euntem, apparuerunt nobis duo angeli dicentes :* Hic Jesus qui ablatus est vobis, sic veniet sicut vidistis eum euntem in cœlum. *Post non vero multos dies, sedentibus nobis et docentibus populos quod vere sit Deus de Deo natus, subito venit super nos Spiritus sanctus, sicut lux de cœlo, et unumquemque nostrum ita inflammavit ut omnium nobis gentium linguas aperiret, et unicuique genti sua lingua loqueremur magnalia Domini nostri Jesu Christi, Filii Dei vivi.*

3° Tandem in cod. ita desinit Passio :

Cumque populi vellent eos *(S. Jacobi occisores)* comprehendere, qui hæc fecerunt, fugerunt. Populi autem cum omni diligentia et honore sepelierunt eum ibi juxta templum,

credentes in Christum Filium Dei : in quo loco colitur ex eo passio ejus usque in hodiernum diem, ipso præstante qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

5° Passio S. Alexandri martyris Lugdunensis, quod est septimo Kl. Maii (fol. 5^r-6^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 April., tom. III, pp. 9, 10, in Actis SS. Epipodii et Alexandri, scilicet num. 8-14.

6° Passio *(sic)* $S^{tæ}$ Walburgæ virginis, quod est Kl. Maii (fol. 6^r-10^r).

Vita auctore Adelboldo, edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Feb., tom. III, p. 42-46.

7° Vita S. Wironis episcopi, quod est octavo Idus Maii (fol. 10^r-12^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Maii, tom. II, p. 315-317.

8° Passio $S^{tæ}$ Eufemiæ virginis et martyris, quod est Idus Aprilis vel XVI Kl. Octobris (fol. 12^r-14^r).

Edita apud Mombritium, tom. I, nonnullis passim in cod. omissis.

9° Passio S. Georgii martyris, quod est decimo Kl. Maii (fol. 14^r-16^v).

Hæc Passio maximam affinitatem habet cum Passione edita in *Bibliotheca Casinensi*, tom. II, Florilegii p. 7-11 ; stylo tamen sunt diversæ, et in initio minus conveniunt : sic enim legitur in codice :

Tempore illo Dacianus imperator qui fuit persecutor christianorum et ecclesiarum Dei, cum tribunis et militari manu misit ad omnes potestates quæ in regione ejus erant ut convenirent in civitatem quæ dicitur Militena. Cœpit autem dicere Dacianus, iracundia repletus : *Si invenero in hac provincia christianos, oculos eorum excutio et caput decoriabo ; cetera vero membra igne cremabo.* Post hæc autem jussit ut venirent artifices qui facerent ferramenta ad christianos torquendos : gladios acutissimos, forcipes ad dentes excutiendos, rasoria acutissima ad capitis comam evellendam, frixoria vel sartagines ad eorum corpora torrenda *. Jussit quoque fieri rotam ferream in se serras vel gladios acutissimos habentem. Hæc audientes populi, nullus audebat dicere se esse christianum.

(* ...d e. c. t. ... in marg.)

Erat quidam tribunus de provincia Capadocia, nomine Georgius. Hic ergo congregavit pondus immensum, et profectus est ad imperatorem Dacianum in civitatem Militenam, ut probaret eum comitem. Videns autem beatus Georgius apud memoratam civitatem Deum contemni, idola adorari, cœpit

contristari vehementer, et ad semetipsum ait: *Quid mihi prodest in hoc seculo transeunti dignitatem habere, ut in futuro seculo pœnas conferam?* Aurum quod tulerat, omne pauperibus erogavit, et ait ad imperatorem: *Ego Georgius christianus sum, et dignitatem tuam non quæram, quia temporalis est; sed Deum meum adoro in veritate.* Dacianus dixit imperator: *Vere doleo super pulchritudinem tuam, ne in tormentis vel malis pœnis deficias.* Beatus Georgius dixit: *Tu de me nolo doleas; sed de te dole et tuam ætatem luge, quia perdita est.* Dacianus autem dixit: *Quid multa loqueris? Fac voluntatem meam. Juro tibi per deos meos, Zebeem et Apollinem et Iraclem, quia omni terræ exemplum eris, et videbo si veniat Deus tuus et liberet te de manibus meis.* Georgius dixit: *Adjuvet me Deus meus et te confundat; et omnes qui adorant idola tua in infernum demergantur.*

Tunc jussit eum imperator Dacianus apprehendi et adduci ad rotam illam quam fabricaverat. Veniens autem beatus Georgius vidit rotam illam, et dixit: *Quid prodest mihi timere tormenta quæ non permanent, sed finem habent? Scio Dominum meum Jesum Christum inter duos latrones in cruce fuisse. Et si Dominus meus pro peccatoribus mortuus est, et ego pro Domino quare non moriar, ut in æterna secula vivam?* Et tunc clamabat voce magna, dicens: *Daciane, Daciane, fac voluntatem patris tui diaboli.* Et jussit eum Dacianus imperator comprehendi et ligatum jactari super rotam et minari rotam in gyro. Et ridens Dacianus imperator, dixit: *Ubi est Deus tuus?* Et partitus est in decem partibus, et jussit eum imperator in puteo deserto mitti et includi cum lapide.

Et abiit imperator ad prandium. Venit autem Dominus de cœlo cum angelis suis et stetit super puteum, et statim terræ motus factus est magnus. Et misit Michaelem principem angelorum Dominus, dicens: *Tibi dico, princeps militiæ cœlestis, descende in puteum, et revoca servum meum Georgium.* Descendens autem angelus, collegit omnia membra ejus et misit Salvator manum et dixit: *Ipsa dextera quæ plasmavit primum hominem Adam, ipsa te resuscitet.* Surrexit beatus Georgius, et dixit ei Dominus: *Vade, confunde Dacianum, inimicum tuum.* Tunc beatus Georgius venit cum gaudio magno, et exclamavit dicens: *Daciane, ubi sunt pœnæ tuæ? Ecce ego Georgius hic sum, quem tu in decem partes partitus es. Venit Dominus meus et resuscitavit me.* Videns autem eum imperator, timore comprehensus est, et dicebat:

Spiritus ejus est. Alii autem dicebant : *Similis est illius.* Sanctus Georgius ...

Inde jam codex et editio Mombritiana (p. 8, col. 2, lin. 5 a fine) easdam res referunt, hoc uno excepto quod in cod. narratur de thronis quatuordecim qui orante S. Georgio reversi sunt in formam arborum unde primum fuerunt efformati.

10° Passio S. Judæ, a quo crux Domini inventa est, quem et Helena cognominari jussit Quiriacum, quod est quarto Nonas Maii (fol. 16^{v}-19^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, p. 449-450 (Prologus editus ibidem, p. 445) — Variant subinde lectiones.

11° Passio SS. martyrum Alexandri, Eventii et Theodoli (fol. 19^{r}-21^{r}).

Ea est Passio de qua actum in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 506, 7°. Vid. Append.

12° De inventione sanctæ Crucis (fol. 21^{r}-24^{r}).

Idem textus atque in codice Namurcensi 53, 5°. Cfr. *Anal. Boll.*, tom. I, p. 506, 5° et tom. II, pp. 282, 283.

13° Gesta sanctissimi viri beati Gengulphi martyris (fol. 24^{r}-28^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 644-648.

14° Passio SS. martyrum Gordiani, Marinæ conjugis ejus, et Januarii presbyteri, quod est sexto Idus Maii (fol. 28^{r}-29^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Maii, tom. II, p. 552-553.

15° Gesta SS. martyrum Nerei et Achillei fratrum, S[tæ] Domitillæ virginis et martyris. Et aliorum plurimorum sanctorum martyrum. Quorum festum IIII Idus est Maii (fol. 29^{r}-33^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Maii, tom. III, p. 1-12. — Sed in cod. numm. 15-17 om.

16° Passio SS. virginum Domitillæ, Eufrosinæ et Theodoræ, Sulpicii et Serviliani (fol. 33^{r}-34^{r}).

Edita ibidem in Actis sanctorum Nerei et Achillei, pp. 12, 13 seu numm. 21-25.

17° Passio S. Pancratii martyris (fol. 34^{r}-34^{v}).

Edita in *Analect. Boll.*, tom. II, p. 289-291.

18° Vita S. Servacii episcopi Tungrensis (fol. 34^{v}-37^{r}).

Edita ope hujus codicis in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 94-104.

19° Translatio S. Nicolai Mirreorum archiepiscopi (fol. 37^{r}-41^{r}).

Edita apud Nic. Carminium Falconium, *S. Nicolai Acta primigenia*, Neapoli

1751, p. 131-139. — Sed num. 1 incipit ut in Cod. Namurc. 53 (Vid. *Anal. Boll.*, tom. I, p. 507, 9°, nisi quod in cod. post *Calabritidis* legitur sic : *et Siculis domno Rogerio,* et omissa sunt verba : *una cum genetrice sua domna Sichelgaita.* Deinde eodem num. post *Antiochiam* additur : *secum connexis novem Tranensibus, duobus Monopolitanis.* Rursus omissa sunt in cod. eodem num. : *Deinde direxerunt-voluntates implere* (apud Falconium, p. 131, col. 2, lin. 6 a fine — p. 132, col. 1, lin. 4).

Num. 10 nonnisi prima phrasis legitur in cod. *(Igitur-bucte illa)*, immo in cod., pro *bucte*, *begete.*

Num. 11, pro *altare S. Benedicti* legitur *altare S. Benigni.*

Num. 12, pro *episcopium* legitur *Epirium*, pro *Eustratii* vero *Eustachii.*

Num. 13 init., pro *devenit-decima* ita legitur : *translatum est in Varim die dominico hora vespertina, depositumque e navi receptum est in basilica sancti Benigni, ut jam relatum est.*

Num. 14 sub fine, post *Quod ita factum est*, ceteris om. additur : *Quid multa... sanitatem* (videsis *Anal. Boll.*, tom. I, p. 508).

20° Vita Beati presbyteri, quod est septimo Idus Maii (fol. 41r-42r).

Vita rebus narratis haud absimilis illi quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 9 Maii, tom. II, pp. 365, 366. — Sed identidem stylus diversus est et quædam omissa.

Inc. Igitur quando provinciis plurimis bellices et Aquitanicis tota etenim Germania manus regebatur publica ...

Nec dicitur S. Beatus in Galliam primum transisse, nec a B. Petro missus. Ex cod. dum alii a B. Petro mittebantur, ipse S. Beatus sponte egressus est ad prædicandum evangelium. Num. 4 pro *Vendonense* legitur *Vindosinensi.*

21° Vita S. Antimi presbyteri et aliorum (fol. 42r-45r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 616-619.

22° Passio S. Victoris martyris et Coronæ, quod est secundo Idus Maii (fol. 45r-46v).

Ea est Passio, sed contracta subinde, quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 14 Maii, tom. III, p. 266-268. Cfr. *Anal. Boll.*, tom. II, p. 291-299.

23° Passio SS. Petri, Pauli, Andreæ, Nychomachi et Dyonises, quod est Idus Maias (fol. 46v-47v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Maii, tom. III, p. 452-453. — Multas habet cod. lectiones variantes.

24° Vita S. Urbani papæ quod est VIII Kalendas [Junii] (fol. 47v-49r).

Acta de quibus est sermo in *Act. SS.*, ad d. 25 Maii, tom. VI, p. 6, num. 4. — Priorem Vitæ partem quæ minus convenit cum editis hic subjicimus, notantes insuper in codice nihil referri præter mortem ac sepulturam beatissimi papæ.

Urbanus, urbis Romæ episcopus, communi mortalium nobili-

tate insignis, divina ac prædicabili nobilitate insignior, a cunabulis christianus inter filios Dei connumerari promeruit. Hic puerulus, gratia Dei præventus, studiis liberalibus mancipatur, et quidquid de studiis secularibus capiebat armario pectoris recondebat, ut postmodum Deo præliaturus haberet quibus se armis contra mundi illecebras defensaret. Adultus vero et adolescentiæ incentiva persentiens, molestos sanctæ animæ carnis appetitus voluntaria maceratione frenabat, et pane modico atque aqua brevi sobriam nutriens castitatem curam corporis in desideriis non agebat, illud Ecclesiastici in corde revolvens : *Adolescentia et voluptas quoniam vana sunt.* His atque hujusmodi artibus homo virtutis ædificans semetipsum in robur virile evasit, et populi votis in ecclesiasticis honoribus ampliatus ad gradum sacerdotii meritis præcedentibus est provectus.

Quo divina jussione potitus, religioni se totum attribuit, et profundos fidei sanctæ thesauros ore manibusque dispertiens, secundum Salomonem, solus habebat, nec admittebat alienos participes. Meditabatur in lege Domini die ac nocte; repugnabat impiorum consiliis de cathedra justitiæ, utilem ad omnia pietatem eruditus. Quia tunc diabolus adhuc regnabat in capite, Romani principes cultibus erraticis deserviebant; resistentes quoque atrocius laniabant.

Calixto autem prædecessori suo per martyrii palmam cœlo suscepto cum multis, Macrino imperatore militante simulacris, Urbanus a fidelium populo eligitur et coronæ concupiscentia ad curam pastoralem suscipiendam non difficilis invenitur. Præcesserant in eum carismata gratiarum neque a neophytis noscebatur ad promovendum, quippe qui et ætatis maturitate et virtutum soliditate incanuerat. Accingitur miles emeritus ad doctrinam tirocinii, et exemplo instituens bellatores pons salutis effectus est.

Excitatur in eum morbus antiquus invidiæ et omnia ei diabolus mala ad firmamentum idolatriæ perquirebat, præsidi in foro, in plateis, ante reges et præsides Urbanum incusantes, destructorem religionis antiquæ, arte magica superantem ceteros quos severitas principalis abstulit. Abscondebatur, sæpius quæsitus a perfidis, plerumque pietate fidelium obstante : at miles impatiens prorumpebat in publicum. Tradebatur innocens a nocentibus, ad reorum judicia tribunalibus sistebatur. Sed defensione innocentiæ, reverentia senectutis, auctoritate rationis, serenitate et dulcedine affabilitatis insaniam furentium deliniebat. Rerum multotiens

proscriptionem passus, in corde suo dives patientia loquebatur : *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quin neque ablaturi sumus.* Prohibebatur cum tremore minarum ne verbum prædicaret; sed ipse illud beati Petri, magistri sui, respondebat : *Obedire magis oportet Deo quam hominibus.* Damnabatur ab urbe, sed recedens quoque clanculo a fidelibus retrahebatur. Manebat tamen frequentius tertio ab urbe milliario, indeque fidelis ac prudens familiæ Domini ad se confluenti triticum salutaris doctrinæ mensura competenti sedulus erogabat.

25° Vita Stæ Petronillæ et passio sanctorum Felicolæ et Nicomedis presbyteri, quod est pridie Kal. Junii (fol. 49v-50r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Maii, tom. III, in Actis sanctorum Nerei et Achillei, pp. 10, 11, num. 15-17. — Sed prima phrasis num. 15 et duæ ultimæ num. 17 in codice omissæ sunt.

26° Passio SS. martyrum Marcellini et Petri (fol. 50r-51v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Junii, tom. I, p. 171-173. — At in cod. ante initium num. 7 hæc leguntur :

Ad Petrum autem conversus ait : *Nolo te existimes equuleo et lampadibus iterum esse torquendum; sed ad stipitem cras ligaberis, et ferarum morsibus attrectatus vitam finies, si hodie diis non sacrificaveris.*

Et omissa est ultima phrasis (cfr. tom. cit., p. 173, annot. *n*).

27° Passio S. Bonifacii archiepiscopi et sociorum ejus (fol. 51v-55r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Junii, tom. I, p. 478-481. — Prologus deest.

28° Vita S. Odulphi confessoris, quod est pridie Idus Maii (fol. 55r-57r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Junii, tom. II, p. 593-595. — Prologus deest.

29° Passio SS. Primi et Feliciani, quod est septimo Idus Junii (fol. 57v-59v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Junii, tom. II, p. 152-154, adjectis tamen in cod. quæ edidimus ad cod. Bruxellensem 64 (supra, p. 10, 37°).

30° Passio S. Barnabæ apostoli, quod est tertio Idus Junii (fol. 59v-61r).

Edita in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 356-357.

31° Passio SS. Viti et Modesti martyrum, quod est XVI Kalendas Julii (fol. 61r-65r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Junii, tom. II, p. 1021-1026. — Sed num. 1 in codice ita contractus legitur : Tempore quo Valerianus præses sub Diocletiano imperatore persecutionem christianorum exercuit, pervenit ad eum quod beatus Vitus...

Item num. 17 ultima phrasis : ... beatæ animæ cœlum c. g. p.

Et num. 19 : Vicini vero sanctorum corpora cum aromatibus condientes, sepelierunt ea honorifice in loco qui dicitur Marianus. Passus est ...

32° Passio decem milium martyrum, quod est decimo Kalendas Julii (fol. 65r-66v).

Contracta ex Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Junii, tom. IV, p. 182 sqq. — In cod. loco prologi hæc leguntur :

Sub Adriano et Anthonino imperatoribus passi sunt una die decem milia martyrum, quorum gesta videtur Anastasius apostolicæ *(sic)* bibliothecarius de græco transtulisse in latinum eloquium.

33° Passio Septem Dormientium, quod est quinto Kalendas Augusti (fol. 66v-71v).

Acta haud multum diversa ab iis quæ edita sunt in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 252 sqq.

34° Passio SS. Johannis et Pauli, quod est sexto Kalendas Julii (fol. 71v-74r).

Edita apud Mombritium in Actis S. Gallicani, tom. I.

35° Passio SS. Petri et Pauli apostolorum, quod est III Kalendas Julii (fol. 74r-80r).

Passio auctore, ut fertur, S. Marcello, edita apud Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti*, Part. III, p. 632-653.

36° Passio SS. Petri et Pauli apostolorum (fol. 80r-85v).

Incip. Igitur post corporeum Dominicæ nativitatis adventum atque gloriosam ejus in cœlis *(sic)* ascensionem, cum beatus Petrus in Iherosolimis et reliquis civitatibus Judæorum prædicaret verbum Dei ...

Et inde sequuntur quæ edita apud Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti*, Part. I, cap. V-XX, p. 409-441, subinde nonnullis additis vel omissis. Majus vero discrimen illud est quod loco cap. XIV hæc alia fabula est inserta (fol. 82v, col. 2 med.) :

Post hæc autem Petrus Romam veniens multas turbas populorum ad fidem Domini nostri Jesu Christi prædicatione sua convertit. Ante omnia castitatis gratiam pectoribus eorum inserebat, adhortans credentes in Christo ut pudice et con-

tinenter se agerent. Magnus itaque exarsit pudicitiæ amor. Etiam plures feminæ munda corpora a commixtione virili servare cupiebant, ita ut etiam Agrippina et Eufemia et Eucharia et Dyones castitati se devovissent, quæ erant concubinæ præfecti Agrippæ. Postquam enim crediderunt in Christum, nullo modo ei ad obsequium concubitus acquiescere decreverunt, confortatæ a Domino nostro Jesu Christo. Videns autem Agrippa præfectus quod Petri doctrinam secutæ sunt et libidinem unanimiter sprevissent, cœpit eis indicere minas nimias, eo quod et ipsas incendio concremaret. Sed nunquam potuit ad inquinamentum eas commixtionis inflectere, quia apostolico sermone fundatæ erant. Dixeruntque ad invicem : *Melius est nos cuilibet pœnæ pro castitate succumbere quam Christum, cui castitatem devovimus, recusare.* Indignabatur enim Agrippa in apostolum et fremebat dentibus suis super eum, quærens occasionem ut eum potuisset occidere. Interea post hæc in conventum senatus surrexerunt quidam senatores, qui et dixerunt : *Suggerimus amplitudini vestræ, nobiles viri, quod ad perversionem urbis æternæ Petrus connubia divortiis mancipat, uxores nostras a nobis omnino disjungit et nescio quam nobis novam et inauditam legem induxit.* Et hæc dicentes incitabant etiam alios ad tumultum et appellationem. Tunc Agrippa gloriatus est quia quod optabat Petro sub occasione invenit.

37° Passio beati Pauli apostoli per beatum Linum conscripta (fol. 85v-91r).

Pars prior hujus Passionis edita est apud Fabricium, tom. modo cit., p. 441-449, seu cap. I-V ; posterior vero in *Maxima Bibliotheca veterum Patrum*, tom. II, p. 70-73, seu lib. II.

38° Passio S^tæ Margaretæ virginis, quod est tertio Idus Julii (fol. 91r-95v).

Edita, stylo subinde mutato, apud Mombritium, tom. II.

39° Vita S. Alexii (fol. 95v-98r).

Vita stylo diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 17 Julii, tom. IV, p. 251-253. Vid. Append.

40° Vita S. Frederici episcopi Trajectensis, quod est XVI Kalendas Augusti (fol. 98r-106v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Julii, tom. IV, p. 460-470. — Brevis relatio ablati a reliquo corpore capitis S. Frederici (edita ibid., p. 454, num. 8), sequitur in cod. post Vitam.

41° Vita S. Arnulphi Metensium episcopi, quod est xv Kalendas Augusti (fol. 106v-110r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Julii, tom. IV, p. 435-440. — Sed in cod. desideratur fere totus num. 7 et præterea clausula.

42° Vita Stæ Mariæ Magdalenæ, quod est undecimo Kl. Augusti (fol. 110r-116v).

Prima pars Vitæ, quæ scilicet desinit in his verbis : *breviter percurramus* (fol. 112r, col. 1, lin. 13 a fine), edita est ap. Faillon, *Monuments inédits sur l'apostolat de sainte Marie Madeleine,* tom. II, col. 437-443. — Sed post verba *exorta natalibus* (col. 437), additur in codice (cfr. cod. Bruxell. 98-100, supra, p. 31, 44°) :

Utpote regia ex stirpe descendentibus beatissima Maria Magdalena, et cujus pater Syrus vocatus est, et mater Eucharia nuncupata ; uterinique ejus Lazarus et Martha fuerunt. Ad progenitores quoque suos dominium maximæ partis Jerusalem et totius Bethaniæ et Magdali castelli pertinuisse dinoscitur. Quam non solum ...

Secunda pars (quæ pertingit usque ad fol. 114v, col. 2, lin. 4), longo sermone refert quæ nos hic compendio exhibemus :

Beata Maria Magdalena S. Maximino, qui erat de septuaginta Christi discipulis, a S. Petro commendata, una cum eo et aliis multis Massiliam venit : ubi in porticu quæ præerat fano illius gentis pernoctans, facto mane gentibus ad idola confluentibus Christum annuntiat, et altero ab adventu die ipsius regionis præposito qui cum uxore ad templum diis sacrificaturus venerat. Hos, utpote divitiis abundantes, in somnis monet beata Magdalena suæ inopiæ subveniant. Eleemosynis autem erogatis, mulier hucusque sterilis utero concepit. Tunc vir ut experiretur num vera essent quæ de Domino Jesu beata Magdalena prædicaret, accepto ab ea in humero signaculo crucis cum uxore gravida Hierosolymam peregrinatus est. At suborta tempestate mulier præmature enixa moritur. Quam cum fetu mortuo in insula deserta maritus superstes decenter composuit. Inde pergens suum iter, Hierosolymis a B. Petro excipitur. Elapso biennio in patriam revertitur, divertens tamen ad insulam ubi sibi carissima jacebant sepulta. Ibi primum pueruIo viventi occurrit ; dein reperit uxoris suæ funus omni corruptione illæsum, dormientis speciem habens. Tunc fusa oratione mulier revixit. Quæ marito testata est se comite B. Maria Magdalena iter Hierosolymitanum suscepisse.

Tertia pars quæ incipit *Interea Maria Magdalena* (fol. 114v, col. 2, lin. 4) edita

est apud Faillon, tom. cit., col. 445-451, num. 3) his variantibus : 1° Post *insignibus coruscare* (ed. col. 450) additur in codice :

Notandum est a fidelibus tres celebrari quadragesimas. Quarum primam paschalis solemnitas, secundam quandoque terminat Assumptio gloriosæ virginis Mariæ, in qua pia Maria Magdalena de carnis ergastulo soluta migravit ad Christum, quem hic vidit, manibus propriis tetigit, in quem constanter credidit, quem toto corde dilexit. Tertia nativitatem nostri Salvatoris præcedit. Has omnes quadragesimas prælibatus sacerdos felici consuetudine devote observans, visioni sibi cœlitus ostensæ in secunda quadragesima optatum excepit effectum. Igitur illucente Dominicæ resurrectionis ...

2° Rursus post *erubescens obtulit* (ed. col. 451) additur :

Et qualiter circa sepulcrum Domini sedula fuerit et quomodo ei Dominus primo apparuerit et ad apostolos apostolam direxerit, eisque a Domino quod sibi injunctum fuerit nuntiaverat, eminens sepulcri depromit sculptura. Imminente vero... *(pergit ut col. 416)*... locum decorant, in quo suis supplicibus plura corporis et animæ præstant beneficia sospitatis. Quicumque beatæ Mariæ Magdalenæ implorat auxilium et patrocinium, petitionis suæ meritis ejusdem salutarem indubitanter consequitur effectum. Vocatur autem cœnobium beati Benedicti in quo nunc honorifice ac feliciter requiescit Viziliacum, in provincia Burgundiæ, in episcopatu Eduensi. Nos igitur, fratres karissimi, qui gratiam conversationis suppliciter flagitamus, contemplemur opera misericordiæ Dei in hoc speculo pœnitentiæ, considerantes cum hac beatissima ac specialissima dilectrice Domini nostri Jesu Christi quid fecerimus, et ad pedes Domini in lamentis resoluti cum pia et largiflua gratiæ Maria Magdalena nostra facinora defleamus, ut ad fontem gratiæ, veniæ, pietatis cum hac gloriosa pœnitente ablui mereamur ab vinculo *(sic)* vitiorum, ipso Dei Filio Jesu Christo præstante, qui cum Patre et Spiritu sancto super omnia est Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

43° De translatione S^tæ^ Mariæ Magdalenæ (fol. 116^v^-118^r^).

Editum apud Faillon, tom. paulo superius cit., p. 745-752, cum ea tamen discrepantia quam notavimus ad cod. Namurcensem 53 (vid. *Analect. Boll.*, tom. I, p. 516, 69° et tom. II, p. 321).

44° De miraculis beatæ Mariæ Magdalenæ (fol. 118r-119v).

Editum apud Faillon, tom. cit., col. 737-742, scilicet num. IV-VI. — Sed vox omissa apud Faillon, num. IV, legitur in codice *cruretenus ;* num. V, post *cognoverat liberatum,* ceteris omissis ita concluditur : *Mirifica perfectæ fidei executio, exiliere a multorum cruribus vincula.* Num. VI, omisso initio, incipit a verbis *Non est inconveniens...* Verba omissa apud Faillon col. 742, hæc sunt :

Pro pudore enim erat insuper etiam nuptam ab hujusmodi macula notari. Vir quippe ejus eam dimiserat.

Tandem pro ultima paragrapho ita cod. :

De quibus, ne videamur legentes onerare, omisimus plura referre quæ et ibi usque hodie Dominus Christus non desinit patefacere sua largiflua pietate. Qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat Deus per immortalia secula seculorum. Amen.

45° Passio Appollinaris episcopi, quod est decimo Kalendas Augusti (fol. 119v-123v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 23 Julii, tom. V, p. 344-350. Quæ in ea editione sunt inclusa uncinis, in codice ut plurimum non leguntur.

46° Passio S. Jacobi, quod est octavo Kalendas Augusti (fol. 123v-125v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

47° Passio S. Cristofori martyris, quod est VIII Kl. Augusti (fol. 125v-128r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 25 Julii, tom. VI, p. 146-149. — In cod. non paucæ occurrunt lectiones variantes; sub finem num. 15, post verba *salvi fiant,* sequuntur ea quibus terminatur num. 16, *Hanc orationem constituit... ;* tandem notatio temporis (extremi num. 15) totam concludit Passionem.

48° Passio S. Jacincti martyris, quod est septimo Kalendas Augusti (fol. 128r-128v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 26 Julii, tom. VI, p. 304. Cfr. Acta S. Cæsarii diaconi ad d. 1 Novemb., tom. I, e quibus Acta S. Jacincti fere ad verbum, mutato tantum nomine sancti, sunt desumpta.

49° Passio S. Panthaleonis martyris, quod est quinto Kl. Augusti (fol. 128v-133r).

Hæc Passio proxime accedit ad eam quæ edita est in *Bibliotheca Casinensi,* tom. III, Florilegii p. 246-251. — Sed in cod. *a*) tam in oratione ad Deum quam in responsione ad imperatorem fusior est sermo sancti martyris. *b*) Initium Passionis illud est quod habetur apud Mombritium, tom. II. *c*) Relata commutatione divinitus facta nominis Pantaleonis in Pantaleymonis (tom. cit., p. 251, col. 2), subjungitur :

In tantum adimplet Dominus promissam suam gratiam, ut nullus ad reliquias martyris Christi Pantaleonis veniens cum vera fide non consequatur continuam corporis sanitatem. Sed et si infidelis vel paganus ad reliquias ejus properaverit, nullo modo inanis potest esse petitio : ut etiam propter sanitates corporeas multi convertantur per omne tempus ad Dei scientiam, et per Dei largissimam gratiam læti revertantur ad sua, habentes duplicatam gratiam.

d) Sub finem, post verba *corpus sancti martyris comburi* (tom. cit., p. 251, col. 2, lin. 9 a fin.) sequitur :

Et cum præcepisset, milites noluerunt hoc facere, contemnentes præceptum regis propter visionem et vocem quam audierant. Tunc jussit rex alios adduci, ut ipsi adimplerent hoc. Et venientes milites fecerunt sicut jussit, comburentes semen, et corpus reliquerunt in ipso loco.

Illos autem milites pro quibus oravit beatissimus martyr, jussit sibi præsentari. Quibus et dixit : *Quam insaniam passi noluistis adimplere præcepta regis vestri? Nescitis quia in mea potestate est vita vestra?* Et mox responderunt, et dixerunt : *Mortificare per malitiam patris tui diaboli habes potestatem, sicut et ille semper adversarius et homicida generis humani fecit ab initio. Vivificandi non habes potestatem, nisi Dominus Christus, qui propter plasma suum induit carnem de sancta Virgine, ut a carnalibus vitiis nos liberaret et a vanissimis culturis idolorum, in quibus tu cæcatus videris, quemadmodum usque nunc et nos. Sed ipse creator et pastor bonus vocavit nos per famulum suum Pantaleonem : qui etiam spatam in cervice ejus redegit et sicut ceram duplicavit ; et audivimus vocem cœlestem eum invitantem ad regnum claritatis, et vidimus plantulam quomodo sub momento tantos fructus exhibuit et de sancto ac venerabili ejus corpore pro sanguine lac inundaret. Ad talia erga signa et prodigia quis non crederet? Ita nos et tibi similes vis esse, qui tantum vidisti fieri per Dei servos, et obcæcatus et amens factus non intellexisti tuum creatorem? Unum noveris : quod non excusabilis eris in die magni judicii Dei, et reus et confusus accipies cum patre tuo diabolo sententiam æternam ; et nullam misericordiam consequeris, quia sciens omnem veritatem extitisti Deo adversarius et tantas multitudines christianorum interfecit gladius jussionis tuæ. O miser et caduce, aliis acquisisti vitam æternam et immarcessibiles coronas ; tibi autem mortem æternam et incessabiles* cruciatus. Iniquissime, responsum daturus es creatori tuo, qui tibi concessit hoc regnum temporale et quia*

* *cod.* incessibiles.

audisti et vidisti cæcos illuminatos, et paralyticos continuam sanitatem recuperasse. Et cum hoc audisset, rex furore nimio repletus jussit eos gladio consumi. Quod et adimpletum est, et acquisierunt coronas martyrii, similiter omnes, cum justo Dei, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

50° Passio S. Felicis papæ, quod est quarto Kalendas Augusti (fol. 133v-134r).

Edita apud Mombritium, tom. I.

51° Passio SS. Simplicii et Faustini, quod est IIII° Kl. Augusti (fol. 134r-134v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Julii, tom. VII, p. 36.

52° Vita S. Germani Antisiodorensis episcopi, quod est secundo Kl. Augusti (fol. 134v-142r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Julii, tom. VII, p. 200-221. — Sed in cod. desiderantur prologus et numm. 2-8, 17-37, 42-44; num. 44 (præter primam phrasim), num. 58, argumentum libri primi et secundi, num. 60 (præter primam phrasim), numerus 66 totus præter initium et finem, denique pars posterior numeri 77.

53° Passio S. Stephani papæ, quod est quarto Nonas Augusti (fol. 142r-145v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Aug., tom. I, p. 139-144. — Cod. exhibet num. 2 lectionem indicatam in annot. *d*, p. 141; et num. 14 lectionem indicatam in annot. *l*, p. 144. Deinde passim quædam sunt omissa vel contracta. Sic num. 11 om. *unde æstimo-cœlestem perrexit*; num. 17, om. *sed tribue-emundata est*; num. 18 prima responsio S. Stephani ad Valerium ita contracta legitur : Ego quidem non everto, sed moneo, ne pereant cum diabolo in æternum. Num. 20 contrahitur hocce modo : Eadem hora pergit beatus Stephanus cum omnibus christianis usque in domum sanctæ Lucinæ, et ibi obtulit sacrificium Deo omnipotenti.

54° De inventione S. Stephani protomartyris, quod est tertio Nonas Augusti (fol. 145r-147v).

Editum apud Surium, ad d. 3 Augusti.

55° Vita S. Dominici confessoris, primi patris Ordinis Prædicatorum (fol. 147v-158v).

Est Vita auctore B. Humberto, Magistro Ordinis Prædicatorum V, de qua Echard et Quetif, *Scriptores Ordinis Prædicatorum*, tom. I, p. 147 : *Extat etiam* (hæc scilicet Vita) *apud nostros Parisienses ad S. Honorati, codice sec. XIII memb. 8, ex quo in notis ad Vitam a B. Jordano et ad alteram a Constantino scriptam quæ addidit vel resecuit vel similia habet, lectorem monuimus.* Prima harum Vitarum edita est apud auctores citatos, tom. I, p. 2 sqq.; altera ibid., p. 23 sqq. — Cfr. *Act. SS.*, ad d. 4 Aug., tom. I, p. 360, numm. 14, 15.

56° Passio S. Laurentii martyris et aliorum plurimorum sanctorum martyrum (fol. 158v-159r).

Sub hoc titulo ponuntur quæ edita sunt tum ap. Mombritium, tom. II, tum in *Act. SS.* ad d. 17 Feb., tom. III, p. 5, ab initio num. 3 usque ad hæc verba : *afflictionibus necavit.*

57° Passio S. Polycronii et discipulorum ejus (fol. 159r-159v).

Edita ap. Mombritium, tom. II. Incipit : *Eodem tempore invenit in civitate Babilonia.* Desinit : ... *ne quis sepeliret eos,* ultima phrasi omissa.

58° Passio SS. Abdon et Sennen subregulorum (fol. 159v-160v).

Partes quibus constat hæc Passio editæ sunt. Scilicet initium ultima phrasis est Passionis S. Polychronii apud Mombritium editæ ; deinde venit num. 1 Passionis SS. Abdon et Sennen editæ in *Act. SS.*, ad d. 30 Julii, tom. VII, p. 137 ; sequuntur quæ edita sunt ibid., ad d. 15 Apr., tom. II, p. 375, scilicet num. 2 ab his verbis : *Eodem die traditi sunt Decio,* cum num. 3, et his adjungitur iterum ex Passione SS. Abdon et Sennen initium num. 3 usque ad *teneri et recludi.*

59° Passio SS. Sixti, Felicissimi et Agapiti martyrum (fol. 161r-161v).

Est pars Passionis eorumdem sanctorum editæ apud Mombritium, tom. II : scilicet omissa est prima phrasis et narratio sistit ad hæc verba *in custodia privata cum duobus diaconibus Felicissimo et Agapito* (p. 1, col. 2, lin. 15 a fine).

60° De sancto Laurentio (fol. 161v-162v).

Editum ibidem. Est enim ejusdem Passionis pars sequens.

61° Passio S. Laurentii (fol. 162v-163r).

Initium Passionis S. Laurentii editæ apud Mombritium, tom. II, usque ad verba *super cæcorum oculos et illuminabantur* (p. 2, col. 1, lin. 23).

62° Conversio Ypoliti vicarii (fol. 163r-164v).

Pars sequens ejusdem Passionis usque ad verba *consolaris servos tuos* (p. 3, col. 2, lin. 21).

63° Conversio et passio Romani militis (fol. 164v-165v).

Reliqua pars ejusdem Passionis usque ad finem.

64° Passio S. Ypoliti et sociorum ejus (fol. 165v-166r).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed in cod., omisso initio, incipit : *Regressus itaque Ypolitus post tertium diem.* Desinit : *lacrimæ non cessabant de oculis ejus* (p. 2, col. 2, lin. 2).

65° Passio sancti Herenei et Abundii (fol. 166r).

Ejusdem Passionis pars sequens usque ad hæc verba : *in crypta in agro Verano* (p. 2, col. 2), lin. 6 a fine).

66° De interitu miserabili Decii et Valeriani persecutorum (fol. 166^r-166^v).

Pars sequens ejusdem Passionis usque ad *factus est luctus magnus in palatio* (p. 3, col. 1, lin. 8).

67° De Sta Triphona uxore Decii et Syrilla ejus filia et aliis quadraginta sex martyribus (fol. 166^v).

Pars sequens ejusdem Passionis usque ad *baptismum perciperent* (p. 3, col. 1, lin. 13 a fine).

68° Dyonisius successor Sixti papa ordinatur (fol. 166^v-167^v).

Ejusdem Passionis pars reliqua usque ad finem.

69° Vita S. Ludovici, regis Cecilie, episcopi et confessoris, quod est XIIII Kalendas Septembris (fol. 167^v-169^v).

Bulla canonizationis S. Ludovici, data a Joanne XXII anno 1317, et edita apud Fontaninum, in collectione cui titulus *Codex Canonizationum*, p. 122-126.

70° Vita S. Philiberti abbatis, quod est XIII Kl. Septembris (fol. 169^v-174^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Aug., tom. IV, p. 75-80.

Appendix ad cod. 380-82.

DE SS. ALEXANDRO, EVENTIO ET THEODULO. (Cfr. supra, pag. 206, 11°.)

Incipit passio sanctorum martyrum Alexandri, Evencii et Theodoli.

1. Residente (1) Aureliano, cum de ceteris interrogatio fieret christianis, vocato Alexandro dixit : *Priusquam tormentis subjiciaris, dic mihi veritatem : et quæ sit lex christianorum, qui catholici, qui hæretici, qui etiam quos cataphrygas vocatis,*

(1) In codice Namurcensi 53 (vide *Analecta Bolland.*, t. I, p. 506, 7°) hæc Passio sic incipit :

Beatus Alexander qui apostolicæ successionis cathedram quinta sessione fidelis pastor conscendit, postquam per divinam gratiam multitudinem senatorum a dignitate seculari deposuit et Christi famulatui mancipavit, immo summa libertate, quanto inexperta tanto magis appetenda, nobilitavit, præfectum quoque Hermem cum uxore et sorore et filiis baptizavit cum mille ducentis quinquaginta servis suis, uxoribus quoque eorum ac filiis, et hac sobole Ecclesiam Christi adhuc filiorum raritate pauperrimam fecundavit. Et non sic plene fecundavit ut Christus huic fecunditati adhuc totum mundum non deberet; sed sicut paulatim per multos sibi laborantes sancta Ecclesia profecit, ita in magna parte per Alexandrum au-

qui neophyti, qui vero judæi; atque ceterarum superstitionum nosse volo defensores. Cum ad hæc Alexander nullum daret interroganti responsum, Aurelianus [1] dixit : *Si interrogationibus meis satis non feceris, scias te verberibus attractandum.* Alexander dixit : *Aureliane tyranne, quid est quod talia temerario ausu perquiris? Scrutatus es omnem mundum et universarum provinciarum philosophos, in quibus error varius regnat, quasi magistros audisti : nunc ad sacratissimos apices Dei audacter accedis; quasi tibi non sufficiunt ea quæ a tergiversatoribus didicisti. Erras, si te putas non credendo, sed discutiendo a christianis hominibus erudiri.* Aurelianus dixit : *Artificiosa loquacitas tua est. Non mihi seductiones vanas et astutias, sed veritatem dic. Non enim ante judicem quemcumque, sed ante eum loqueris cujus potentiam totus expertus est mundus.* Alexander dixit : *Noli de potentia tua gloriari : prope est enim ut desinat posse qui in potentia sua gloriatur.* Aurelianus dixit : *Ideo permitteris loqui, miserrime, quia per varia tormentorum genera anima tua extorquenda est.* Alexander dixit : *Nihil novum facturus es. Quis enim innocens manus evasit tuas? Soli illi vivunt qui negaverunt se esse servos Christi. Ego autem quia scio me ejus servum, et certus sum nunquam me meum Dominum negaturum, necesse erit ut a te interficiar, sicut et omnes conservi mei, quibus suave fuit magis sanguinem fundere quam bonæ servitutis amittere libertatem.* Aurelianus dixit : *Dixi jam idemque jam repeto : cessant verba, quia verbera*

gmentum suæ progressionis habuit. Quirinum etiam tribunum cum filia Balbina et cum omni domo sua et cum omnibus qui eo tempore sive pro fide Christi sive pro suis sceleribus in custodia tenebantur in professione deitatis sancto Hermeti conjunxit, et sic eos fidelitate Christi firmavit, ut pro eo mallent mori quam vel leviter sive ignoranter quod minimum est in legibus ejus prævaricari.

Quos Aurelianus comes, a Trajano imperatore missus christianos extinguere, ad idolatriam impellens, expavit hos duos, Hermetem scilicet et Quirinum, sic consuetæ professionis ritum abhorrere quasi omni tempore quo deos coluerunt damna, pericula, honoris jacturam passi sint, cum e contrario læta prosperitas ignorare eos fecerit quid plorat damnosus, quid dolet periculis afflictus, quid verecundatur princeps de dignitate depositus. Unde dictante feritate cordis punivit in corpore eorum fortitudinem animi, et non sic punivit ut vinceret spiritum animo præsidentem, qui visibiliter nescit vinci neque tormentis materialibus opprimi. Dictavit ergo sententiam ut Hermes gladio puniretur, Quirinus vero lingua abscissa in æquuleum suspenderetur, postea autem manibus et pedibus amputatis gladio consummaretur. In carcere autem baptizatos jussit Aurelianus cum navi vetusta in altum maris deduci, et illic ligatis ad colla lapidibus mergi in profundum maris. Talia erant lucra, tales fructus beatissimi Alexandri, quibus Dominicum horreum studiose laborabat implere. Sed messe sua fideliter cum suorum prædecessorum messibus comportata, dum timuit se minus omnibus in area Domini contulisse, semetipsum studuit ad cumulum suorum fructuum, quasi qui præmissos martyres condecoraret, apponere. Unde, cum post martyrium prædictorum sanctorum quæreretur, non se occultavit, sed quærentes se non passus diutina inquisitione fatigari facilem citamque sui inventionem fecit.

Residenti ergo Aureliano oblatus, discussione ceterorum intermissa, ipse ab ipso principe his verborum initiis cœpit exagitari : *Priusquam*, inquit, *tormentis...*

[1] *prius* imperator ; *at corr. substituit passim appellationem* comitis.

jam præsto sunt. Alexander dixit: *Non ego timebo verbera quæ tempore transeunt et inter mortes finem inveniunt; sed illas pœnas timeo quæ Christum Deum esse negantes expectant.* Aurelianus dixit: *Doce ergo me quæ te interrogabo, ut, cum mihi secreta vestra manifestaveris, ductus ratione credam et ego Deo tuo.* Alexander dixit: *Cum diabolus tentaret Dominum, panes fieri ab eo ex lapidibus persuadebat, et, dicens angelorum manibus ferendum, ut de pinna templi se mitteret suggerebat; atque ostendens ei regna et potentiam mundi, se ei donaturum hæc promittebat, si ab eo fuisset adoratus. Cui et illa terga vertens, clamabat: Non tentabis Dominum Deum tuum. Quia ego novi te filium diaboli, dico tibi: Non tentabis servum Dei.*

2. Tunc Aurelianus iratus jussit eum in equleo suspendi. Cumque suspensus Alexander a carnificibus torqueretur, nulla penitus vox ab eo emittebatur; sed tantum cœlo fixis oculis suum Deum animi vocibus exorabat. Tunc Aurelianus dixit: *Nega Deum tuum, Alexander, quia ecce, quod probas, non potest te eripere de manibus meis.* Alexander dixit: *In tantum falleris, stulte, ut non intelligas quia anima mea nec terrore concutitur nec caro mea doloribus subjugatur? Hoc ergo mihi quis præstat, nisi ipse quem non ero penitus negaturus?* Aurelianus dixit: *Considera, miser, quia triginta annorum tibi primævæ juventutis est ætas. Quid est ut lucem amittere non timeas et non metuas ipsum amittere solem?* Alexander dixit: *Ego lucem veritatis et solem justitiæ videre desidero; et ideo istam lucem quam fugant tenebræ et istum solem cui finem noctes faciunt, amittere omnino non curo. Hoc enim solum studeo, ut impleatur in me voluntas Dei.* Tunc Aureliani ipsius uxor nomine Severiana, prorumpens deposita verecundia in tortores advenit, et cœpit dicere: *Quid est quod ausus es virum talem ac tantum injuria tam gravi tormentis afficere?* Cui Aurelianus respondit: *Non erubescis, publicis te tradere aspectibus et passim verba vana jactare?* Severiana dixit: *Tu non consideras quia pro hoc ausu et ipse mori poteris et me viduam derelinquere?* Aurelianus dixit: *Fortasse amicus tuus est.* Et contemnens eam præcepit recipi ad secreta palatii.

3. Cumque moras fecisset non parvas in equleo Alexander, jussit eum deponi et in carceris ima concludi, præcipiens fieri fornacem et ita per triduum succendi ut quasi massa ferri ipsa fornax candesceret. Tunc jussit applicari et Eventium, cui et dixit: *Quid profiteris?* Eventius dixit: *Episcopus sum.* Aurelianus dixit: *Cujus hæresis?* Eventius dixit: *Catholicus sum.* Aurelianus vero considerans plenissimam senectutem ejus injuriis attractari non posse, jussit eum carceri mancipari, Alexandrum vero ad fornacem adduci. Tunc Alexander aspiciens fornacem ignis incendia nimia jaculantem, ingemuit et aspexit ad cœlos. Quem Aurelianus gementem intelligens, dixit: *O Alexander, condolens juventuti tuæ ego lacrimas fundo.* Alexander dixit: *Lacrimæ tuæ malitia plenæ sunt, quæ servum Dei conturbare non possunt. Sed si vis lacrimas fundere, plange teipsum, quia mors tibi in competenti parata est.* Tunc Aurelianus vehementer commotus jussit eum incensæ immitti fornaci. In qua dum mitteretur clamavit, dicens: *Mecum est Pater et Filius et Spiritus sanctus.* Et his dictis cœpit intactus in fornace positus Deo gratias agere, dicens: *Benedico te, qui mihi peccatori, servo tuo, misisti angelum quem misisti sanctis tribus pueris tuis in camino.* Cum hæc et his similia in Dei laudibus dice-

ret, audiens eum Aurelianus, dixit militibus suis: *Attendamus quid miser positus in incendio fabuletur.* Cumque suum applicuisset aspectum, facies ejus semiusta est reddita et media pars chlamydis ejus exarsit. Multi etiam ex militibus ejus ita sunt inflammati ut morerentur. Cumque hæc facta fuissent, ita fornax algore pervasa est ut nive ipsa frigidior esset effecta, in qua Alexander incolumis positus Deo gratias referebat. Tunc Aurelianus jussit eum inde protrahi, et in alio furno ardentissimo mitti.

4. Quod cum fieret, quidam presbyter[1] in populo stans fundebat lacrimas, dicens: O *quam bonum virum, quam sanctum episcopum, quam mirificum doctorem injuste interficit imperator.* Tunc accesserunt auricularii comitis[2] et detexerunt eum in omnibus sermonibus vel quibus fletibus loquebatur. Iratus comes jussit eum adduci. Cui præsentato dixit: *Qui diceris ?* Respondit: *Theodolus.* Aurelianus dixit: *Cujus generis es ?* Respondit : *Christianus sum.* Aurelianus dixit: *Miser homo tu es, qui dispositionem meam ut reprehensibilem culpas.* Theodolus dixit: *Quid*[3] *enim mali fecit Alexander, ut his eum pœnis afficias ?* Aurelianus dixit: *Tu putas quod et tu per magicas tuas evadas incendium ?* Et his dictis, jussit eum in eodem furno jactari. Tunc exclamavit ad Alexandrum, dicens : *Adjuva me precibus tuis, quia ego peccator sum et ignem sufferre non possum, ne forte dum non prævaleo tormentum ignis portare, negem Dominum meum.* Tunc Alexander ait ad eum : *Sta et viriliter age ; initia tua necesse est turbentur et doleant. Cum enim viderit te Dominus fortiter tolerantem et dicentem intra te plane quia ejus nullum pro nomine timebo tormentum, tunc mittetur ad te angelus Domini ac separabit*[4] *a te timorem hominis et omnem a te dolorem exterget.* Cumque oraret Alexander pro eo Dei[5] auxilium, apparuit ei angelus Domini, qui et dixit: *Theodole, crede quoniam parata est tibi corona misericordiæ Dei et non insultabunt tibi increduli. Deus enim tuus verax est et omnia quæ sanctis suis promisit adimplet.* Audiens autem loquentem eum cum Theodolo sceleratissimus comes, jussit iterum alium furnum Dei martyribus præparari. In quem priusquam migrarent, interrogavit Alexander Theodolum dicens: *Quid geris desiderii ? evadere et domui tuæ ac parentibus reddi incolumis, aut mecum pergere ad Dominum ?* Cui Theodolus presbyter[6] dixit: *Memor sum cum Evangelia legerentur, Dominum Jesum Christum dixisse, Qui diligit parentes plusquam me, non est me dignus. Ego enim te jam non desero. Ita enim profecerunt in me orationes tuæ ut corpus meum sentiat nec dolorem. Primum quidem, sicut dixisti, inter initia vehementer cruciamenta sustinui, sed ex ea hora qua orante te merui videre angelum, et timor a me omnis et cruciatus aufugit.* Cui Alexander dixit: *Esto ergo securus et intrepidus, et insulta tyranno æterna morte multando.* Dumque inde fuissent ejecti atque in alio furno nondum incenso transjecti, cœpit ignis ita circumdare furnum ut simul cum ipso furno ministri incenderentur. Tunc Alexander ait ad ministros ipsos: *Quid vultis aurum probatum iterum ignibus examinare ? Numquid novum ignem habetis supponere quem experti jam non sumus ? Verbera, tormenta, catenas et ignem vestrum ita ultro*[7] *contempsimus ut inter ipsa positi de*

[1] *ita post corr.; prius* juvenculus. — [2] *ita post corr.; prius* imperatoris, *et sic porro.* — [3] *cod.* Qui. — [4] *cod.* separat. — [5] *cod.* Deum. — [6] *add. a corr.* — [7] *cod.* ultra.

vestra fatigatione doleremus. Cessate ergo a labore, quia antequam ignes nobis supponatis ambo ex isto seculo properabimus ad Christum. Et his dictis, expandit manus Alexander et dixit : *Rex regum et verus operator, altissime Deus, qui regnas in cœlis, recipe milites tuos quibus victoriam tribuisti.* Cumque hæc dixisset, in ipso puncto ambo pariter ad Deum migraverunt. Igitur nuntiantes ministri Aureliano quid fuisset dictum et factum, perrexit insultare defunctis. Quod cum fieret, subito[1] virga ignita ferrea ante pedes ejus apparuit et audivit vocem dicentem sibi : *Aureliane, accipe bravium meritorum tuorum cum quo in inferno inferiori scias te esse deponendum.* Hæc vox ab omnibus audiebatur ; quis autem esset qui ista loqueretur, penitus a nullo poterat videri. Tunc Aurelianus computabat istam vocem magicis artibus fieri et insultabat defunctis.

5. Jussit itaque adduci et senem Eventium et dixit ei : *Quid tu, decrepite ? Ubi sunt magicæ artes vestræ ? Ecce isti qui juvenes erant, in indignatione mea mortui sunt. Tu quid facturus es, cum iratus tibi fuero, si non sacrificaveris diis meis ?* Eventius dixit : *Corpus meum a senectute fatigatum est, sed anima mea in juventute Christi perdurat. Juvenis sum in timore Dei, et in confessione Jesu Christi perdurans cum istis fratribus meis ad palmam hujus agonis attingo.* Tunc Aurelianus iratus jussit eum in medio eorum corporum applicari, ut ibi positus cremaretur. Cumque fuisset furnum ingressus, priusquam ignis poneretur orans emisit inter eos spiritum.

6. Tunc Aurelianus iratus cœpit et ipsi mortuo insultare. Et subito vox de cœlo a Deo advenit veluti sonus tonitrui, dicens : *Aureliane, scelestissime imperator, istis quibus insultas cœli aperti sunt, ut illuc ascendant ; tibi autem tartarus apertus est, ut illuc descendas.* His dictis, expavit Aurelianus, et factus est color ejus quasi buxeus ; tremor quoque eum frigoris infiniti corripuit, ita ut inter manus ad palatium duceretur. Tunc universi clamabant dicentes : *Magnus est Deus Alexandri et Eventii, qui sic operatus est pro cultoribus suis. Vana sunt idola et vana sunt sacrificia quæ impenduntur Jovi, Minervæ et Junoni vanissimæ. Ubi est Hercules fortissimus ? Descendat et, si valet, imperatorem quotidie sacrificia sibi expendentem liberet.* Suscepit eum itaque uxor sua febrium et frigorum varietate vexatum, improperans ei et dicens : *Ego, verecundia feminei sexus seposita, veluti plebeia ad te festinanter adveni, ut te a Dei cultoribus tolleres ; sed tu pro nihilo me respuens ipse tibi istam perniciem generasti.* Cumque fuisset exemptus dies, non potuit neque cibum sumere neque potum, nec somnum oculi ejus capere poterant. Dicebat autem uxori suæ : *Gravissimæ sunt visiones ante oculos meos : video inter horas turbam circumvallantium me. Nunquam ante oculos meos apparuit tantus exercitus, qui ad me venientes minantur interitum. Nullus inter eos qui non horribilis, qui non immitis, qui non impius, qui non dentibus frendens in quinquagenos cubitus vadit. Altitudo eorum similis est draconibus. Qui et dicunt mihi : Parata est tibi abyssus et vorago ignis. Obsecro te, domina uxor, ora pro me Deum tuum. Puto enim quod Deus mihi christianorum propter duos illos juvenes irascatur.* Severiana vero, uxor ejus, dixit : *Multum ausus fuisti perperam agere, Aureliane. Cucurri ad te*

[1] *cod.* subita.

clamans : Deus christianorum magnus est et multum potens ; et tu penitus audire me noluisti. Ecce ipse morieris et me viduam derelinques.

7. Tunc exclamans Aurelianus dixit : *O nox amara* [1] *in qua rigores me contrahunt et calores incendunt, in qua visiones malæ terroribus* [2] *quatiunt. Ubi est exercitus meus ? ubi est imperium ? Sicut corrigia foco posita ita contrahor, et sicut nervus in cythara ita extendor. Fugit a me virtus, fugit a me imperium, fugit a me regnum, et nec vox pullorum ad consolationem meam auditur. Puto, istam noctem anni comprehenderunt et tenebræ ejus finem non habebunt.* Tunc convocans ad se cubicularium suum, jussit ut accenderentur cerei per totum palatium, ac dicebat eis qui in præsenti erant : *Excitate exercitum ; dicite ut sint parati. Considerate aurum, argentum et vestes, ne forte isti qui ad me veniant, universa diripiant. Quod si mortuus fuero, cuncta aut in mari aut in flumine mittite, ne alius labores meos auferat.* Et conversus ad uxorem suam, dixit : *Roga Deum tuum ut me vivere faciat, et per omnes civitates magnam faciam tibi auream statuam fieri. Omnes enim provinciæ subjectæ sunt mihi per totam terram Orientis et per totam terram meridiani et Occidentis mihi subjectæ sunt. Ecce miser factus sum sicut pulex, in lecto jacens. Mortis hujus timore perterreor et intolerabilis frigoris et ardoris varietate confringor.* Cui respondens Severiana, dixit : *Statuam ego nec quæsivi nec quæro, sed te vivere cupiens orare non cesso. Sed Deus meus ideo me audire contemnit, quia tu ejus sanctos fidelissimos occidisti. Hucque adjicitur quod me ad domum Dei mei semper ire prohibuisti.* Cui cum hæc et his similia uxor diceret, ille confectus cruciatibus variis expiravit. Quo mortuo, congregatus est omnis populus christianus, ita ut ecclesiis patefactis publice omnes sine timore per totam Romam Christum verum Deum esse in conspectu gentium prædicarent : cui est gloria et imperium in secula seculorum. Amen.

DE S. ALEXIO. (Cfr. supra, pag. 211, 39o.)

Sequitur vita sancti Allexii.

1. Temporibus domni Honorii et Archadii erat vir Dei, nomine Euphemianus, bene confidens et timens Deum, in civitate Romana, sub piissimis imperatoribus, et erat prior principibus. Erant autem ei tria millia pueri, succincti zonis aureis, et vestes eorum pretiosæ, et non erat ei filius. Erat autem uxor ejus sterilis, et erat ipsa bene confidens et præcepta Dei custodiens. Ipse homo jejunabat quotidie usque ad horam nonam. Tres mensas ponebat in domo sua, pro orphanis, viduis et pauperibus et peregrinis, et pro iter agentibus et infirmis ; ipse vero ad horam nonam comedebat panum suum. Antecedebat autem in conspectu ejus præceptum Dei. Iste homo fuit dignus ambulare super terram. Mulier autem ejus Aglais, fidelissima et timens Deum, per singulos dies faciebat opera Dei, et postulabat dicens :

[1] *cod.* O vox pessima. — [2] *cod.* tortoribus.

Memento mei, Domine, indignæ famulæ tuæ, et da mihi fructum viri, et tribue mihi pastorem senectutis, consolationem animæ suæ. Memoratus est ejus Deus, et in utero concepit hoc tempore, et peperit filium, et lætatus est homo et uxor ejus in Deo.

2. Quando autem factus est in ætatis disciplina, dederunt eum ad doctrinam grammaticis et ecclesiasticæ historiæ et rhetoricæ disciplinæ, et factus est puer in omnibus sapiens. Itaque cum factus esset puer ætatis, dixit Euphemianus conjugi suæ : *Faciamus nuptias filio nostro.* Et lætata est mulier in sermone viri sui, et occurrens cecidit ad pedes ejus, dicens : *Corroboret Deus sermonem Domini mei, et faciamus nuptias dilectissimo filio nostro, ut videam hoc et lætetur anima mea, et ut confortet pauperes et egenos eleemosynis.* Et desponsaverunt ei puellam de sanguine imperiali et ædificaverunt thalamum, et coronaverunt eos in templo sancti Bonifacii per honoratissimos sacerdotes. Et eduxerunt eos in thalamum, et erant tota die in lætitia usque ad vesperum. Et dixit Euphemianus filio suo : *Intra fili mi, visita nostram nurum et conjugem tuam.* Et intravit in thalamum et invenit eam. Sedensque in subsellio tulit annulum suum aureum et de zonis suis excidit, involvens eum in sudario panneo. Et dixit ei : *Suscipe ista et serva, et Deus erit inter nos, dum Domino placuerit.* Et alia mysteria dixit ei et exiit de thalamo suo et abiit in cubiculum et abstulit de sua substantia et dimisit Romam. Discessit autem Nicopolim et invenit naviculam et introivit in eam, et abiit in civitatem quæ vocatur Magna Landocensis Syriæ. Exiens autem de navicula obviavit animalia turbantia, et cum illis abiit. Dum autem introiret in Hedesum Mesopotamiæ, ibi sine manu factam imaginem Domini Salvatoris et vultum Domini nostri Jesu Christi vidit, quam dedit Abbagaro regi in suavitate ; et introivit in civitatem et vendidit omnia quæ sumpserat secum et dedit pauperibus, et induit se veste pauperum, et sicut petentes sedebat in atrio sanctæ Dei Genitricis, et posuit præceptum sibi, munera Dei sumens. De dominica in dominicam sanctam communionem accipiebat, et facies sua inter brachia et cor ejus erat in Deo, et quod accipiebat donabat pauperibus.

3. Facta est quæstio nimis de illo in Roma, et non inveniebant eum. Et misit pater ejus tria millia de pueris suis qui quærerent eum, et non inveniebant. Dum autem introirent in Hedesum Mesopotamiæ, invenerunt eum et dederunt ei eleemosynam, et non cognoverunt quis esset. Ipse autem homo Dei agnovit eos, et glorificans Deum dixit : *Gratias tibi ago, Domine, qui me fecisti accipere eleemosynam de pueris domus meæ propter nomen tuum.* Reversi sunt autem pueri Romam, nuntiantes domino suo quia non invenimus eum. Mater autem ejus ab hac die ab ipsis nuptiis quando quærebant eum, in sua domo, aperiens fenestram in sua tutatione, cecidit in pavimento ipsa fenestra, et posuit saccum et cinerem in terra, et ibi erat projecta in faciem suam, faciens orationem et dicens : *Non surgam de pavimento hoc, donec agnoscam ubi sit filius meus unigenitus.* Pater autem ejus ab ipso die quo natus est filius non concubuit cum sua conjuge, postulans eam et dicens : *Fiamus appropiantes Deo et abstinentes, ut Deus gaudeat de nobis et de filio quem dedit nobis.*

4. Puer autem fecit annos decem et septem in atrio Dei Genitricis Domino Deo; et ecce imago de sancta Dei Genitrice dicit ad hominem paramonarium : *Fac*

introire hominem Dei, quia dignus est regno cœlorum. Sicut incensum oratio ejus ; et sicut corona imperialis sic requiescit Spiritus sanctus super eum, et sicut splendor solis super faciem terræ sic splendor vultus ejus ante conspectum angelorum. Exiit paramonarius quærens ipsum sanctum, et eum non invenit. Reversus est in templum Dei Genitricis, postulans ut ostenderet ei ipsum hominem. Et ostendit ei, dicens : *Homo qui sedet foris ostium, ipse est homo Dei.* Et apprehendit manum ejus, et introivit cum eo in templum. Tunc dixit ad semetipsum : *Notus sum omnibus.* Et exiit de civitate Hedesa et discessit in Laodiciam, et introivit in naviculam et voluit transire in Tharsum Syliciæ, dicens : *Ibo in templum sancti Pauli, quia non me notum habent in eodem loco.* Navicula autem rapta est a vento valido usque in civitatem Romam. Et exiit ipse Romam, dicens : *Vivit Dominus, quia non ingrediar alicubi, nisi in domum patris mei ibo.* Et sic ignorans abiit, et obviavit ei pater ejus, recedens a palatio cum suis junioribus. Et salutavit eum : *Serve Dei, fac mihi misericordiam pauperi et egeno, et suscipe me in domum tuam, ut de micis quæ cadunt de mensa tua cum pueris tuis replear, et Deus sanctus benedicat annos tuos et donet tibi regnum cœlorum et quem habes in hac peregrinatione Deus benedicat et repleat de sua misericordia.*

5. Pater ejus audiens hæc, pro peregrinis calidus factus est suscipere ipsum peregrinum, et memoratus de suo unigenito filio suscepit eum in domum suam. Et dixit suis propriis pueris : *Quis ex vobis vult servire ei ? Vivit Dominus Deus meus, liber fies et de mea domo accipias hereditatem, et in atrio introitus et exitus domus meæ fac ei grabatum ; et cum introiero et exiero videbo eum ; et non contristes eum in aliquo, et ad mensam meam edat.* Et erat quotidie mater ejus plorans cum dolore et de grabato suo non erigens se. Sponsa autem ejusdem pueri stabat ante socrum suam, dicens : *Non egrediar hinc omnibus diebus vitæ meæ, sed turturem imitatorem habebo, quæ de uno viro est, et, si suus conjunx venatus fuerit, remanet cantans et sonum faciens, per montes et colles quærens virum suum. Et ego confortabo et expectabo usque dum sciam de meo conjuge quid factum est, quomodo sancte et honorifice mandata mea fecit.* Pueri autem vespere facto silentio omnes contristabant eum et tentabant. Alii autem lavabant discos, et super caput ejus fundebant. Videns autem homo Dei quia per invidiam diaboli adjutorium et pugna inimici erant, cum gaudio et portantia suscipiens ea, fecit annos decem et sep'em in domo suorum parentum, et nesciebant quia ipse esset.

6. Factum est autem tempus cum exiens de corpore, sicut Dominus dilexit suscipere animam ejus, dixit suo ministro : *Frater, da mihi tomum chartæ et calamarium.* Et scripsit omnem vitam suam et ministeria, et qualiter egisset cum suis parentibus et quæ locutus fuisset cum sponsa sua in nuptiis, et quomodo dederat ei annulum aureum et rendam involutam in prandeo et porphyrium sudarium ; et omnia ambulantia sua scripsit, ut cognoscerent eum, quia ipse erat filius eorum. Et factum est in una dierum, dominica post sanctum et mundum sacrificium, cum post communionem populi ibidem esset pontifex et piissimi imperatores Romæ, vox edita est invisibilis de altari sancto, dicens : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Accepit autem omnes timor et ceciderunt in

faciem suam, dicentes *Kyrie eleyson.* Secundo vox facta est eadem, dicens : *Quærite hominem Dei, ut oret pro Roma.* Et lucescente die Parasceves exiit de corpore suo, et suscepit Dominus animam ejus ab ipso. Vespere autem facto die Jovis abierunt omnes ut ostenderetur eis homo Dei, et facta est vox dicens : Quia in domo Euphemiani est corpus.

7. Et conversi sunt ad Euphemianum, dicentes : *In domo tua talem gratiam habes, et non ostendisti nobis?* Euphemianus dixit : *Vivit Dominus Deus meus, nescio eum. Omnes enim despecti sunt.* Tunc jusserunt piissimi imperatores in domum Euphemiani ire et exquirere hominem Dei. Et jussit Euphemianus suis pueris in domum suam præparare sedes per ordinem, et cum lampadibus incensis et incensum cum thuribulis exiret obviam eis. Et cum venissent in domum, factum est silentium magnum. Mater autem ejus extendens sindonem babbacinos in sua fenestra, dixit : *Quæ est conturbatio hæc ? Et quid loquimini ?* Nurus autem ejus stans in solario videbat omnia, et dixit : *Quæ est hæc moventium turba quæ facta est ?* Minister autem qui eum acceperat ad custodiendum, dixit : *Ecce homo quem consignastis mihi. Magna et laudabilia super eum video. A dominica in dominicam accipiens sancta munera, duas panis uncias edebat. Similiter et de aqua ; et fuit abstinens se tota hebdomada et neque nocte dormiebat. Aliqui de pueris tentabant eum ; ipse autem cum hilaritate suscipiebat omnia.* Statim Euphemianus cucurrit ad eum et stans loquebatur ei, et in ipso non erat vox neque auditus. Et discooperiens eum vidit faciem ejus sicut faciem angeli fulgentem, et chartam in manu ejus tenentem ; et noluit eam dimittere Euphemiano, sed strictam eam tenebat.

8. Tunc reversus est Euphemianus ad piissimos imperatores, dicens ad eos : *Quem quærebamus invenimus.* Et nuntiavit eis quomodo per annos decem et septem vixerat, et omnia quæ facta sunt, et quia defunctus est chartam tenens in manu sua et dare eam nobis noluit. Tunc jusserunt piissimi imperatores lectum stratum parari et corpus in eo poni. Et moventes se piissimi imperatores et cum eis pontifex et Euphemianus, pater ejus, et omnis senatus Romanorum steterunt ante grabatum, dixeruntque plorantes : *Quamvis peccatores, nos imperatores sumus ; iste pater universalis est. Da nobis chartam istam, ut sciamus quis in te est et quæ in charta scripta sunt.* Tunc porrexit eis chartam et acceperunt eam et dederunt chartulario, nomine En, de sanctissima ecclesia. Erant autem omnes cum imperatoribus et pontifex ac Euphemianus omnesque priores et populus infinitus, et erat silentium magnum, et jusserunt legere chartam.

9. Pater vero ejus cum audisset legere chartam, erigens se statim super eum, plorans et ululans dicebat : *O fili mi dulcissime, quare contristasti animam meam et suspirium fecisti annos meos ? Sperabam audire vocem tuam et scire* quis esses. Heu mihi, miser, non habeo, et quia unigenitum meum filium video mortuum in grabato et non loquitur mihi. Heu mihi, consolatio senectutis meæ, quid dicam aut quam lamentationem ponam in corde meo ?* Mater autem ejus sicut leo rumpens rete, sic scidit vestimenta sua, et comam capitis sui dissolvens, oculis vero directis aspiciens in cœlum, gemens et dicens et deprecans omnem populi multitudinem quæ erat in domo ejus : *Date mihi locum videre filium meum. Heu mihi ! Date mihi agnum*

* *cod.* scirem.

animæ meæ qui suxit ubera mea. Tundens pectus suum exclamavit voce magna, dicens : *Venite, plorate mecum, quia decem et septem annis erat in domo mea, et nemo novit quod filius meus esset, et cædebant eum servi mei fustibus et alapis, expuentes in faciem ejus et multas injurias et omnia opprobria exercebant in eum, nescientes quis esset. Heu, fili mi, lumen oculorum meorum, quomodo latuisti in domo patris tui annos tantos ?* Et erat extendens manus suas super vultum ejus cum magno suspirio et fletu, fundentesque oculi ejus lacrimas amaritudinis. Iterum atque iterum expandens brachia sua super faciem ejus, sicut passer super suum nidum requirit filium suum, dicens : *Heu mihi! Date mihi planctum amarum.* Et osculans ipsum corpus sanctum, dixit: *Heu mihi, domine mi, quare sic fecisti mihi? Vidisti me flentem quotidie et patrem tuum et non ostendisti nobis.* Sponsa autem ejus similiter, induta veste contrita, cucurrit plorans cum lacrimis, et dicebat : *Heu mi turturem meum quem diligit*. Deserta et desolata hodie facta sum et apparui vidua et non habebo aliquem : ubi aspiciam et amodo plorabo usque ad mortem.* Populus autem factus est stupens in miraculo et oculi eorum replebantur lacrimis plorantes.

* *sic cod.*

10. Tunc jusserunt piissimi imperatores deduci lectum in mediam civitatem et nuntiaverunt populo, dicentes: *Ecce invenimus hominem Dei quem quærebant in civitate nostra.* Omnesque currebant obviam corpori sancto. Quanti audiebant de ipso corpore qui ægroti erant, curabantur ab omnibus infirmitatibus eorum ; muti loquebantur ; cæci videbant et leprosi mundabantur ; dæmonia fugiebant. Hæc autem mirabilia audientes imperatores, portabant lectum et pontifex cum eis, ut sanctificarent se de ipso corpore sancto. Mater autem ejus similiter tenens lectum expandebat manus super sanctum corpus. Sponsa autem ejus tristis et mœrens sequebatur lectum et plorabat. Populus autem nimis se comprimebat super grabatum et non poterant antecedere. Tunc jusserunt piissimi imperatores aurum et argentum in platea jactari, ut forsitan populus inclinaret se ad thesaurum et dedissent locum antecedendi cum corpore sancto. Sed nemo tamen nutu Domini intendebat in aurum vel argentum, sed potius in corpore sancto. Et cum magna angustia eduxerunt lectum cum corpore sancto in templum sancti Bonifacii cum hymnis et laudibus Dei, et ibi lætificaverunt die septimo. Mater vero et sponsa stantes plorabant. Fecerunt autem monumentum ejus de auro et gemmis pretiosis, et collocaverunt sanctum corpus in eodem loco, ubi præstantur beneficia ejus usque in præsentem diem. Depositio autem ejus mense junio, die septimo sub Honorio et Archadio, piissimis imperatoribus, Romæ celebratur. Et de ipso monumento procedunt odores sicut de aromatibus, et si quid petierit aliquis a Deo, dabit ei Deus per intercessionem beati Alexis, hominis Dei, retributionem bonam omnibus qui sperant in Domino, cui est honor, laus et potestas, virtus et imperium in secula seculorum. Amen.

XIV. Codex signatus n° 409.

Formæ majoris (0m38×0,27), foliorum 223, præter insiticia octo in capite codicis et duo ad calcem, columnis binis, lineis atramento ductis, exaratus seculo XV. Tituli minio signati; litteræ initiales rubræ vel cæruleæ, nonnullæ satis sobrie ornatæ, omnium vero prima (fol. 1r) aliis major et magis ambitiose nec ineleganter variis coloribus insignita.

In fine totius codicis legitur hæc nota manu extremi seculi XV (non tamen eadem quæ codicem descripsit) adjuncta: *Liber monasterii Rubeevallis in Zonia juxta Bruxellam, scriptus per manus fratris Joannis Bach, sacerdotis primi donati professi ejusdem monasterii. Oretur pro eo.* Et paulo inferius: *Pro libraria.* Item in capite codicis (fol. insit. 3r), manu seculi XVI: *Passionale sanctorum a mense decembri usque ad aprilem, authore Joanne Back, sacerdote donato hujus domus.* Quis fuerit iste Joannes Bach vel Back, aliunde nobis non innotuit.

Lectiones suas de vitis sanctorum ut plurimum desumpsit Joannes Back ex *Legenda Aurea,* a qua et prologum " in opus sequens scilicet in Passionale sanctorum et sanctarum „ mutuatus est. Nonnullæ ex his lectionibus quæ nec apud Jacobum a Voragine nec in ejus Auctariis reperiuntur, referunt quidem Acta primigenia sed valde contracta. Itaque satis erit exhibuisse tabulam contentorum, accuratiori singularum legendarum examine prætermisso.

Historia de quadruplici adventu Domini nostri Jesu Christi (fol. 1v-4v); de S. Andrea apostolo (fol. 5r-8v); vita S. Eligii episcopi et confessoris (fol. 8v-10v); de Sta Barbaria (fol. 10v-16v); de S. Nicholao episcopo (fol. 17r-20r); de institutione festi conceptionis beatæ Mariæ virginis (fol. 20r-21v); relatio S. Hieronymi de ortu beatæ Mariæ quem sicut in adolescentia sua legerat, ad Paulam et Eustochium rogatus transcripsit (fol. 21v-24r); de conceptu sacratissimæ Mariæ virginis (fol. 24r-24v); de S. Euchario episcopo et confessore (fol. 24v-25v); passio Stæ Eulaliæ virginis et martyris (fol. 25v-26v); de S. Damaso papa et confessore (fol. 26v-27r); vita S. Autberti episcopi et confessoris (fol. 27r-30r); de Sta Lucia virgine et martyre (fol. 30r-31v); vita S. Judoci confessoris (fol. 31v-33v); passio S. Nichasii episcopi et martyris et sociorum ejus (fol. 33v-36v); de S. Thoma apostolo (fol. 36v-42r); historia de nativitate Domini nostri Jesu Christi (fol. 42r-45r); de Sta Anastasia (fol. 45r-47r); de S. Stephano protomartyre (fol. 47r-49r); de S. Joanne apostolo et evangelista (fol. 49r-51v); de SS. Innocentibus (fol. 51v-53r); de S. Thoma archiepiscopo (fol. 53r-54r); passio S. Sabini episcopi et sociorum ejus (fol. 54r-55r); de S. Silvestro papa (fol. 55r-58v); historia de circumcisione Domini (fol. 58v-61v); passio Stæ Martinæ virginis (fol. 61v-63r); vita S. Basilii episcopi (fol. 63r-65r); vita S. Macharii abbatis (fol. 65r-66v); vita Stæ Genovefæ virginis (fol. 66v-67v); vita S. Symeonis monachi (fol. 67v-68v); historia de epiphania Domini (fol. 68v-71v); passio Stæ Macræ virginis (fol. 71v); vita Stæ Gudulæ virginis (fol. 71v-75r); passio SS. martyrum Juliani, Basilissæ et Celsi (fol. 75r-80v); vita S. Pauli primi eremitæ (fol. 80v-81v); de S. Remigio (fol. 82r-83r); de S. Hilario episcopo

(fol. 83^r-84^r); passio S. Pontiani (fol. 84^r-85^r); vita S. Felicis in Pincis confessoris (fol. 85^r); vita S. Mauri abbatis (fol. 85^r-86^v); de S. Marcello papa (fol. 86^v-87^r); vita S. Fursei abbatis et confessoris (fol. 87^r-88^v); de S. Antonio confessore (fol. 88^v-90^r); passio Stæ Priscæ virginis (fol. 90^r-90^v); vita S. Sulpitii episcopi (fol. 90^v-91^v); passio SS. martyrum Marii et Marthæ (fol. 91^v-92^r); de S. Foliano (fol. 92^r); de S. Sebastiano (fol. 92^r-95^v); de Sta Agnete virgine et martyre (fol. 95^v-97^v); de S. Vincentio martyre (fol. 97^v-100^r); passio Stæ Emerentianæ virginis (fol. 100^r-100^v); vita S. Joannis eleemosynarii (fol. 100^v-102^v); de S. Timotheo (fol. 102^v-103^v); de S. Paulo apostolo (fol. 103^v-104^v); passio S. Prejecti episcopi et martyris (fol. 104^v-105^r); vita S. Polycarpi episcopi et martyris (fol. 105^v); vita S. Joannis Chrysostomi (fol. 105^v-107^v); vita Stæ Paulæ viduæ (fol. 107^v-109^v); vita S. Valerii episcopi Trevirensis (fol. 109^v-110^r); vita Stæ Aldegundis virginis (fol. 110^r-111^r); de S. Ignatio episcopo et martyre (fol. 111^r-113^v); vita Stæ Brigidæ virginis (fol. 113^v-114^v); de Septuagesima (fol. 114^v-115); de tempore sexagesimæ (fol. 115^v); de tempore quinquagesimæ (fol. 115^v-116^v); de tempore quadragesimæ (fol. 116^v-117^v); de jejuniis quatuor temporum (fol. 117^v-118^r); historia de purificatione beatæ Mariæ virginis (fol. 118^r-121^r); de S. Blasio episcopo et martyre (fol. 121^r-123^r); de Sta Agatha virgine et martyre (fol. 123^r-125^r); passio Stæ Dorotheæ virginis et martyris (fol. 125^r-127^v); de S. Vedasto episcopo (fol. 127^v-128^r); de S. Amando (fol. 128^r-128^v); passio Stæ Apolloniæ virginis (fol. 128^v-129^v); vita Stæ Scholasticæ virginis (fol. 129^v-130^r); vita Stæ Eufrosinæ virginis (130^r-133^v); vita S. Gulielmi ducis Aquitaniæ et comitis Pictaviensis (fol. 133^v-136^v); de S. Gulielmo Bituricensi archiepiscopo (fol. 136^v-137^r); de S. Valentino episcopo et martyre (fol. 137^r-138^r); de S. Juliano Cenomanensi episcopo (fol. 138^r-141^v); passio Stæ Julianæ virginis (fol. 141^v-144^r); historia de cathedra S. Petri apostoli (fol. 144^r-146^r); de inventione capitis S. Joannis Baptistæ (fol. 146^r-149^r); de S. Mathia apostolo (fol. 149^r-153^r); passio S. Focæ martyris (fol. 153^r-154^v); passio SS. Perpetuæ et Felicitatis (fol. 154^v-155); de S. Gregorio papa (fol. 155^v-161^r); vita Stæ Gertrudis virginis (fol. 161^r-165^v); de S. Benedicto abbate (fol. 165^v-168^v); historia de annuntiatione beatæ Mariæ virginis (fol. 168^v-170^r); in Cœna Domini ad collationem (fol. 170^r-171^v); de passione Domini nostri Jesu Christi (fol. 171^v-173^r); de resurrectione Domini (fol. 173^r-178^v); de S. Ambrosio (fol. 178^v-185^r); vita S. Leonis papæ et confessoris (fol. 185^r-185^v); passi SS. Tiburtii et Valeriani (fol. 185^v-187^r); de S. Georgio martyre (fol. 187^r-190^v); de S. Marco evangelista (fol. 190^v-193^r); de Letania majore (fol. 193^r-193^v); de S. Vitale martyre (fol. 193^v-194^r); passio Stæ Theodoræ virginis (fol, 194^r-195^v); de S. Petro martyre (fol. 195^v-198^v). — " Sequuntur legendæ plurium sanctorum et sanctarum quæ propter angustiam temporis suis in locis legi plerumque non possunt: idcirco tempore vacante legi habent, sive ante quadragesimam sive post pascha prout tempus permiserit " (fol. 198^v): Passio SS. Gentiani, Fusciani et Victorici martyrum (fol. 199^r-199^v); passio S. Gregorii martyris (fol. 199^v-201^r); de S. Marina martyre (fol. 201^r-202^r); passio S. Longini martyris (fol. 202^r-203^r); vita Stæ Mariæ Egytiacæ (fol. 203^r-207^r); passio S. Theodosiæ virginis (fol. 207^r-211^v); passio

SS. virginum Agapes, Chioniæ et Irene (fol. 211v-212v): passio S. Adalberti episcopi (fol. 212v-216r); passio S. Alexandri Lugdunensis martyris (fol. 216r-216v); de S. Cleto et de destructione Jerusalem (fol. 216v-218v); vita S. Fulgentii episcopi et confessoris (fol. 218v-219v); vita S. Patricii episcopi (fol. 219v-221r); vita S. Thomæ de Aquino doctoris et confessoris (fol. 221r-223r); passio S. Secundi martyris (fol. 223r-224v).

Ex miraculis quæ in codice legendis annectuntur eodem quo apud Jacobum modo hæc propter locorum, temporum personarumve adjuncta in narratione exhibita, notatu digna videntur :

Fol. 16r, recitata jam sanctæ Barbaræ Passione, describitur miraculum quo Hubertus quidam, famulus episcopi S. Gaugerici, post triennium a morte ad vitam revocatus est ut sua eidem episcopo peccata confiteretur. Incipit vero :

> Cum nuper circa annum Domini millesimum quadringentesimum quadragesimum quintum celebraretur generale capitulum Fratrum de Monte Carmeli in oppido Thenensi, in Brabantia, contigit quod illius Ordinis generalis ubi sedebat in mensa et sibi esset a quibusdam piscis quidam qui lucius appellatur præsentatus, ipse de ejusdem piscis capite minime voluit degustare. Super quo cum plurimi mirarentur, respondit : *Non miremini, quia ad hoc voto sum obligatus.* Qui dum causam hujus voti ab eo sciscitarentur, respondit quod occasio ejus foret beata virgo Barbara. Retulitque omnibus ibidem præsentibus unum miraculum *(ipsum scilicet de quo hic agitur et cujus se profitebatur testem oculatum).*

Fol. 28v referri incipiunt miracula meritis S. Autberti patrata. Et primo quidem de paralytico qui apud sepulcrum S. Autberti clericis inserviebat. Incipit :

> Anno Dominicæ incarnationis millesimo tricesimo quarto, dum venerabilis præsul Gerardus vicesimum quartum annum ageret in episcopio Cameracensium, divina pietas quæ sanctos suos semper glorificat, multiplici miraculorum gratia sanctum mirificavit Autbertum. Nam circa sepulcrum ejus tantam virtutem in curandis diversis morborum generibus per spatium quadraginta dierum ostendit, ut, si omnino vitæ vel gestorum ejus scripta deessent, ad prædicanda meritorum ejus insignia hæc pluralitas miraculorum sufficeret. Nullus quippe ad illud eo tempore cum fide cujuscumque salutis precator accessit, qui non continuo quæsita meritis ejusdem sancti pontificis suffragantibus impetraverit. Atque hic celeberrimus dierum numerus cœpit a sexto Idus Maii, quando sanctorum Gordiani et Epimachi celebratur martyrium, quo videlicet die quidam nostræ civitatis hujus incola, Wibertus nomine, optatæ salutis remedium consecutus.... Verum cum per idem tempus apud Corbeiam innumerabilis

populi multitudo confluеret, eo quod ibidem beati Petri apostoli meritis crebro fierent miracula...

In villa quæ Hynniacus Leetardi vocatur, consistit ecclesia in qua quondam servierant clerici seculares, sed postea in religiosum collegium sunt mutati, ubi Dominus gloriam sancti sui qui ibidem vel humana incuria vel temporum vetustate latebat, mirifice declaravit hoc modo: Quamplurimos incolas dicti loci et etiam vicinarum villarum crudelissima quædam pestis invasit, quam latinitas sacrum ignem, vulgus autem vocat ignem inferni ; nam membra quibus pestifer ille morbus insederit, ignea quadam et invisibili voracitate consumit, ardorem conficiens et fœtorem immittens. Delata est igitur ad ecclesiam antedictam obtentu petendæ salutis hac tabe tabescentium multitudo. Ubi cum dies aliquot in maximis cruciatibus exegissent languentes, die quadam quasi præ tædio dormitare cœperunt ; vel forsitan ad salutis futuræ præsagium Dominus eis somnum induxit. Subitoque viderunt tam omnes quam singuli de veteri quadam capsa, quæ secus altare veluti neglecta jacebat et omnino vacua putabatur, agnum quemdam pulcherrimum exeuntem, qui se singulis applicans et singulos deosculatus, locum unde exierat repetere videbatur. Subsecuta est protinus sanitas visionem, nec in agno vel osculo species vana fuit. Immo, morbi rabie mitigata penitus et pacata, expergefacti languentes, magnis vocibus clamare cœperunt Dei misericordiam in se factam, tam clero quam populo ad clamorem tam subitum concurrenti visionis seriem intimantes, fidemque plenissimam eorum quæ viderant exhibentes indicio sanitatis. Licet vero tam clerus quam populus in virtute pariterque clementia Dei nostri plurimum exultarent, quodam tamen admirationis studio movebantur cur de vase veteri et neglecto et quod nullam hucusque habuerit reverentiam apud eos, tantum languidis visum esset solatium prodisse. Capsam ergo præ curiositatis indagine dissolventes, nil aliud quam præclaras beatissimi confessoris Autberti reliquias invenerunt ibidem, cum indicio litterarum : mentum scilicet et partem illam faucium in qua dentes subteriores consistunt. Ex hoc itaque certius advertentes quod ad merita sancti sui hominibus declaranda Dominus miraculum suprascriptum ostendit, eum deinceps ut decebat cum honore et reverentia coluerunt, quantoque diutius apud eos latuerat tam insignis thesaurus, tanto eum devotius curaverunt amplecti piisque obsequiis honorare.

Benignitas tamen et gratia Dei nostri qui semel ibidem revelaverat sanctum suum, unico non contenta miraculo, signum satis jocundum adjecit, ut per hoc evidentius tam incolæ quam vicini cognoscerent cujus esse deberet honorificentiæ apud eos. In hoc autem fidem sequimur relatoris, prioris scilicet Hynniacensis ecclesiæ, cujus nobis est quod scribendo narrare intendimus assertione compertum, qui hoc satis vicinis temporibus evenisse testatur et ab antiquioribus ad modernos certa relatione transfusum. Exorto repente in villa prædicta incendio et parietes ecclesiæ proximos invadente, cum demum in ecclesiam flammarum voracitas irrupisset, omnia non cessabat interiora consumere vel quæ in ædificiis vel etiam ornamentis attingere potuisset. Sed cum capsula quæ sancti reliquias continebat tum coram altari cum ceteris phylacteriis in pertica dependeret et undique sæviret incendium, visa est subito a nonnullis qui aderant per fenestram quæ proxima imminebat intrare columba, quæ capsulam antedictam rostro blandius applicato reverenter excipiens extra ecclesiam ad quoddam vicinum pomœrium deportavit, et in quadam ejusdem pomœrii arbore dereliquit decenter appensam. Postquam vero sedata flammarum voragine perturbatio incolarum quievit, reperta est dependens in arbore capsula, potiusve ab angelo in columbæ specie demonstrato inibi collocata. Et inde ad ecclesiam unde fuerat miraculose sublata, fuit merito a fidelibus gaudiose relata.

Fol. 58v ad finem Vitæ S. Silvestri hæc adduntur :

Legitur quoque quod quicumque singulis diebus ob honorem beati Silvestri orationem Dominicam perlegerit, dæmonem qui arcem fidei maxime in hora mortis oppugnare nititur, ipsius ope triumphabit, fidemque catholicam usque in finem illibatam servabit.

XV. Codex signatus n° 412-14.

Constat foliis 137 (140, si seriem numerorum tantum attendat; sed excisa sunt folia 2, 3, 7) formæ mediocris ($0^m,34 \times 0,23$), duplici columna, lineis graphide ductis. Initio singulorum librorum cernitur littera capitalis ingens, auro depicta et foliorum ac florum varii coloris cincinnis circumdata et substrato quadro ceruleo : quæ omnia satis rudi arte confecta sunt. Litteræ initiales singulorum capitum al-

ternæ rubro et ceruleo colore designatæ, minio item tituli capitum. Codex totus exaratus videtur una manu seculi XV vel ineuntis XVI. In capite folii primi legitur: *Liber Bibliothecæ Molinensis* (cœnobii in diœcesi Namurcensi) *1732*.

Isto codice continetur opus quod inscriptum est : *Magnum Exordium sacri ordinis Cisterciensis,* in quo non pauca leguntur circa sanctos viros qui, SS. Roberti, Stephani ac Bernardi vestigia secuti, ad summam christianæ vitæ perfectionem devenerunt, et quorum laudabilis vita suis diebus in *Act. SS.* illustratur. Jam vero si codex confertur cum editione quæ anno 1871 Rixhemii prodiit (1), hæc notanda sunt :

1° Singulis sex libris præmissus est index capitulorum, quorum tamen tituli rursis singulis præponuntur.

2° Ob folia excisa initium libri I post prologum desideratur, ita ut textus codicis exordiatur ab his verbis : *Ut arca sanctæ Ecclesiæ* (ed. p. 31 sub fine) ; eademque de causa desunt quæ in edito leguntur inter p. 41, lin. 12. (*Quando...*) et p. 44, lin. 10 (*novum et*) ponuntur.

3° Ab ipso codicis scriba prætermissa sunt quæ in edito opere (p. 55-66) inserta sunt libri I capitibus XV-XXVI cum prima phrasi cap. XXVII ; item altera pars cap. XXXIV, ab his verbis : *Erat abbas* (ed. p. 79, lin. 14), et posterior pars cap. XXXVI, ab *Interdicimus autem...* (p. 83). Præterea libri II caput XIX (ed. p. 118-120) et in libro III pars posterior capitis IV seu sermo de obitu B. Humberti (p. 181-185) et pars posterior capitis IX seu Epistola B. Bernardi ad Robertum (pp. 195-206).

4° Nec in codice legitur Appendix seu liber VII ; sed ad finem libri VI, post *potuit imitari* (ed. p. 492) addita est clausula quam leges in *Bibliotheca Patrum Cisterciensium,* tom. I, pp. 245, 246, ultimis tamen hujus clausulæ verbis ob excisum folium in cod. deficientibus.

Denique initio codicis ante textum ipsum *Magni exordii* prologi instar leguntur versus hexametri centum et sex in laudem Ordinis Cisterciensis, præmissa hac nota alia manu : *Probato auctore facti. Ne ab ipso operis conditore editi putentur tanquam prologus.*

XVI. Codex signatus n° 428-42.

Foliorum 262, formæ mediæ (0,342 × 0,25), columnis binis exaratus diversis manibus extremo seculo XV. Tituli minio designati; litteræ initiales alternis vicibus rubræ et ceruleæ, non paucæ in capite documentorum vel præcipuarum eorum partium insigni arte variis coloribus depictæ.

In folio insiticio quod toti codici præfixum est leguntur hæ notæ manibus

(1) *Exordia Sacri Ordinis Cisterciensis edita et recollecta, per Magistrum D. F. Ignatium Ibero, nunc vero denuo impressa.*

seculi XVII scriptæ: *H. 12. Liber divi Martini Majoris in Colonia Agrippina Romanorum oppido celeberrimo. — [Manu scriptus sub reverendissimo domno Adamo Meyer hujus cœnobii abbate, laude immortali dignissimo, anno Domini 1482. — Scriptus est per R. P. Theodoricum monachum hujus loci usque ad folium 53 an. 1477; alia per eumdem scripta sunt per annos 1480, 81 et 82, ad folium 128. Cætera usque ad finem scripta sunt per Fratrem Arnoldum Rees circa annum 1485: idem sub an. 1480-81 etc., scripsit homiliarium in singulas dominicas.* Et in eodem folio verso manu seculi XV: *Liber sanctorum Eliphii et Martini in Colonia monasterii Ordinis sancti Benedicti, et continentur in eo subscripta* (Sequitur index conventorum in codice).

Aliæ deinde notæ in ipso codice adscriptæ sunt ipsius primi librarii manu, videlicet:

Fol. 54r, post vitam S. Bernardi: *A° incarnationis 1477 per fratrum Theodoricum monachum inutilem, unde Deus sit benedictus in secula. Amen.*

Fol. 58v: *Finitus est liber iste anno Domini 1480 in die Lucæ evangelistæ, hora octava in nocte. Ave Maria, orate pro scriptore.*

Fol. 66v: *Anno Domini 1480 in festo S. Clementis martyris finitus est liber iste quem scripsit scriptor caligantibus oculis. Orate pro eo. Anima ejus requiescat in pace.*

Fol. 67v: *Finis 1480 in die Katherinæ.*

Fol. 88r: *Anno Domini 1480 in festo sancti Thomæ apostoli hora septima de sero caligantibus oculis finiti sunt sermones isti de Præsentatione beatæ Mariæ virginis ad honorem ejusdem. Orate pro scriptore ut anima ejus requiescat in pace. Amen.*

Fol. 127v: *Anno Domini 1482,* XIII *kl. maii, in feria sexta post octavam paschæ, hora* XII *vel prima in meridie caligantibus oculis finitus est liber iste, scriptus ex libro sancti Maximi Treverensis ad laudem Dei, virginis Mariæ, omnium sanctorum sanctique Martini. Orate pro scriptore ut anima ejus requiescat in pace. Amen.* — Et manu recentiori seculi XVI: *Per fratrem Theodoricum hujus loci monachum.*

Fol. 128r, in margine Superiori manu seculi XVI: *Per F. Arnoldum Rees.*

Fol. 245v: O vos qui nostis quid perferat ille laboris
Qui se scribendo castigat tempore crebro,
Assiduis precibus memores sitis, precor, ejus
Qui promptus librum conscripsit et edidit istum
Tu quoque, sancte Dei, memor esto sui, Bonifati,
Ob cujus laudem librum conscripsit eumdem
Ut regno Christi per te valeat sociari.

Finitus est liber caligantibus oculis in die Francisci sancti et confessoris, anno Domini 1482.

Fol. 262r: *Finitus est liber iste ac scriptitando completus per fratrem Arnoldum Rees, cujus anima requiescat in pace.*

Porta salutis, ave, per quam patet exitus a væ.
Venit ab Eva Væ : quod quia tollis, ave.

Fol. 262r legitur diploma quod Coloniæ decimo kal. junii anno MLXXII, indictione decima, dedit beatus Anno, Coloniensis archiepiscopus, fratribus de monasterio S. Martini, eis nonnullas decimas conferendo.

1° Vita beatissimi Bernardi, Clarevallensis abbatis (fol. 1r-54v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Aug., tom. IV, p. 256-327, num. 1-271. — Hæc tamen notanda videntur :

Num. 3, cod. *Bernardus ergo Burgundiæ oppido oriundus.*

Num. 21, pro *Julleium,* cod. *Villetum.*

Num. 26, ad fin. add. : *Quantum vero in Scripturis valeat, palam omnibus est qui vel loquentem eum audire vel aliqua quæ scripsit legere potuerint.*

Numm. 48 et 49 hocce modo in cod. immutata leguntur :

Primo tempore adventus ejus ad Clarevallem contigit Josbertum quemdam, nobilem de castello proximo cui Firmitas nomen est, ægrotare. Cumque ingravescente subito ægritudine obmutesceret et jam mori incipiens sine viatico hinc abiret, cœperunt omnes hoc magis dolore affligi, tam ipsius ægri filius, alter Josbertus, quam propinqui ceteri et amici omnisque familia, quod sine confessione peccatorum et communionis sacræ perceptione moreretur vir honestus secundum carnem. Erat autem cognatus viri Dei secundum carnem. Cumque ad eum nuntius cucurrisset, rediens a monasterio Trium-Fontium, quod in parochia Cathalaunensi primum omnium ipse fundavit, divertit ad ecclesiam quamdam, et pro eodem infirmo obtulit hostiam salutarem. Eadem autem hora in se rediens homo locutus est, et peccata sua cum lacrimis fatebatur. Sed, ut diligenter probatum est, ubi sanctus vir sacrificium consummavit, ille quoque obmutuit sicut prius. Cum autem desideratus Christi servus adesset cum Gerardo fratre suo et avunculo Gaudrico, ab amicis ipsius obnixius rogabatur ut pro eo oraret. Compassus autem tanto dolori et confortatus in Domino et bonitate et potentia virtutis ejus, sancto sibi Spiritu revelante cur hoc sibi accidisset, cum omni fiducia eis respondit : *Scitis quanta mala fecerit homo iste et quanta abstulerit? Reddat ablata et consuetudines pravas abneget, super pauperes usurpata restituat tam ipse quam filius et familia sua, et christiano more morietur.* Obstupuere omnes ad tantæ fiduciæ promissionem, eo quod ignota adhuc hominibus gratia divinitus

collata viro Dei. Maxime vero turbati et territi sunt qui venerant cum eo, frater et avunculus. Quid plura? Factum est quod præcepit, et continuo secutum est etiam quod promisit. Solutum est vinculum linguæ ejus, confessus est cum gemitu et lacrimis peccata sua, cum magna devotione deosculans manus ejus et accepto viatico communionis sacræ, rursus peractis omnibus quæ facere eum oportebat, sequenti nocte in spe misericordiæ Dei expiravit.

Num. 51, pro *Nantonis*, cod. *Nationis*.

Num. 60, ultima phrasis om. cod.

Num. 195, pro *Herveus de Baugencio*, cod. *Herneus de Barenyo*.

Num. 196, prior pars *(Et quod addimus — fine quievit)* om. cod.

Num. 210. Ante hunc num. in cod. inscriptus est hic titulus: *Præfatio sequentium miraculorum.*

Num. 217, pro *Algorrium*, cod. *Aliornium*.

Num. 218, pro *S. Geniani*, cod. *S. Germani*.

Num. 219, pro *Doniguem*, cod. *Domgnem*.

Num. 229, pro *Musseium*, cod. *Auseyum*.

Num. 230, pro *Burdemontem*, cod. *Burlemontem*; pro *Risnelmum*, *Resvellum*; ac post *gressum recepit* add.:

Eodem etiam tempore prope viculum cui nomen est Malenvilla, puella manca ad ejus tactum sanata est, et, ut nobis testati sunt qui viderunt et noverunt, etiam hæc incolumis usque hodie perseverat.

Num. 234, pro *Argillerias*, cod. *Aizilleias*.

Num. 236, pro *Chableia*, cod. *Cableta*.

2° Vitæ sanctorum Eucharii, Valerii et Materni, Trevericæ urbis episcoporum (fol. 54v-58v).

Editæ in *Act. SS.*, ad d. 29 Jan., tom. II, p. 918-922. — At in cod. num. 4 legitur ut indicatum est loco modo citato, annot. *g*; num. 5, ut annot. *m*; num. 7, ut annot. *c*; num. 15 om. et in num. 24 ista verba *die* XVII *Kl. Octobris* omissa sunt. Tandem fol. 58r in margine interiori manu recenti hæc adjecta leguntur: *Maternus 40 annis præfuit; Marianus Scotus ejus obitum reponit ad an. 128.*

Eodem fol. in margine exteriori: *Circa annum 396 Metis a Francis succensa, Treviris destructa, ut nobis auctor est Ado Viennensis in Chronico: unde ætas authoris innotescit.*

3° Vita S. Hemmerammi martyris (fol. 58v-66v).

Vita auctore Aribone, Frisingensi episcopo, edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Sept., tom. VI, p. 474-484. — Hæc tamen notanda videntur:

Num. 1 hæc annectuntur:

Unde et quod nobis* a relatorum fidelium narratione compertum est, silentio præterire dignum non esse censemus.

* *cod.* nobilis

Num. 2 hocce modo in cod. immutatur :

Et quidem procerus statura erat, ita ut nec longitudo fastidium, neque deformitatis brevitas ridiculum quoddam elicere potuisset. Forma decorus, vultu sincerissimus, pauperum quoque non tardus adjutor; viduarumque et orphanorum per omnia nec non et gementium consolator, ita ut qui ejus se præsentiæ obtulerant, sine cibo verbi Dei aut nunquam vel raro abscedere potuissent; et quæ fidelium datione insuper acceperat, ex humilitatis nisu sibi non servans indigentibus exhiberet. Sed et subditorum pectora fonte divinæ potationis irrigabat, ita ut a præsentibus ex nimio cordis affectu et absentibus non mediocriter ut summus pater amaretur. Cui moris erat, ut hymnos Davidicos nunquam, exceptis horis corporeæ refectionis, plene laxaret, aut naturæ, ut ita dicam, somnum necessarium indulgeret. Ad pascendas etiam summi pastoris oves in ejus pectore tanta cura vigilabat, ut per omnes pene Gallorum urbes et circumpositas regiones, perque vicos ac fidelium domos huc illucque discurreret, et quos poterat ad agnitionem veri luminis excitaret, semetipsum præbens exemplum. Quod lingua prædicabat, exemplo confirmabat; et ob hoc maxime dligebatur a subjectis. Confluebant interea ad ipsum Gallorum nobiles et ignobiles, locupletes sive inopes, quibus pene omnibus abunde, prout cuique necesse erat, tribuere non pigebat, alimentum aliis, quibusdam vero indumentum; ante omnia autem intrinsecus margaritarum spiritualium ornamentis auditores suos ornare curabat. Erat enim verus Dei cultor.

Num. 23, *Sed idcirco-dubium non est* om.

Num. 28, his verbis expressus legitur :

Unde et hac dispersione approbatur de suo domino temporali Landeberto, qui nihilominus damnationis exilio vitam finivit, quia rectum et justum liquido constat, qui tantum lumen temerario ordine nisu [s] est effugare, et ne damnationis tenebras in futuro pateretur et in succedentem postremo progeniem tanti viri sanguis redundaret, ita ut ex omni immensa infantum procreatione nullus superstes existeret intra paucos quasi annos, qui regnum paternum suscipere a Domino mereretur. At vero ubi ei immensa ædificia cunctis eminebant, quibus ad horam in confusione gloriabantur, urticæ videlicet et virgulta nec non et platanus exorta foliis expansis propagatur; et qui iram suam venenosam in templum Dei, Hemmerammum scilicet martyrem, non

metuit crudeli edicto infundere, sua terrena ædificia recto Dei judicio relinqueret invitus, ita ut prætereunti viatori sint in opprobrium et exemplum. Et quamvis dicentium verba sileant, prætereuntibus loca eadem denotant, quia aliquotiens exprimunt suspiria viatorum, ut caveant ne aliquid ullo modo mali in Dei servis sacerdotibusque committant, ne et eorum hereditas, extincta posteritate, in solitudine relinquatur et humus coacervata viventibus testimonium maneat in æternum.

Num. 33, nomen principis scribitur *Theodo*.

Num. 34, pro *cum presbyteris et diaconibus quorum adhuc alii supersunt* legitur *cum presbiteris et diaconibus qui adhuc supersunt*.

Num. 36, pro *Vivarius* legitur *Nivarius*, et verba *juxta civitatem-ducentorum* omissa sunt.

Num. 39, legitur *quæ locutione vulgari Feronaidus appellatur*, et *Parthanorum* pro *Porahtanorum*.

Num. 44... *staret in monte contra Radasponam inter Danubii et Imbris fluenta, juxta plantationem vinearum... ex eodem jugo montis urbem avide videns, beati etiam Dei martyris ecclesiam contemplans, magnas Deo gratias referebat et demum ita descendens venit ad portum.*

Num. 46, *puella quædam de nostra diocesi constituta* pro *puella in nostris subjacentibus diœcesibus*.

4° [De festo Præsentationis S^tæ Dei Genitricis Mariæ] (fol. 66^v-88^r).

In his foliis non pauca referuntur de solemnitate Præsentationfs beatæ Dei Genitricis Mariæ in templo, præcipue vero Bulla quam Ropertus, Coloniensis archiepiscopus, Sacri Romani Imperii princeps, elector Westphaliæ et Angariæ dux, dedit XXVII Augusti anni M.CCCCLXX quaque festum hoc a suis celebrandum decernit ad avertendas calamitates. Scilicet :

Ut ergo, *ait*, hæc plenius fiant, nos cum unanimi consensu prælatorum ac totius cleri civitatis nostræ Coloniensis novum festum ejusdem Virginis gloriosissimæ quod Præsentationis dicitur et in vicinis provinciis sub vicesima prima die mensis Novembris solemniter celebratur, hoc nostra irrefragabili sanctione etiam per nostras civitates et diocesim statuimus et decrevimus ac ordinamus singulis annis sub eadem die tam in foro quam in choro cum propria historia celebrandum, et ubi propria historia de illo non habetur, cum historia de nativitate ejusdem Virginis intemeratæ, ita quod ubi *Nativitas* continetur, *Præsentatio* inseratur.... de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri, patroni nostri, et Pauli apostolorum auctoritate et

meritis confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis qui die prædicta ad laudem et honorem ipsius Virginis intemeratæ in singulis ecclesiis, monasteriis ac aliis locis ecclesiasticis præfatarum nostrarum civitatum et diocesis existentibus in quibus officium ejusdem Virginis celebrari contigerit, divinis interfuerint vel in vigilia ejusdem festi jejunaverint, annuatim XL dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis duraturis temporibus.

Sequitur narratio de institutione novæ solemnitatis quæ dicitur Præsentatio Mariæ semper beatissimæ virginis in templo: qui est sermo quidam paræneticus quo fideles ad hanc festivitatem agendam animantur. Tandem Sermones sex qui in hac festivitate ad populum haberi possunt.

5° Epistola domni Fulconis cognomento Boni, Andegavorum et Turonorum comitis incliti, ad S. Odilonem, collactaneum suum et Cluniacensium abbatem (fol. 88r-88v) et S. Odilonis ad eamdem responsoria (fol. 88v-89r).

Editæ apud Migne, P. L., tom. CXXXIII, p. 815-818.

6° Textus historiæ translationis in Burgundiam et relationis in Turonicam civitatem corporis beati Martini a S. Odilone abbate eleganti stylo editus (fol. 89r-93v).

Edit. ibid., p. 818-838.

7° Miracula quæ post translationem sancti Martini ad ejus sepulcrum facta sunt (fol. 93v-100v).

Liber miraculorum B. Martini auctore Heberno, archiepiscopo Turonensi, editus apud Migne, P. L., tom. CXXIX, p. 1035-1051.

8° Item de Miraculis S. Martini (fol. 100v-103).

Desumptum ex Gregorio Turonensi, *de Gloria confessorum*, ap. Migne, P. L., tom. LXXI, cap. IV-XIV, p. 832-838.

9° Ortus, vita et obitus sanctorum VII Dormientium, consanguineorum beati Martini et in Majori Monasterio corporaliter quiescentium (fol. 103r-107r).

Editum apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 1107-1118.

10° Miraculum S. Martini (fol. 107r-108r).

Vide Append.

11° Laus et meritum B. Martini (fol. 108r-110r).

Epistola Adami, abbatis Perseniæ, edita apud Migne, P. L., tom. CCXI, p. 668-672.

12° [De S. Victuro a B. Martino in Cenomanensium episcopum ordinato] (fol. 110r-111r).

Res ibi narratæ leguntur in Actis S. Victuri (*Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 145-147); sed in codice nihil refertur eorum quæ sanctus antistes in episcopatu gessit.

13° Epistola domni Philippi venerabilis Coloniensis archiepiscopi ad abbatem et capitulum Majoris Monasterii et ad primicerium et canonicos Novi Castri Turonis, de miraculis sancti Martini gloriosi Antistitis (fol. 111r-112v).

Ex his litteris a Philippo archiepiscopo in commendationem Guiberti, tunc monachi Gemblacensis, ad S. Martinum pietatis causa peregrinaturi conscriptis, ab eoque huc delatis, hæc quæ ad rem hagiologicam pertinent, describere libet :

Opusculum autem, quod devotionis ejus *(scilicet Guiberti)* testimonium appello, quod et quasi apes sedula per ampla beati patroni prata volutans, de diversis gestorum ejus libris ac si quosdam flosculos colligens, et in unum velut sertum compingens ad me scripsit : ex nostra et ipsius petitione diligenter inspicite, et si quid in eo nutare videtur, fulcite, si quid corrigendum, usque ad unguem ut dicitur expolite ; quatenus, cum vestra, apud quos omnium ejusdem patroni certitudo est, idem opusculum fuerit approbatione roboratum, nostra quoque postmodum secure et honeste possit auctoritate emitti.

Duo maxime sunt, super quibus, cum ad nos ex sola fama perlata sint, ex scriptis vestris certificari obnixe exposcimus : quorum alterum est, quod dicitur sanctus sacerdos adhuc vivens sanguinem martyrum Thebæorum post multos passionis eorum annos, cum in loco martyrii eorum oraret ex arido terræ sinu, quo receptus fuerat, elicuisse ; alterum, quod si verum est, mirabile immo incomparabile est in oculis nostris: siquidem fertur quod in nocte festi ordinationis seu translationis ejus, cantato solemniter completorio et conflua populi multitudine ejecta, januæ omnes ecclesiæ in qua corporetenus requiescit, diligenter claudantur, omnis missæ necessarius altari apparatus adhibeatur, nullus mortalium usque ad ortum solis ingredi permittatur : eo quod et a majoribus traditum et etiam miraculis confirmatum apud vos teneatur, ipsa nocte in eadem ecclesia a beato pontifice sanctisque aliis divina celebrari. Super qua re tam stupenda cunctis et insolita, qua vobis experientia comperta, quibus

auctoribus propalata, quibus signis comprobata sit, ut in usu jam inter vos habeatur et super serie prædicti sanguinis Thebæorum miraculi cum per benevolentiam vestram, si fieri potest, certificati fuerimus, uberes ex corde gratias referemus.

14° [Epistola fratrum capituli Majoris Monasterii et eorum humilis ministri fratris Hervei ad Philippum Coloniensem archiepiscopum] (fol. 112v-114r).

Edita ope hujus cod. in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 217 sqq.

15° [Epistola Philippi decani, Rainaldi thesaurarii, totiusque capituli beati Martini Turonensis ad Philippum Coloniensem archiepiscopum] (fol. 114r-118v).

Edita ope hujus cod. ibid., p. 221 sqq.

16° [Epistola Philippi decani, Rainaldi thesaurarii omniumque canonicorum ecclesiæ beati Martini Turonensis ad Philippum Coloniensem archiepiscopum] (fol. 118v-123v).

Edita ope hujus cod. ibid., p. 230 sqq.

17° [Epistola Guiberti Gemblacensis ad Philippum Coloniensem archiepiscopum] (fol. 123v-127v).

Edita ope hujus cod. ibid., p. 243 sqq.

18° Passio S. Benigni martyris (fol. 128r-138r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 1 Novemb., tom. I, p. 163-173.

19° Vita S. Annonis Coloniensis archiepiscopi (fol. 138r-205v).

Edita ope hujus codicis inter *Monumenta Germaniæ*, Scr. tom. XI, p. 465-514. Vid. etiam Surium, ad d. 4 Decembris.

20° Vita S. Severi episcopi et confessoris (fol. 205v-207v).

Vita auctore Luidolpho, presbytero, edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Februarii, tom. I, p. 88-90. — Ultima phrasis num. 13 *(Ego-scripsisse)*, num. 14, ac lib. II omissa sunt in codice.

21° Vita S. Cuniberti episcopi, cujus natalis est pridie Idus Decembris (fol. 208r-210r).

Edita apud Surium ad d. 12 Novembris.

22° Item ejusdem ut supra (fol. 210r-211v).

Videtur inedita. Cfr. Append.

23° Passio et Vita S. Pantaleonis martyris (fol. 211^{v}-217^{v}).

Passio haud absimilis ab ea, quæ edita est tum apud Mombritium, tom. II, tum in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 246 sqq.

24° [Vita S. Bonifacii archiepiscopi Moguntini] (fol. 217^{v}-255^{v}).

Vita auctore Othlone, edita ap. Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. III, part. II, p. 28-87. — Sed omissa est duplex epistola Zachariæ, quæ ibid. legitur pp. 73, 74.

25° Legenda S. Severini archiepiscopi Coloniensis (fol. 256^{r}-262^{r}).

De hac legenda, diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS.*, tom. X Octobr., cfr. ibid., p. 56, num. 18, et p. 60, annot. *a*, *b*. — Vita codicis continet Acta concilii Agrippinensis anni 346, de quo ibid., tom. XI Octobr., p. 829 sqq. Vid. Append.

Appendix ad cod. 428-42.

DE S. MARTINO. (Cfr. supra, pag. 240, 10°.)

Miraculum S. Martini.

1. Cum igitur Martinum sacræ dulcedo solitudinis affatim vendicaret, proximorum tamen necessitatibus condescendens, sæpius prodire in publicum cogebatur. Erat enim suum Martini apostolicum illud: *Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis.* Per Bituricense igitur territorium iter aliquando faciens devenit ad vicum, cui ex eventu miraculi nomen *Leprosi* inditum est. Dominus siquidem vici illius erat honorabilis et dives, sed leprosus. Cum igitur beatus Martinus ad ecclesiam sancti Silvani orationis causa divertisset, non enim irreverenter ecclesias præterire consueverat, in ipso sacræ ædis introitu dominum supradictum leprosum offendit. Martinus maturus ingreditur; porro ille egrediens agnoscit hunc esse Martinum, illum signipotentem, illum archipræsulem Turonicæ urbis, magnificum et gloriosum virum, ad cujus imperium nulla morborum genera non curantur: qui et mortibus imperat et lepræ, qua ipse laborabat, solo medetur osculo. Animatus igitur magnitudine viri et præsumens de potentia, servis suis prope astantibus equos et famulos domni Martini interim jubet ad domum deduci, instrui convivium tanti hospitis condignum reverentiæ. Ipse vero cum multis pro foribus egressuri præstolabatur adventum. Interea Martinus, ut semper frequentissimo discipulorum sanctissimoque comitatu constipatus, ab æde sacra egreditur. Cui et ille genibus provolutus supplex exorat, ut ad se hospitandi gratia divertere non

dedignetur: longe abesse urbem, illo tempestive proficisci non posse, tandem se ægritudinis fœditate non debere vitari, esse sibi domos idoneas ejus susceptioni. Tunc vir sanctus, spiritu credo annuntiante jam præsentiens divina inibi se facturum* miracula, alacri vultu pariter et voce respondet: *Quia voluntas Domini est ut apud te, frater, hospitemur ipsius hospitalitatis more accede et præbe nobis osculum pacis.* Ille vero, etsi tactum sancti modis omnibus gestiebat, pudore tamen actus ob morbi turpitudinem, refutabat accessum. Hærebat igitur verecundia. At sanctus qui nec lepra contaminari, sed lepræ mederi consueverat, incunctanter accedit et osculatur eum. Qui quare statim sanatus non fuerit, sanandus in crastino, illius est noscere* qui in pondere, mensura et numero universa disposuit. Fortasse quantum datur intelligi, pusillæ fidei erat homo, quia necdum mereretur accipere salutem. Porro sacri hospitis usus colloquio, visu, hortatu, pariter et doctrina, crevit fides ejus qua meruit impetrare quod Martinus dare credenti potentissimus erat. Sed ad propositum redeamus.

* *cod.* factum.

* *cod.* nosce.

2. Interea Martinus cum suis pone sequitur ad hospitium præeuntem. De communi apparatu taceo: ubi ne quid deesset, herus* copia impensarum, largitatis benivolentia, instantia jussionis præparavit. Servientes autem artis illius industria clientelæ suæ prompta obedientia et pro tanto hospite cura devotissima satagebant. At Martini cibus, etsi ut homo corpusculo aliquid indulgebat, tamen in facienda Domini voluntate potior fuit. Celebrato igitur tam sacro convivio, homo qui Martinum hospitio susceperat miseriæ propriæ oblivisci non valens (quippe, etsi multa habebat, æger, proh dolor, seipsum non habebat), accedit proprius ad sancti pedes, adorat, corporis sui fœditatem ostentat, ut sibi subveniat, quod nemo alius potest, supplex exorat. At sanctus, ut totus semper caritatis visceribus affluebat in Domino, hominis compatiens miseriæ, seseque jam ejus profitens debitorem, utpote qui se suosque paverat, de Domini misericordia fidere jubet, se intercessorem pro eo non defore pollicetur. Hortatur interim ad animæ puritatem, missarum solemniis crastino interesse, inter communicandum ab ore suo sumere pacem, ipsum quoque sacris mysteriis communicare. Interea fama non patitur solitarium esse solitudinis Martinum amatorem. Tanta enim multitudo ante hospitium congregatur ut vix locus caperet quos sancti devotio capiebat.

* *cod.* heros.

3. Cum igitur post Matutinorum solemnia Martinus egressus lætum sui occursum omnibus exhiberet, videt e latere gallinarum, altilium pullorumque non minimam multitudinem, et conversus ad circumstantes: *Miror,* inquit, *cum tantum hic videam pullorum gallinarumque examen, quod nullus ipsorum pro talium natura avium hac nocte cantavit.* Tum qui aderant responderunt: *Domine,* inquiunt, *non mireris. Sanctus namque Ursinus, hujus nostræ Bituricæ civitatis archiepiscopus, cum abhinc aliquando iratus discederet, hanc iracundiæ suæ notam villæ huic reliquit, ut eo discedente irato, silentio suo pulli gallinarum sanctitudinem ejus testarentur, quia bruti homines non sentirent.* Et Martinus: *Satis est,* inquit, *innocentes aves tantas luisse pœnas; nec frater noster Ursinus, credo, irascetur, si eas vice ejus absolvimus, quas ille ligavit.* Et addidit: *Afferte mihi annonam.* Cumque fru-

mentum attulissent, benedictum avibus dari jubet. Mira res! Videres volucres accepta benedictione Martini novo quodam tripudio resultare, nova voce reddita decantare Martinum, Martini præconia acsi sensatis vocibus jubilare. Quibus gestis, Martinus missas celebraturus procedit. Leprosus supradictus devotus adest, ab ore Martini pacem accipit, sacrosancta mysteria de sanctis ejus manibus sumit. Tum mirum in modum singulare illud sacrificium, quod animæ sanitatem operari consueverat, et corporis meritis Martini salutem operatur. Nam qui leprosus et immundus accesserat, vivifico cibo saginatus, sanus et mundus revertitur. Christi gloria in Martino laudatur et in Christo Martini potentia prædicatur.

DE S. CUNIBERTO COLONIENSI EPISCOPO. (Cfr. supra, p. 241, 22°.)

Vita S. Cuniberti Coloniensis episcopi.

1. In illo tempore fuit vir adolescens Cunibertus, ex provincia Mosalensi clara stirpe oriundus, cujus genitor Crallo habuit vocabulum, genitrix autem ejus Regina dicebatur. Beatus vero Cunibertus, bonæ indolis puer, per rectum tramitem incedens, erat prudens in eloquiis, semperque in timore [Dei] deditus, erga sanctorum ecclesias studiosissimus. Memoratus autem pater ejus, tantam videns in filio sapientiam atque mansuetudinem, lætabatur valde, et Domino gratias referebat, eo quod tam decoratam haberet prolem, studuitque eum præcellentissimo regi Dagoberto repræsentare, ut esset in obsequio ejus vel ipsius reginæ. Cum autem esset adductus puer in ipsius ducis palatium, mox duro subjugatur servitio, videlicet ut calceamenta abstraheret ac dilueret, stramentaque lectorum ipse administraret. Ipse vero venerabilis ac Deo carus puer hæc omnia sine aliqua hæsitatione faciebat. Cumque omnipotens Deus obedientiæ ejus laborem vellet remunerare, quadam nocte, expleto ministerio ad quod fuerat deputatus, ad proprium reversus est stratum; cumque omnes sopore deprimerentur et rex in stratu suo pervigil quiesceret, aspiciens vidit magnitudinem lucis desuper ubi prædictus puer quiescebat, et siluit nimio timore perterritus. In crastino autem cœpit inquirere, quis in ipsius cubiculi angulo quievisset. At circumstantes dixerunt: *Cunibertus puer*. Statimque ad se accersitum cœpit deosculari, leniterque alloqui, et eum sibi in filium adoptare, ac de ipsa dura servitute, a qua nunquam recesserat, eum studuit relevare.

2. Post non multum vero temporis, relictis hujus mundi negotiis, venerabilis Cunibertus, liberalibus litteris eruditus, archidiaconatus fungitur officio Treveris civitate. Deinde longe lateque caterva sacerdotum, mediante Spiritu sancto, ex
l. con. consensu * synodali, jussu etiam præcellentissimi principis Dagoberti, VII cal. octobris Coloniæ est pontifex ordinatus. Mox enim in eo lampas divina accensa est, et cœpit Coloniorum civitas habere antistitem plenum reverentia sacerdotali. Et quia in annis primævæ suæ ætatis sub tirocinio regis æterni militavit, postmodum episcopus ordinatus vixit inter barbaros pius, inter bella pacatus. Substantiam sui patrimonii sic amavit ut ecclesiis et egenis universa distribuens, tanti

census effusione nihil perderet. Sapientia pervigil, lenitate placabilis, qui et serpentis astutiam cum lege custodivit et columbæ simplicis animum non amisit, placida bonitate mitissimus, secundum catholicam disciplinam factor potius quam sermone doctor, et annosam sapientiam ostendens, in Christi famulatu erat assiduus, sobriumque pectus sapientiæ domicilium collocavit. Nobilitatis titulum sic per humilitatem provexit ad gloriam ut in cœlesti patria jam per sanctam conversationem esse videretur. Jejuniis et orationibus deditus, animi puritate mundissimus, Scripturarum sanctarum eruditione doctissimus, de purissimo fonte divino potavit. Quis non gauderet Cuniberti angelicum vultum pontificali cathedra præsidentem in sacratissima Agrippinensium civitate, quæ derivato vocabulo Colonia dicitur, et pro Christi nomine martyrum sanguine coruscat cum XI millibus sanctarum virginum et trecentorum decem et octo martyrum mediante Gereon cum sociis suis, ubi non minima miracula Christus pro eorum meritis quotidie dignatur operari?

3. Quadam denique die, dum juxta morem in sanctarum virginum basilica annua solemnitate missam celebraret et hostiam salutarem, id est corpus et sanguinem Domini, immolaret, circumstante plebe choroque clericorum perspiciente, apparuit columba niveo candore, circumquaque girando, et super caput venerandi antistitis insedit; deinde se elevans in capite sancti pontificis, ad cujusdam sanctæ virginis sepulcrum quiescens subito ante oculos omnium evanuit. Statimque vox omnium personat laudantium Deum, quod per famulum suum tale eis ostensum est miraculum. Vere enim laudanda est civitas Agrippinensium, quæ tali refulsit pastore. Gaudeat terra illa donis cœlestibus fecundata; exultent cultores ecclesiæ Coloniorum, qui sub canonica institutione renitent; gaudeant et monachi, quia sub jugo sui defensoris eorum privilegia restaurantur; gaudeant et captivi, quia confluentes de toto orbe terrarum tranquillum portum salutis per ipsum inveniunt. Famulus autem Domini Cunibertus oppressos sublevat, esurientes alebat pusillanimes confortabat.

4. In hoc opere detentus sacerdos Christi, Dominus non immemor suæ promissionis, ei reddere volens quod fideli servo promisit: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*, astitit ostio illius, pulsans per molestiam corporis. Quis enim digne enarrare potest quantum ecclesiæ sanctæ venerandus vir profuit, quantasque sanctorum instituit ecclesias fabricando, stipendia largiendo? Maxime apud Sigibertum inclitum regem Francorum vel proceribus ejus semper intervenire solitus erat pro hoc, ut ecclesias Dei rebus propriis dotarent, et loca sancta instituerent. His ita completis, quadraginta annis digne cathedram pontificalem obtinuit; transactoque hoc tempore placita vita idibus novembris cœlitus ad Dominum migravit, et calendis decembris in ecclesia beati Clementis, quam ipse construxit, corpusculum ejus dignæ sepulturæ est traditum, ubi magnam habet venerationem. Et si quis febre correptus aut stridore dentium vexatus ad ejus sepulcrum fideliter accesserit, omni dolore fugato ad locum pristinum, a quo venerat, rediit sanus et gaudens. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

DE S. SEVERINO COLONIENSI ARCHIEPISCOPO. (Cfr. supra, pag. 242, 25°.)

Incipit legenda sancti Severini archiepiscopi Coloniensis.

1. Beatissimus (1)... salvari. Ariana vero his temporibus contentio (2)... carere. Plures etenim tunc ecclesiam caninis... tempora citius advenissent. Factum est autem mira Omnipotentis dispositione, ut ex tota pene Gallia aliarumque partibus terrarum catholici et orthodoxi fidei christianæ doctores ad synodale concilium Agrippinam accederent, ac pia Dei providentia ut sanctam ecclesiam, quam damnatus ille Eufrata per venenosa documenta miserabiliter corruperat, fide verissima reformarent. Qui cum ad hoc peragendum versus prædictum oppidum, ducente eos pacis angelo, properarent, multitudo maxima, audita causa viæ illorum, illuc confluebat.

2. Igitur dum consedissent sancti patres in Agrippinensium civitate et cum recitata fuisset causa conventus eorum, beatus Maximinus, Treverorum episcopus, dixit (3)....

3. Completis itaque sententiis damnatus Eufrata, non ut pastor, sed tanquam mercenarius, destituitur; pastorque providus et vigilans ab omni populo statim exposcitur, qui circumspecte gregem Domini a luporum insidiis custodiat. Dum igitur omnes Dei clementiam pro tali pastore implorarent, beatissimus Severinus, Coloniensi prædestinatus ecclesiæ tempore arianæ* hæresis, lorica Dominicæ fidei indutus, cum omnium consensu tam cleri quam populi est electus, et in pastorem ab eis assumptus, quod quidem periclitanti (4)... confirmatus est. Quali autem vigilantia susceptum officium peregerit, vita et facta ejus declarant. Severinus æterni judicis præco succedit sancto Materno fortissimo christianæ fidei pugnatori; vigilantissimus pugnator fide, doctrinæ perfectione similis antecessori extitit. Exstirpavit namque cum adjutorio Dei omnem doctrinam arianam. In laude (5)... indicium invenimus in quo lucidissime demonstratur magni meriti ipsum apud Deum fuisse. Quodam itaque tempore, dum beatus Severinus die dominico... circuiret, illa hora qua vir Dei Martinus obiit audire... implorandum fore, ut diaconus sanctus Evergislus hujuscemodi canticum audiret. Tunc prostrati (6)... sensisse.

* *cod.* arreane.

4. Fertur (7)... perhibetur. Cui dum parentes... conducerent, post cœnam, dum cubiculum conjugis intraret, pavore... flagitavit. Iste est Severinus Dei cultor et orthodoxus pater qui arianam perfidiam in Gallia destruxit, et Eufratæ blasphemi, civitatis Coloniensis mercenarii et non pastoris, et ceterorum hæreticorum venenosa documenta damnavit, præfatam doctrinam una cum Martino, Maximino, Servatio et Hilario incredulis demonstravit, prædicans sanctam Trinitatem in

(1) Vid. *Act. SS.*, tom. X Sept., p. 60, ann. *b.* — (2) Ibid., p. 57, n. 3. — (3) Sequuntur Acta concilii Coloniensis an. 346, edita apud Mansi, *Conciliorum coll.*, tom. II, p. 1372-1374. Sed in cod. ultima paragraphus *(Item ex epistola Diopeti...)* om., ac singulis episcopis sua sedes est annexa. — (4) *Act. SS.*, tom. cit., p. 57, n. 2. — (5) Ibid., p. 58, n. 7. — (6) Ibid., p. 58, n. 8. — (7) Ibid., num. 9.

unitate Deitatis; prædicavit quoque omnibus qui confitentur unum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum Patrem non genitum nec factum, nec creatum, Filium quoque de Patre Deo genitum et æqualem Patri in deitate, et nunquam fuisse Filium sine Patre nec Patrem sine Filio, Spiritum sanctum non factum, non creatum, nec genitum, sed ab utroque procedentem, verum Deum, sicut Pater et Filius, coæternum, consubstantialem et coæqualem. Iste enim est qui fidem Christi per diversas ecclesias prædicavit, qui perfecto ducatu duxit plebem Domini, qui non timuit a verbis hæreticorum, fundatus enim erat supra firmam petram.

5. Corroborata (1)...debere. Unde repletus... Unde non modicum nec mediocriter lætati, unanimi voce subito exposcunt jussa divina fieri. Processione igitur cum summa reverentia et digno apparatu a præsule Amando religiose ordinata, obviam sancto Severino populus clerique conventus producitur, ut vir Dei honeste suscipiatur. Quem mox, ut appropiavit, præsul Amandus prior proprio... firmavit.

6. Quodam autem tempore, dum vir Dei ut solitus erat divino intentus esset negotio, allatus est ad eum quidam juvenis miserabilis, vitæ luce privatus. Cujus parentes flentes et plangentes, sancti Dei provoluti pedibus, cum maxima humilitatis reverentia rogabant eum, dicentes : *Pretiosissime inter electos Dei, Severine, qui provide supernæ deitatis nutu transmissus es in salutem istius patriæ, exaudi preces istius unici parentis, et si quid potes in præsentia Dei, adjuva nos misertus nostri; scimus enim te impetrare posse quæcumque velis a Deo: succurre nobis miseris.* Quorum ejulatibus et fletibus Dei confessor compatiendo oravit Dominum, cui omnia sunt possibilia, solita precum confidentia, sciens se abillius nequaquam defraudari clementia qui suis dixit discipulis: *Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis.* Cum autem pia cordis intentione Deum invocando orationem aliquamdiu flexis genibus protraxisset, nihil hæsitans de sui Creatoris sibi ipsius pace facta veritate *pietate, ad mortuum confidenter accedens, exspectantibus omnibus qui aderant, vivum illum suis parentibus reddidit. Mox omnes Deo laudes persolventes et mirandam Dei potentiam prædicantes, qui tam miranda operatus esset per merita sui sanctissimi confessoris Severini.

* s. i. p. f. v. *sic.*

7. Talem etiam divinitus habuit potestatem super malignorum spirituum tentamento ut si quem antiquus hostis humani generis obsessum collideret, opposito signo crucis inimicum expelleret et obsessum penitus liberaret. Innumerabiliaque miracula in eadem provincia (2)... recuperasse.

8. Post decessum igitur beatissimi Severini crebro cœperunt miracula fieri circa sepulcrum beati viri Dei. Nam quacumque membrorum debilitate homo detineretur, si ad viri Dei sepulcrum produceretur, mox quod fideliter quæsivit consecutus pristinæ sanitati pleniter est restitutus.

9. Quodam itaque tempore, dum ad annuale (3)... supervenit et introitum civitatis undique obsedit. Cum se multitudo... invitavit, miserabilibus vocibus et gemitibus Deum invocavit, ut in imminenti ejus perditione non obdormiret, sed ad resistendum inimicis suis propugnator fortis existeret. Mox mirum in modum densatur

(1) Ibid., p. 59, n. 11. — (2) Ibid., p. 59, n. 12. — (3) Ibid., n. 13.

caligine obscuritas nubium, dies naturali lumine privatus, et præ nimia obscuritate nebulosæ caliginis civitas a Gothorum oculis subtrahitur. Stat hostis in tentoriis perterritus, armorum pondere inutiliter protectus, qui nec fugiendi salutem consequi potuit nec cui pugnando finire licuit vitam. Tandem post aliquanta horarum spatia, divina id dispensante gratia, visum est hostibus quod a multitudine armatorum fortiter premerentur, et impetu maximo eos insequerentur. Unde relicto diverso apparatu castrorum, necnon et solamine equorum, ita discedunt perterriti ut nullus recordaretur sui proximi. Gaudebat enim unusquisque perdere sua, qui aliena venerat injuste rapere. Unde factum... frequentarent.

10. Quodam iterum tempore, dum per longum spatium Burdigalensi pago tanta vis immineret imbrium ut alvei fluminum solitum incredibiliter excederent cursum, tanta exterruit desperatio animos omnium ut iterum ob humanum genus delendum aliud futurum crederent diluvium. Omnis cessabat agricola, boves colla gestabant libera, nec* homines poterant sibi in futurum annum providere, ut spem seminis possent sulcis commendare. Interea dum misera animi sollicitudine non desisterent in omni hora desperare, contigit festivitatem beati Severini appropinquare. Qua indicta more solito, ideo instante die clerus affuit cum omni populo, vigilias communiter apud illius sepulcrum cum summa devotione celebrantes et pro instanti periculo cum mentis intentione Deum sanctumque Severinum implorantes, divino nutu tam valida vis imbrium restringitur, et in ventorum nubila detergitur, ut nec quidquam remaneret quod impediat serenum, vel quod obscurum faciat cœlum. Mane etenim facto, jam omni turbine sedato, sol clarum diem repræsentat mundo. Tali et tam subita serenitate recepta, miro gaudio repletur tota provincia, de die in diem majorem spem habentes in tali patrono, quia de se præsumentes nunquam deseruit pietas divina. Post illam aquarum inundantiam omnis provincia periclitabatur peste contraria : nam tantæ ariditatis siccitas terram occupabat quod omnino fructum dare negabat. Tellus itaque descendentibus rivis quasi sitim querebatur hiantibus venis, omnis cultus humanus et usus humore privatur radicitus, nec herba profuit jumentis vel pecoribus. Itaque hæc sequens siccitas tali universis erat tædio, ut prior inundatio, quamvis æque nociva, omnibus esset desiderio. Igitur cum omnes seipsos et sua desperationi traderent et spem consequendæ salutis postponerent, a sacerdote omnes in unum convocati et de ingruente dolore vix aliquantulum consolati, admonet eos ut conventu communi ad sepulcrum confugiant beati Severini. Indictisque solemniter vigiliis, mox sequenti nocte convenit universus populus civitatis ; concurrunt ad sepulcrum sanctissimi confessoris, humiliter eum exorantes pro periculo imminentis ardoris. Mirum in modum circa ejusdem mediæ noctis spatium aer involvitur obscuritate nubium, celatur nube siderum claritas et terræ induitur humoris frigiditas. In laudibus ergo Dei perseverante populo, diu negata cadit abunde pluvia de cœlo, et herbarum defectus cœlitus misso humore paulatim reficitur. In brevi itaque omnis illius prioris ariditatis sterilis siccitas Dei dispositione et sancti Severini intercessione in uberem fecunditatem et in pristinum viriditatis vigorem est mutata, ut nec signum pulveris nec squaloris appareret, et omnis terra æqualiter temperata fructuoso germine floreret.

* *cod.* ne.

11. Postquam (1)... revocavit. Tantam namque dominationis vim tunc temporis crudelitati tyrannicæ propter peccatum inobedientiæ ultio divina concessit ut in cunctis Galliarum provinciis nulla civitas, nisi Metensis, inusta remaneret, quamvis in ea non nisi solum oratorium sancti Stephani nomine dedicatum, propter ejusdem protomartyris sanguinem ibidem pullulantem salvatum esse sancti Servatii gesta commemorent. Quam insanientis gentilitatis * feritatem omnipotentis Dei patientia non prius Coloniensem provinciam permittebat invadere, quam ejus defensoris Severini animam in electorum suorum consortium dignaretur recipere, ut aperte daretur intelligi quanti privaretur munimine patroni. Quibus gestis... negaretur. Cumque magna penuria... gaudio fleret. Nec mora, constituerunt diem quo ad hoc agendum necessariis sumptibus ad hoc præparatis idonei quique solliciti convenirent. Mox mirum in modum (2)... Cornelii et Cypriani, quam beatissimus Dei confessor a fundamentis erexerat et in hororem eorum dedicaverat solemniter, condiderunt. Eodem autem anno... testaretur. Factumque est quasi... episcopum.

* *cod.* gentilitas.

12. Post reconditum vero ibi beati corporis thesaurum, Nordimanni ruptis habenis crudeliter sævientes et maximam partem illius regni incendiis et cæde vastantes, nullo penitus conatu valebant ejus oratorium inflammare, dum tamen nulla in circuitu ecclesia flammis quiverit superesse. Ibi non modicum sui detrimentum in quorumdam gravibus pœnis, quorumdam mortibus, sentientes, illius domus custodem et dominum iratum esse rustice conclamaverunt, et ab ejus se vicinio quantocius rapuerunt.

13. Beatæ memoriæ postmodum venerandus Leo papa cum a Roma (3)... fulciantur. *(Ita explicit.)*

XVII. Codex signatus n° 472-79.

Foliorum 228 (præter sex in capite codicis, quorum unum ejusdem indicem exhibet, cetera vacua sunt, et alia quatuor item vacua ad calcem), formæ mediocris (0m, 31 × 0,22), columnis binis exaratus diversis manibus extremo seculo XIV, quod indicat nota hæc ultimo folio a postremo librario subscripta : *Iste liber est cenobii Sancti Pauli in Zonia scriptus [et ligatus] anno* M°. CCC. XC. *sexto* : ubi voces *et ligatus* erasæ sunt, non ita tamen ut adhuc legi nequeant. In capite vero codicis (in folio quod præcedit indicem) manu seculi XVI inscriptum est hoc distichon :

Est Rubeevallis possessio codicis hujus
Quem qui reppererit, obsecro, reddat ei.

(1) Ibid., p. 62, n. 16. — (2) Ibid., n. 18. — (3) Ibid., p. 63, n. 21.

Tituli singulorum documentorum minio descripti sunt, sicut et litteræ initiales. Quatuor hujusmodi litteræ, cæruleo colore depictæ et ornamentis minio tinctis paulo ambitiosius circumdatæ, sed non admodum eleganti arte.

Referuntur in eo codice, præter Hieronymi epistolas et quædam opuscula, tres epistolæ in laudem ejusdem sancti doctoris post ipsius obitum scriptæ, videlicet :

1° Epistola de obitu beati Iheronimi per Eusebium, ejusdem discipulum, Damaso episcopo et Theodosio imperatori descripta (fol. 203r-217v).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 239-282. — At in cod. omissa sunt capp. I, X, ac prior pars cap. XI (*Unde-cupio reserare*).

2° Epistola beati Augustini episcopi ad Cyrillum episcopum de laude beati Iheronimi presbyteri et doctoris (fol. 226v-228v et fol. 217v-219r).

Edita ibid., p. 281-289.

3° Epistola Cyrilli ad beatum Augustinum episcopum, super quibusdam beati Iheronimi miraculis et prodigiis rescripta (fol. 219r-226v).

Edita ibid., p. 289-326. — Sed in codice om. pars posterior cap. III, scilicet a *Silentio prætermittendum nequaquam puto* (tom. cit., p. 293 sub med.); item cap. IV, cum initio cap. V, scilicet usque ad *coronam gloriæ obtinere* (p. 299 sub med.); præterea capp. VIII-XII, ac ultima pars cap. XIII, scilicet a verbis *Ecce quot malorum* (p. 341 med.); denique capp. XIV, XIX, et cap. XXI.

XVIII. Codex signatus n° 565-75.

Volumen istud constat duobus codicibus primitus diversis, sed jam dudum simul compactis. Folia continet omnino 166, formæ mediocris (0^m,33 × 0,22), columnis binis, nullis antiquis numeris notata, sed manu recenti (quæ post folium 97 prætermisit sequens et inde 165 tantum folia computavit). Pars prior (fol. 1-135 seu 136) diversis manibus seculi XV exarata, opuscula nonnulla moralia complectitur S. Ambrosii : quæ quum ad scopum nostrum non spectent, fusius de illis agere non oportet. Altera vero (fol. 136-165), exarata seculo XIV, Vitas sanctorum exhibet. Tituli minio signati sunt, litteræ initiales singularum Vitarum minio item vel cæruleo, ceterum nullis ornamentis.

Fol. 1v manu seculi XV index utriusque partis inscriptus est, præmisso hoc titulo : *Liber canonicorum regularium in Korssendonck. Sequitur tabula contentorum.*

Et rursus ad calcem prioris partis (fol. 135v) nomen *Korssendonck* minio descriptum est.

In posteriori parte hæ leguntur sanctorum Vitæ :

1° Dicta beati Ieronimi presbyteri de vita Stæ Paulæ (fol. 136r-148v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Januarii, tom. II, p. 712-722.

2° Narratio beati Ieronimi de captivo monacho (fol. 148v-151v).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXIII, p. 53-60.

3° Vita Frontonii (fol. 151v-153v).

Edita ibid., tom. LXXIII, p. 437-442.

4° Vita Stæ Marinæ monachæ (fol. 153v-155r).

Edita ibid., p. 691-694.

5° Vita beati Fursei viri admodum religiosissimi (fol. 155r-161v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Januarii, tom. II, p. 36-41. — Sed in codice nulla fit mentio de Gobonna et Tibulla (loc. cit., num. 37); præterea omissa sunt hæc verba num. 38 : *in loco Maceria nominato,* XVII *kl. Februarii,* et num. 39 : *die* VI *Februarii,* ac paulo inferius : *et a Foillano et Emiano abbatibus et aliis sanctis viris... sine ulla putredine.*

6° Vita beati Fursei secunda (fol. 161v-165v).

Est narratio miraculorum conflata ex duplici libro miraculorum subjuncto duplici Vitæ S. Fursei et edito in *Act. SS.*, loc. cit., p. 31-44 et p. 49-53, subinde verbis aliquantum mutatis.

XIX. Codex signatus n° 581.

Foliorum 150, præter duo insiticia in capite codicis et alia tria vacua ad calcem; ceterum quoad omnia similis codici 380-382 supra descripto (pag. 202). Antiquo tegumento, quod constat ex axiculis ligneis coopertis corio ornamentis forma ferrea impressis insigni, affixa est formula cuprea, lamellulam continens lapidis specularis transludicam et tineolæ membraneæ superpositam in qua legitur : *Prima pars passionalis magni.* Hujus itaque Passionalis partem secundam exhibet codex citatus 380-382, atque inde colligi potest, sicut illum, ita et quem nunc præ manibus habemus, fuisse olim monasterii Canonicorum regularium Vallis Sancti Martini Lovaniensis.

1° Passio S. Andreæ (fol. 1r-3v).

Eadem Passio atque ea de qua actum supra p. 5, num. 2; cfr. p. 21.

2° Vita S. Eligii episcopi et confessoris, quod est Kalendas Decembris (fol. 3v-6r).

Fragmentum Vitæ auctore S. Audoeno, editæ apud Surium, ad d. 1 Decembris.

3° Vita S. Nicolai episcopi et confessoris, quod est octavo Idus Decembris (fol. 6r-18v).

Ea vitæ narratio quæ refertur in cod. Gandavensi 499 *(Anal. Boll.,* tom. III, p. 205); sed in cod. Brux. om. num. 1 Vitæ editæ apud Carminium ac prosa edita in *Anal.,* tom. cit., p. 206.

4° Miraculum de S. Nicolao (fol. 18v-21r).

Ineditum, ut videtur. Vid. Append.

5° Sequitur exemplum (fol. 21r-21v).

Ea narratio de qua in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 184, 35°.

6° Vita et actus SS. Eucharii, Valerii atque Materni (fol. 21v-25r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Jan., tom. II, p. 918-922. Sed in codice notandæ lectiones variantes quæ indicatæ sunt ibidem annot. *g* (ad num. 4), annot. *m* (ad num. 5) et annot. *c* (ad num. 7); insuper omm. num. 15 et hæc verba num. 24: *die* XVII *kl. Octob.*

7° Passio S^tæ^ Eulaliæ virginis et martyris, quod est IIII Idus Decembris (fol. 25v-26v).

Inedita, ut videtur. Vid. Append.

8° Passio S^tæ^ Luciæ virginis et martyris, quod est Idus Decembris (fol. 26v-28r).

Edita apud Surium, ad d. 13 Decembris.

9° Passio S. Thomæ apostoli, quod est undecimo Kalendas Januarii (fol. 28r-33v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sub fine convenit cum cod. Brux. 206 (vid. supra p. 117, 60°).

Post apostoli Passionem hæc leguntur:

Expositio vocabulorum palatii.

1° Proaulum, hoc est porta prima ab oriente, vel locus coram aula regis, quadratis lapidibus constructus.
2° Salutatorium, hoc est salutationis locus.
3° Consistorium, hoc est locus in quo consistunt ante prandium vel lavantur pedes.
4° Triconium, id est locus prandii.

5° Zetas, hoc est sedes hiemales, quæ calidæ fiunt subacta flamma.
6° Zetas æstivales, quæ frigidæ fiunt subducta aqua.
7° Epicaustorium, hoc est locus discernendi de causis.
8° Termos, id est locus balnei, ubi calidum balneum fit (termon enim græce, calor latine), vel locus ad quem purissimæ aquæ concurrebant ut fiant piscinæ, et ibi primo balneabant se.
9° Gimnasia, hoc est locus in quo variæ exercentur artes, maxime philosophia, vel locus in quo jocabantur juvenes coram potentibus.
10° Cocina, id est locus ubi varietas præparabatur escarum.
11° Columbus, id est aquæductus.
12° Spondromum sive ypodromum, id [est] locus pro domo secretus vel ad custodiendos thezauros vel ad digesta corporis necessaria.

8° Passio S. Gregorii martyris, quod est duodecimo * Kalendas Januarii (fol. 34^r-35^v).

* *corr. manu rec.* nono.

Edita ap. Surium, ad d. 24 Decembris.

9° Passio sanctissimæ ac beatissimæ Anastasiæ, quæ est VIII Kl. Januarii (fol. 35^v-36^v).

Edita in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, *Florilegii* pp. 183, 184. — Incipit : *Igitur cum fuisset tradita beata Anastasia præfecto Illyrici.* Et præpositus est Vitæ prologus in codice Casinensi prætermissus. Vid. Append.

10° Assumptio beati Johannis evangelistæ, quod est VI Kl. Januarii (fol. 36^v-41^r).

Epistola de passione S. Joannis quam scripsit Mellitus episcopus Laodiceæ, edita ap. Fabricium, *Codex Apocryphus Novi Testamenti*, part. III, p. 604-623.

11° Item ex historia scolastica de eodem Joanne (fol. 41^r-42^r).

Historia de juvene converso relata apud Eusebium, *Historia ecclesiastica*, lib. III, cap. 24.

12° De passione S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, quod est IIII Kl. Januarii (fol. 42^r-43^v).

Inc. *Gloriosi martyris Thomæ, fratres charissimi, celebramus.* — Teste Thoma Duffus Hardy *(Descriptive catalogue of materials relating to the history of Great Britain and Ireland,* tom. II, p. 362) edita est apud Giles, *Vita S. Thomæ Cantuariensis episcopi et martyris*, tom. II, p. 146.

13° Vita S. Silvestri papæ (fol. 43^v-57^v).

Vita edita apud Mombritium, tom. II. — Lib. I habet additamenta notata in

cod. 64 (vid. supra p. 5, 7°); in lib. II, pro illis quæ leguntur apud Mombritium, p. penultima, col. 1, lin. 3 a fine, ita cod. :

Sanctus autem Silvester, ex patre Rufino, natione Romanus, sedit in cathedra episcopatus Romani annos viginti tres, menses decem, dies undecim. Fuit autem temporibus Constantini magni imperatoris et nobilissimi consulis ex die Kalendarum Januariarum. Hic fecit ordinationes in mense decembri, presbyteros, diaconos viginti sex, episcopos per diversas civitates quinquaginta quinque. Hic sepultus est in cœmeterio Priscillæ, via Salaria, milliario tertio ab urbe Roma, pridie kalendas Januarias. Qui fuit vere catholicus et Christi confessor quievit in pace. Post hæc Constantinus... *(ut supra, p. 119, 65°).*

14° Passio S. Juliani et Basilissæ et aliorum plurimorum sanctorum, quod est VIII Idus Januarii, id est festum Epiphaniæ, in Antiochia civitate (fol. 57ᵛ-69ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Jan., tom. I, p. 575-587. — Subinde nonnullæ phrases, quibus narratorum series nihil immutatur, omissæ sunt; sub fine vero num. 63 omm. hæc verba : *Passi-januarii*, itemque num. 64 verba : *Nec hoc silebo-basilicæ fabricantur.*

15° Vita S. Hilarii Pictaviensis episcopi, quæ est composita a Fortunato, ejus discipulo (fol. 69ʳ-71ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad. d. 12 Jan., tom. I, p. 790-793.

16° Passio S. Pontiani, quod est XIX Kl. Februarii (fol. 71ᵛ-73ʳ).

Diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 14 Jan., tom. I, pp. 933, 934. Vid. Append.

17° Passio S. Sebastiani et aliorum plurimorum martyrum, quod est XIII Kl. Februarii (fol. 73ʳ-86ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Jan., tom. II, p. 265-278.

18° Passio Sᵗᵆ Agnetis virginis et martyris, a S. Ambrosio episcopo conscripta, quod est XII Kl. Februarii (fol. 86ᵛ-89ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Jan., tom. II, p. 351-354.

19° Passio S. Vincentii martyris, quod est XI Kl. Februarii (fol. 89ᵛ-92ᵛ).

Rebus narratis convenit hæc Passio cum Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Jan., tom. II, p. 394-397, subinde nonnullis in codice omm.

20° Passio S. Policarpi episcopi et martyris, quod est VII Kalendas Februarii (fol. 92v-94v).

Epistola ecclesiæ Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi, stylo haud parum dissimilis ab interpretatione quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 26 Jan., tom. II, p. 705-707.

21° Vita S. Joannis Crisostomi episcopi (fol. 94v-98r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

22° Passio S. Ignacii martyris, quod est Kalendas Februarii (fol. 98r-101v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Feb., tom. I, p. 29-33. — Sed in cod. num. 20 om. ac num. 21 legitur ut indicatum est loc. cit., annot. *m*.

23° Vita Stæ Brigidæ virginis, quod est Kalendas Februarii (fol. 101v-104v).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 1 Feb., tom. I, p. 118 sqq., scilicet num. 1-28.

24° Passio S. Blasii episcopi et martyris, quod est tertio Nonas Februarii (fol. 104v-109r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Feb., tom. I, p. 339-344.

25° Passio Stæ Dorotheæ virginis (fol. 109r-112r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Feb., tom. I, p. 773-776. — In cod. incipit:

Gloriosa virgo et martyr Dorothea ex patre Dorotheo et matre Dorothea progenita est, ex nobili sanguine senatorum. Illis temporibus viguit persecutio christianorum in terra Romanorum. Unde beatus Dorotheus spernens idola, Romam relinquens cum possessionibus, agris, vineis, castris ac domibus, transfretavit cum uxore sua et duabus filiabus, Cristen et Calisten, in regnum Cappadociæ, perveneruntque in civitatem Cæsaream. Ibi habitans genuit filiam de cujus vita nunc intendimus loqui. Cumque virgo sancta esset genita, more christianorum occulte baptizata a quodam episcopo sancto, qui nomen ei imposuit ex patre et matre compositum Dorothea. Hæc quotidianis....

26° Passio Stæ Agathæ virginis et martyris, quod est Nonas Februarii (fol. 112r-114r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Feb., tom. I, p. 615-618.

27° Passio S. Valentini presbyteri et martyris, quod est XVI Kl. Martii (fol. 114r-115v).

Edita *Act. SS.*, ad d. 14 Feb., tom. II, pp. 756, 757. — Sed in lectione codicis non dicitur *episcopus* Interamnensis ecclesiæ, sed *presbyter*.

28° Passio S. Valentini presbyteri et martyris, quod est XVI Kl. Martii (fol. 115v-116v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Feb., tom. II, pp. 753, 754. — Incipit: *Tunc tenuit Claudius quemdam venerabilem virum.*

Num. ultimi ultima phrasis om. in cod. (cfr. tom. cit., p. 754, annot. *n*).

29° Passio Stæ Julianæ virginis et martyris (fol. 116v-120r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Feb., tom. II, p. 873-877.

30° Vita S. Matthiæ apostoli, quod est VI Kl. Martii (fol. 120r-126r).

Acta S. Matthiæ ab anonymo olim hebraice conscripta, ab interprete monacho Trevirensi aucta, edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Feb., tom. III, p. 441-448. — Sed in codice omissus est prologus II partis I, in secunda vero parte om. prima phrasis num. 1.

31° Passio SS. martyrum Perpetuæ et Felicitatis, quod est Nonas Martii (fol. 126r-127r).

Edita supra, p. 158-161. — In cod. incipit: *Facta itaque persecutione sub Valeriano...* Et num. 2: *Orantes vero et sine cessatione preces ad Dominum fundentes, cum essent multis diebus in carcere, quadam nocte...*

32° Vita beati Gregorii papæ et confessoris, quod est IIII Idus Martii (fol. 127r-134v).

Hujus lucubrationis prior pars, paucis omissis vel additis, constat numis 1-18 Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 130-137; posterior, numis 5-19 Vitæ editæ in *Legenda Aurea*, p. 188-202 (ed. Dresdæ 1846).

33° Passio S. Longini martyris, quod est Idus Martii (fol. 135r-136r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Martii, tom. II, p. 384-386. — Sed in codice hinc inde phrasis aliqua om., et (num. 10) martyr dicitur passus *die decimo Kalendas Decembris.*

34° Passio S. Marcelli papæ, quod est XVII Kl. Februarii. Item passio SS. Ciriaci et Sisinnii diaconorum, Largi et Smaragdi martyrum, quod est XVII Kl. Aprilis secundum martyrologium (fol. 136r-139v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan., tom. II, p. 5-8.

35° Vita Stæ Gheertrudis virginis, quod est XVI Kl. Aprilis (fol. 139v-143v).

Edita ap. Josephum a Ryckel, *Vitæ S. Gertrudis historicæ narrationes tres* (Lovanii 1632), p. 1-31.

36° Vita S. Ambrosii episcopi et confessoris, quod est II Nonas Aprilis (fol. 143^{v}-150^{r}).

Vita auctore Paulino, edita ap. Migne, P. L., tom. XIV, p. 27-46. — Sed in codice omm. numm. 1, 2.

Appendix ad cod. 581.

DE S. NICOLAO. (Cfr. supra, pag. 252, 4°.)

Miraculum de S. Nicolao.

1. Si devotionis vestræ, fratres dilectissimi, delectat affectum, volumus vobis de mirabilibus beati Nicolai miraculis mirabile quoddam enarrare miraculum, ut mirabilem Deum [in] sanctis suis de mirabilibus factis miremur gloriosum. Beatus itaque et electus Domini nostri Jesu Christi Nicolaus archiepiscopus, dum de hac luce ad Dominum mirabiliter migraturus mirabilem consummasset vitam, sanctissimam creatori suo evidenti miraculo reddidit animam. Sacerdotes autem ejus et clerici dum hoc admirando conspicerent ac conspiciendo mirarentur, Deo gratias agebant, qui tam glorioso fine gloriosam sancti sui confessoris decoraverat vitam. Tunc abluto ex more sancti viri sanctissimo corpore, linteamina quibus vivens utebatur, multis in posterum utpote profutura, venerabiliter conservare studuerunt.

2. Aderat autem forte quidam homo, Jethron nomine, qui ad sanctum et sapientissimum virum consulendum venerat de longinqua regione. Hic cum invenisset defunctum quem quæsierat vivum, cœpit cum magno mœrore eosdem sacerdotes et clericos rogare, ut vel aliquid de vestimentis sancti viri per misericordiam debuisset sibi dari. Dicebat autem eis cum lacrimis et suspiriis magnis : *Ego, patres et domini, veneram a domino meo Nicolao accipere benedictionem : sed concessum mihi non fuit ut vel vivum eum conspicerem. Obsecro ergo benignitatem vestram, ut vel aliquid de vestimentis ejus sancti corporis præbeatis mihi, ut habeam de domino meo hoc tantillum in honorem ejus ac mei munimentum.* Presbyteri vero et clerici hæc intendentes et talem petitionem viri et desiderium amplectentes, dederunt ei unum de linteaminibus sanctissimi viri. Jethron autem ut accepit vestimentum beati Nicolai, cum desiderio magno reclusit illud in locello novo, nulli hominum usu actuali antea usurpato. Et ibat lætus dicendo : *Gratias tibi, Domine, ago, quia de confessore tuo sanctissimo reliquias porto. Obsecro ergo, Domine, ut per has reliquias beati Nicolai, de lumbis meis mihi des filium, ad honorem tuam et gaudium meum, ac profectum publicum.*

3. Reversus denique Jethron in civitatem suam, quæ dicitur Excoranda, uxori

suæ, quæ dicebatur Eufrosina, lætus cœpit dicere : *Ecce reliquiæ beati Nicolai archiepiscopi, quem videre desiderasti. Deprecemur ergo Deum, ut tantorum astipulatione pignorum aperiat vulvam tuam, et de tuis visceribus det nobis desideratam prolem.* Tunc Eufrosina gaudio repleta dicebat : *Gloria tibi, Domine, qui nobis peccatoribus tantam gratiam concessisti, ut beati Nicolai pretiosas reliquias habere gaudeamus.* Statimque rogare cœpit virum suum ut ecclesiam in honorem et memoriam beati construeret Nicolai, ut per ipsius orationes adimpleret Dominus desiderium suum. Cujus precibus Jethron benigne favens, ecclesiam fabricare cœpit, foras portas urbis in parte orientis quasi stadiis duobus. Quæ dum completa fuisset, dedicavit eam Apollonius, episcopus ejusdem civitatis, in honorem et memoriam sancti Nicolai, recondens in ea linteamen illud solemni veneratione. Cum autem reliquiæ sancti viri in loco collocarentur competenti, tantum de se odorem emittere cœperunt, ut usque ad duo plenarie stadia odoris nimii expanderetur fragrantia. Extunc adeo cœpit ille locus miraculis splendere, ut undecumque ad eum languentes advenirent, statim per beati Nicolai merita beneficia singulis præpararet congrua, cæcos scilicet illuminaret, surdis auditum præberet, et qui spiritus diversæ iniquitatis patiebantur, sanarentur. Omnes denique illius regionis homines gratias Deo agere cœperunt, qui tam miranda mirabilia operari dignabatur in populo suo per famulum suum, beatissimum Nicolaum.

4. Ecclesia itaque supradicta a nobili viro Jethrone exacta, congruis instrumentis pleniter instructa, decoris ornamentis sufficienter ornata, servitoribus honestis sapienter ordinata, devotius et obnixius solito in ea Jethron quotidie Deum collaudabat, sanctum Nicolaum exorabat, ut hic per illum, ille propter istum Jethroni compleret desiderium suum. Hæc autem eo sæpius repetente, Eufrosina concepit, et expleto pariendi tempore octavo idus decembris peperit puerum : cui, sicut eis rei evidentia dictavit, nomen imposuerunt Adeodatum, et omnibus gratanter nomen ejus exponentes, gratulabantur dicendo : *Quia per beati Nicolai meritum dedit nobis pius Dominus hunc quem conspicitis filium.* Erat infans clarissimus et valde speciosus. Post hæc omni anno cum lætitia magna cœperunt celebrare solemnitatem sancti Nicolai in anniversario filii sui.

5. Cum vero complesset puer septem annorum cursum, convenerunt Jethron et uxor ejus cum filio suo et propinquis suis et vicinis ad festivitatem sancti Nicolai. Supervenerunt autem eis ex improviso Agareni prædatores, qui totius terræ prædam et ipsos deprædati sunt homines. Inter quos, evadentibus etiam parentibus, captus est puer Adeodatus. Agareni vero duxerunt eos in Babyloniam, et dividendo inter se captos pervenit puer Adeodatus in manum cujusdam, nomine Marmorini. Jethron vero et uxor sua cum ad civitatem confugissent et filium diu quæsitum non invenissent, vestimenta sua scindere et capillos evellere et pugnis se cædere cœperunt; et faciem suam percutiens atque misere lacrimans mater dicebat : *Heu, heu, fili mi unice, quid miseræ matri de te accidit? Ego misera et vir meus cum petitione magna a domino meo beatissimo Nicolao implorando vix impetravimus quod ille pro nobis Deum rogavit, et Deus pro illo te nobis donavit. Non ad hanc perditionem, fili mi, te tanto tempore petisse speravimus, sed ad gaudium in vita nostra, et*

exultationem, ac possessionum nostrarum post decessum nostrum secundum Deum administrationem. Ecce nunc vacua sum de te, fili mi. O domine meus Nicolae, beate confessor Christi, quia per te illum habui, tu eum mihi redde, ut videam eum antequam moriar. Per tuam, dulcis domine, piissimam intercessionem, venter meus dolorem perpessus, et caput meum confirmatum est : ac postquam illum meos ante oculos vidi, præ gaudio pressuræ non memini, sed gaudens permansi. O sanctissime Nicolae, solitis miserationibus tuis condolens esto miseriis meis, ut quas semel experta sum, experiar et secundo. Te enim miserante, ego misera illum concepi, parturivi, peperi, lactavi, nutrivi, educavi, et nunc gaudia quæ de illo speravi, pro doloribus, heu, mutavi : quia non video filium meum unicum quem speravi successurum. Sancte Nicolae, quæso, precor, obsecro, imploro misericordiam tuam, ut reddas mihi filium meum : ut sicut me lætificasti quando illum mihi donasti, ita nunc admirabiliter meritorum efficacia captivæ captivum restituendo lætissimam me de illo facias. Carnem certe non comedam neque vinum bibam quousque filium meum videam. Tunc cœpit tribus diebus in hebdomada jejunare, et semper in oratione repetere : *Redde mihi obsecro, filium meum, sancte Nicolae.*

6. Cum autem anni volubilitas anniversaria vice solemnitatis sancti Nicolai reduxisset diem, cœpit Jethron dicere uxori suæ Eufrosinæ : *Mulier, adquiesce consiliis meis, et pergamus ad beatissimi Nicolai solemnitatem, et de bonis quæ nobis dedit Dominus bonam partem pauperibus erogemus, et patrem nostrum sanctissimum Nicolaum rogemus : forsitan sicut liberavit tres illos innocentes de laqueo mortis et de ira Constantini imperatoris, et eos saluti restituit, ita filium nostrum nobis revocabit. Credo siquidem similia nobis ab illo evenire.* Cum hæc audisset Eufrosina, commota sunt viscera ejus super viri sui vaticinio, et secundum ejus consilium ad ecclesiam perveniunt ambo. Cumque illa in ecclesia fuisset ingressa, expandens manus suas ad cœlum oravit : *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, respice in me et miserere mei, et exaudi me per merita beatissimi Nicolai : et sicut liberasti multos viros de pelago mortis et saluti restituisti, et tres innocentes de periculo mortis, sic libera, Domine, filium meum de manu regis Agarenorum, et redde illum nobis, ut cognoscamus et credamus quia tu es qui omnia potes et vales eripere omnes qui in te confidunt, a vinculo diaboli et periculo mortis, et es mirabilis in sanctis tuis in sempiternum, qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.* Cumque complesset orationem humili affectu, circumstantibus refectionem cœpit præparare clericis, pauperibus et laicis, qui ad festivitatem sancti Nicolai convenerant. Tunc a sacerdotibus et levitis et reliquis clericis opere Dominico in ecclesia sancti Nicolai solemniter celebrato ac mensis appositis convivio celebri subsecuto, statim res miranda contigit, sicut rei postea probabit eventus.

7. Ipsa enim hora qua convivantes cibum sumere cœperunt in solemnitate sancti Nicolai, eadem hora rex in cujus obsequio erat infans Adeodatus, mystica fame arreptus cœpit dicere militibus suis atque magistratibus et ducibus : *Dico vobis, carissimi mei, quia ex quo natus sum usque in hanc horam non fuit mihi talis voluntas comedendi, immo necessitas, qualis modo. Parate ergo mihi cum festinatione quo vesci debeam, et apponite mensam.* Milites ergo cum hoc audissent,

præparatis regalibus epulis, mensam pro voto regis posuerunt, et omnes pariter cibum cum eo sumere cœperunt. Mox iterum rege potum eadem festinatione flagitante, infans Adeodatus qui erat in hujusmodi obsequio, scyphum regalem arripiens et recentarium ad illum lavandum, regi potum præparavit. Moxque occasione diei et rei causam exultationis suæ intra se rememorando, alta trahere suspiria coram rege cœpit, et in cogitatu suo quasi dicere : *Heu mihi hodie, quippe expletus est annus, ex quo captivus coactus servitio regi alienigenæ servire compellor.* Rex vero cum hoc animadvertisset, sciscitatus tantorum suspiriorum ac gemituum causam a puero, responsum est ei ab illo pueriliter tremefacto : *Recordatus enim sum, domine, subito in mente mea, quia hodie expletus est annus quo hic apud te captivus existo, quia pater meus et mater mea in hac die solemnitatem celebrant magnam in ecclesia sancti Nicolai, domini nostri.* Rex autem cum talia audisset, respondens dixit ei : *O miselle, cum ego te captum teneam, quid prodest tibi talia cogitare? Et quis est qui de manu mea te tollere possit? Omitte ergo frustra suspirare, et satage mihi potum propinare.* Infante autem ad imperium regis cum scypho et recentario ad portum, erat enim proximus, lavandi causa tendente, subito sanctus Nicolaus affuit, et eum per capillos verticis capitis sui tenens, mirabiliter asportatum coram parentibus suis et convivantibus statuit.

8. Illis itaque juxta ecclesiam reficientibus, vident subito infantem coram se astantem, et scyphum ac recentarium in manibus tenentem. Cumque quisnam esset interrogassent, respondit se esse Adeodatum, Jethronis et Eufrosinæ unicum filium. Audiente hæc et vidente Eufrosina, matre ejus, commota sunt viscera ejus super filio suo, et ultra * quam credi potest cœpit flere. Et accurrens amplexata est filium suum, et tenens collum ejus insatiabiliter osculabatur eum nimio gaudio, lacrimis tamen madefacta, gaudens et dicens : *Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, gratias tibi ago quia per omnipotentem misericordiam tuam et misericordem omnipotentiam et domini mei sanctissimi Nicolai meritum et intercessionem, non fraudasti me gratia tua, sed exaudisti vocem miseræ ancillæ tuæ, et mirabiliter reddidisti mihi filium; et video illum oculis, et teneo manibus propriis gratia tua, qui vivis et regnas per omnia secula seculorum. Amen.* Cumque mutuis aspectibus, dulcibus amplexibus, osculis frequentibus lassati potius quem satiati essent mater et filius, patre nimium gaudium virili animo dissimulante, atque inter festales convivas communi gaudio percelebrato, sciscitati sunt rei admirandæ causam et ordinem. Cumque a puero rerum quæ sibi contigerant admiratione prius stupefacto, tandem respirante, liberationis suæ textum intellexissent, in exclamatione laudis Dei et sanctissimi Nicolai, illius liberatoris, levaverunt voces. Et nos ergo illorum vocibus nostras non solum voces, sed et humiles preces jungamus, utpote pueri et conservi Dei et ipsius pastoris, protectoris et liberatoris nostri beatissimi Nicolai, hoc modo : Gratias tibi agimus, Domine, qui gloriosus in sanctis tuis per illos nobis mirabilia frequenter operaris. Gratias tibi, sancte Nicolae, qui meritorum tuorum potentia ac sanctitatis quasi innata clementia, dum ista functus es vita, multos mirabilius, ex quo vero frueris æterna gloria, plures beneficiis assuevisti lætificare mirabilioribus. *Ita expliciunt codd. Gandavenses 289 et 499* (Analect. Boll., tom. III,

* *cod.* ultro.

p. 185, 36° et p. 208, 10°); *Bruxellensis vero parænetice per tres fere columnas, fol. 20r-21r, laudes sanctissimi viri prosequitur.*

DE S. EULALIA MARTYRE. (Cfr. supra, pag. 252, 7°.)

Incipit passio sanctæ Eulaliæ virginis et martyris, quod est IIII° idus decembris.

1. In Barcellona civitate provinciæ Hispaniæ sub Daciano præside sæva christianis fuerat orta tempestas. Jam enim benedictus Vincentius primus ad martyrium accesserat una cum episcopis gloriose. Illic enim etiam erat virgo quædam, nomine Eulalia, annorum circiter tredecim, mente et corpore casta, religione pudica, castitate firmissima. Docebatur autem a Donato quodam presbytero, ut confiteretur Christum amplius quam negaret. Sed introeunte eodem Daciano Barcellonam civitatem, Donatus presbyter procul a civitate secesserat, Eulalia autem sese in faciem præsidis obtulit, dicens : *Quid ingrederis urbem, inimice Dei excelsi? Quid persequeris christianos et niteris perdere virgines Dei? Dominus me docet in veritate sua, nec auferes a me castitatem meam, quia non seduces pueritiam meam.* Dacianus præses dixit : *O infantula, antequam crescas florem ætatis perdere quæris?* Eulalia respondit : *Ego annorum sum circiter tredecim; sufficit mihi hæc transitoria vita : alteram futuram spero beatam.* Dacianus dixit : *Ista te vanitas non seducat misera, sed sacrifica diis, quo poteris honorari et sponsum mereri divitem.* Eulalia respondit : *Habeo sponsum divitem et immortalem, Dominum Jesum Christum, qui te tuosque perdet omnes et patrem tuum diabolum.* Dacianus præses dixit : *Succurre tibi, quo tormenta possis evadere.* Eulalia respondit : *Corpus meum habes in potestate, animam autem meam non habes in potestate, nisi solus Deus qui eam dedit.* Dacianus præses dixit : *Ego te perdam de terra.* Eulalia respondit : *Parata sum ad omnia.* Dacianus præses dixit : *Multum me commoves, et adhuc tuæ misereor infantiæ.* Eulalia respondit : *Misereatur mihi Deus; nam quæ est misericordia tua, maledicte?* Dacianus præses dixit : *Fustes de arboribus madefacite cum stirpibus suis, et spoliantes eam præcinctam cædite.* Eulalia respondit : *Hæc sunt minæ tuæ, antiquissime serpens? Nihil me noces, sed magis confortas.* Dacianus præses dixit : *Oleum candens afferte et ejus mamillas perfundite.* Eulalia respondit : *Amplificavit mihi frigus ignis tuus et oleum candens non calefecit me, calefecit autem me caritas Christi quem quæro videre.* Dacianus dixit : *Afferte calcem vivam et illuc eam mergite, et aquam superfundite.* Eulalia respondit : *Cruciet te ignis æternus, quemadmodum cruciari puellam Dei disposuisti. Auxiliabitur autem mihi Dominus, et de manibus tuis liberabit me, quoniam non pro me, sed propter ipsum has patior pœnas.* Dacianus præses dixit : *Plumbo ollam implete et vehementer calefactam ante ipsam afferte, et super lectum ferreum nudam sternite. Primum pœnam illi ostendite, si forte convertatur ad deos; sed, si sacrificare noluerit, sic eam perfundite.*

2. Eulalia autem quæ quotidie benedicti Tirsi passionem legebat, amplissimo magis roborabatur ardore. Cum pœnam ante se illatam vidisset, ait : *Deus verax, veni ad liberandum ancillam tuam. Credidi enim quia benedicto Tirso adhuc gentili misertus es, et ad te convertisti : ita et me ad te converte.* Et continuo plumbum obstupuit. Calefaciebat quoque manus tenentium, ad Eulaliam autem erat frigidum. Dacianus dixit : *Virgas afferte et cædentes eam fragmenta testulæ exhibite, et ejus plagas fricate.* Eulalia respondit : *Miserere, Domine, ancillæ tuæ, et ne infirmes cor meum, sed magis conforta, quia gehennam quæro evadere et ac te pervenire, quia unum et trinum nomine es, qui vitam tribuis æternam.* Dacianus præses dixit : *Misera, consule tibi antequam extermineris, et sacrifica diis.* Eulalia respondit : *Sacrifica tu vel omnes astantes tibi ; ego sacrificabo Deo meo, hostiam vivam me offerens illi, sicut et ille pro me oblatus est.* Dacianus dixit : *Si ergo Deus est in quem credis, quomodo ut homo in terra passionem suscepit ?* Eulalia respondit : *Suscepit quidem passionem ut homo, et pro nostra pravitate servilem induit formam, ut nos ad libertatem perduceret.* Dacianus dixit : *Infirmat te cogitatio tua, ego hæc non libenter audio ; sed accede et sacrifica diis, ne forte ampliora tibi parentur tormenta.* Eulalia subridens ait : *Tu mea magis adjuvas vota, quando mihi ampliora infers tormenta. Fac quæ cogitasti, ut in omnibus in Christo facias me esse victricem.* Dacianus dixit : *Ego te victam dimittam, te autem victricem nunquam dimittam, sed gravissime te pœnis afficiam.* Virgo Eulalia respondit : *Vincere me non potes, quia vincit in me qui pugnat pro me.* Dacianus dixit : *Candelas incendite et ad genua ejus ponite.* Eulalia respondit : *Ustulatum est corpus meum, et fortis inventa sum. Sal jube mitti, ut plenius in Christo possim esse condita.* Dacianus dixit : *Utique, o carnifices, excogitate novam pœnarum altitudinem et gravius nequissimam, quæ malum potius quam bonum cordis didicit, vulnerate, simulque sinapem cum aceto afferte et in naribus ejus fundite.* Eulalia respondit : *Sinapem non sentio, et acetum non intelligo. Puto vinum et conditum dedisti mihi ; in sinape autem et aceto non nocuisti me, sed confortasti mea vulnera.* Dacianus dixit : *Caminum succendite et illuc eam mittite, donec deficiat.*

3. Succenditur ergo caminus, secundum jussum præsidis. Ducitur puella ut in caminum mittatur, atque immissa psallere cœpit in fornace ac dicere : *Adducentur regi virgines postea, proximæ ejus afferentur tibi in lætitia et exultatione.* Dacianus foris deambulabat ante prætorium suum, et proximus erat locus ubi fornax ardebat. Cumque audisset eam præses psallentem, dixit : *O socii, victi sumus. Hæc virgo perdurat in malis ; sed, ne gloriari se putet, educite eam foras, ut scurronum more decalvetur, et decalvatam et discinctam per publicum ducite, ut ejus virginitas omnibus reveletur.* Eulalia respondit : *Licet ignominiam in terra sustineo decalvata et discincta, ut ad deformitatem perveniam, novi quemadmodum exagitat te inimicus veritatis.* Dacianus dixit : *Si ergo times ad deformitatem pervenire, accede et immola diis.* Eulalia respondit : *Immolo Domino sacrificium laudis et victimam jubilationis.* Dacianus præses dixit : *Ducite, decollate verbosam, occidite noxiam ; auferte ab oculis meis perditam.* Eulalia vadens ait : *Nota tibi faciem meam, et vultus meus non prætereat a te, ut cum venero te accusare ante thronum judicis, recognoscas*

faciem meam. In illa die multi territi et compuncti corde discesserunt et in Domino crediderunt. Eulalia autem decollata est, et quo die percussa est resilivit ab ea caput ejus. Exiit autem de corpore ejus columba quæ consolabatur Eulaliam, quæ Christo Domino in Jordane apparuerat. Sepelivit autem eam Donatus presbyter, qui primitus eam ad martyrium concitaverat. Celebratur ergo natalis ejus in Barcellona civitate, sub die quarto idus decembris, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.

DE S. ANASTASIA VIRGINE ET MARTYRE. (Cfr. supra, p. 253, 9°.)

Incipit prologus in passione sanctæ Anastasiæ martyris.

Historiam priorum sanctorum ad ædificationem nostram Deus voluit pervenire, non ut laudibus mortalium pasceret eos, quos immortalitatis dapibus reficit; sed ut nos exemplo eorum doceat præsentis seculi blandimenta contemnere, et ad acquisitionem sempiternæ gloriæ labentem et momentaneam angustiam non timere. Omnis enim dolor aut levis est et sufferri potest, aut gravis est et finem cito imponit. Sed si uterque timendus est, ratio est ut ad evadendum illum qui æternus est, iste contemnatur. Si enim isti dolores, qui hodie minantur et cras evacuantur, qui hodie exardescunt et cras refrigescunt, qui hodie oriuntur et cras finiuntur, tam diri et tam sævi sunt, quam graves erunt illi dolores, qui sic inchoant ut magis crescant, sic initium capiunt ut omnino finiri non possint? Hanc denique imaginem tenent, qui se permittunt aut secari a medicis, aut igniri cauteriis, aut amarissimis potionibus sauciari. Mortis enim timore perterriti et amaritudines appetunt et ignes non metuunt, et ferrum non perhorrescunt. Si ergo amore hujus vitæ quæ fidem servare non novit, ab amantibus auro comparantur dolores, ignes et amaritudines, gratulandum est gravibus passionibus, quæ ultro venientes faciunt nos temporaliter humiles, ut in perpetuum exaltemur, faciunt nos amaritudines momentaneas incurrere, ut sempiternas dulcedines percipiamus, faciunt nobis ardores fugitivi incendii dulces, ut refrigerii nos faciant participes sempiterni. Hoc intuitu omnes martyres Christi ut triumphum ex hostibus caperent, omnium passionum genera ridendo potius quam timendo perpessi sunt, ridentes quod gloriam sempiternam acquirerent temporalem respuendo, et ut æternum ignem evaderent præsens incendium perferendo. Horum itaque gloriis delectati respuamus mundum cum omnibus delectamentis suis, et sanctorum gesta absque incredulitatis nubilo mente serenissima recitemus. Interim autem audiamus passionem beatæ Anastasiæ, tam nobis qui credimus quam omnibus qui credituri sunt profuturam.

DE S. PONTIANO SPOLETANO MARTYRE. (Cfr. supra, pag. 254, 16°.)

Incipit passio sancti Pontiani, quod est XIX° kalendas februarii.

1. Temporibus Antonini imperatoris, cum mucro persecutionis in Christi cultores usquequaque per orbem desæviret et christiani nominis normam incassum debellare non cessaret, beatus Pontianus apud Spoletum non veritus tormenta carnificum, quæ pro Christi nomine potius elegit subire quam declinare, Christi cultor fideique prædicator clarus tunc temporis habebatur. Quod ut judex Fabianus audivit, eum sibi per suos apparitores repræsentari jussit. Beatus autem Pontianus hoc audito, se divinis induens armis, Christi miles ut emeritus, ad bella fidei processurus ire non distulit, quoniam, ut famelicus ad epulas invitatus, sic lætus et hilaris anhelanti desiderio famem ac sitim martyrii refecturus adiit, jam tamen mente prægustans quod post diu desideratum adimplere meruit.

2. Quem judex Fabianus, ut ei astitit intrepidus, primo blande leniterque his aggreditur verbis: *Quo nomine nuncuparis?* Beatus Pontianus: *Si nomen*, inquit, *meum requiris, Pontianus dicor; sic enim a parentibus sum nuncupatus. Sed quod altius ac majus nomen est, me christianum esse non denego.* Quo responso judex statim furore commotus, utpote minister diaboli, cujus et instinctu instigatus, jussit beatum Pontianum exspoliari nudumque virgis cædi, quousque vel nomen Christi negaret vel vix vitæ periculum evaderet. Quod ille gratanter audiens, ultro se offert carnificibus, nihil dubii habens in morando non solum pro Christo verbera subire sed malle mori quam fidem negare. Mox apparitores non secus ac jussi, sanctum virgis in tantum cædere, animique vigorem si possent conati sunt vincere, donec sanguis ipsius a plagis verberum in terram visus est fluere. Judex autem videns se vinci, virum non posse vincere, jussit afferri prunas ardentes, eumque nudis pedibus per eas incedere. Cui beatus Pontianus, divini amoris igne succensus: *Non vereor*, inquit, *in nomine Domini mei Jesu Christi hos carbones igne candentes nudis calcare vestigiis; tu vero qui ignis civibus es inextinguibilis, hunc extinguibilem vel digito non audes attingere. At, si quid speras in nomine tui Jovis, in hunc manum ne dubites mittere.*

3. His dictis signo Christi munitus per incendia carbonum deambulando, tandem indemnis exiit; nam incendii flamma flammæ fidei nil ardoris inferre prævaluit. Judex igitur tanto sævius sævit in Christi militem, quanto cernit eum inexsuperabilem. Ferocitatem animi non retrahens ab incepto, jussit equuleum parari uncinosque ferreos fieri, quibus martyrem suspensum in equuleo crudelius omni crudelitate ferarum velut propriis laceraret dentibus. At miles Christi suspensus in equuleo carnificum deridet inertiam, carne laceratus sed mente confortatus. Tortor dum infert tormenta, lassando deficit; miles Christi dum patitur, illata patiendo convalescit. At furor judicem exagitat in omnem animi vesaniam; qui martyrem Dei jussit in ima carceris retrudi, donec quid de eo crudelius deliberare

definiret. Martyr vero in ima carceris constitutus et a sanctis viris ad agonem martyrii confortatus fit promptior ad futura, parvipendens præterita.

4. Non longo post die constituto Fabianus sedens in amphitheatro jussit eductum a carcere sanctum virum sibi repræsentari, populo circumstante; cui mox astanti, jubente Fabiano, duo leones sunt immissi. Qui venientes ad eum, innatæ feritatis obliti iram mutant in blanditiem, nil ausi sanctum Dei tangere. Quod populi videntes, clamor ingens extollitur dicens : *Vere magnus est Deus christianorum*, et hoc in tantum iterans, ut non modica seditio fieret in populo. Fabianus ergo cor beluinum gerens ac omni belua crudelius, iterum Christi militem jussit in profundiora carceris retrudi, omnemque victum sibi subtrahi, quo fame deficeret inibi, nil minus impius, ei nolens vel pro humanitate parcere, quem leones scilicet immites bestiæ postposita feritate veriti sunt vel tangere. Sanctus autem Pontianus per manus carnificum reductus ad carcerem, Christo gratias retulit, quod pro ejus nomine ludibria, verbera, vincula mereretur perpeti. Mox retrusus Christi gaudet adesse gratiam : qui non deserit usquequaque sperantes in se, servum suum ibi nec ad horam penuriam carnis sentire patitur. Nam ab angelo bissenis diebus confortatus, ejusque usus colloquio, cœlestibus alitur epulis.

5. Transactis autem duodecim diebus, Fabianus autem minister diaboli nil dubius eum jam ciborum inopia defecisse, suis præcepit ut ejus corpus a carcere sublatum foras projicerent. At illi carcerem aperientes, quem suspicati sunt invenire mortuum, invenerunt hilari vultu psallentem et laudibus divinis vacantem. Qui animis obstupefacti, quid factum est renuntiant judici. Ille vero ut audivit eum jam vivere, in seipsum ira inflammatur, invidia consumitur, tabescit affectu ; pudet vivere quod viri constantiam nequeat debellare, Christi nomen extorquere, suorum cultui deorum hujusmodi caput inclinare. Præcipit illico lectum proferri ferreum, scilicet id genus tormenti sanctis martyribus inhumaniter profanis a carnificibus excogitatum. Quo allato Christi militem eductum secundo de carcere jubet superextendi, plumbumque reliquatum dorso illius infundi. Sicque impius impiis manibus hostiam Deo tamquam aurum in fornace coxit tormentorum immanitate; nec in his vincitur invictus, sed tanto jocundior fit ex passionum multiformi genere, quanto certior est jam securus victoriæ de Christi promissione. Manet eadem mens, invicta fides, integra spes vitæ nec dubiæ, plumbi ferventis nec horrescens incendium. Dolor cordis major est in judice, quia non est victor in martyre, quam immanitas passionum in martyre, quia victor est in judice. His tandem judex confusus, confusione dignus, dictante diabolo Christi militem jussit subire capitalem sententiam.

6. Sanctus autem Pontianus Christo gratias referens quod pro ejus nomine talia ac tanta pati mereretur, tandemque gloriosæ mortis martyrio destinaretur. Jam parvipendens præterita dum gaudet ad futura ; nil minæ judicis, nil pœna carceris, nil dira verbera, nil carbonum incendia, nil equulei cruciatus, nil uncinorum immane carnificium, nil feritas leonum, nil penuria ciborum, tandem nil lectus ferreus vel, inauditum genus tormentorum, ferventis plumbi acerbitas valet in martyre. Tantus est amor Christi per quem armis inexsuperabilibus fortis athleta

Christi Pontianus in hostem armatur; puniri potest, superari nescit. Capite plectitur, palma triumphi coronatur. Nam hostem moriendo devincere, martyrum est triumphus. Consummatum est autem martyrium decimo nono die kalendarum februariarum ; corpus quoque ejus a christianis sublatum earumdem kalendarum die quinto decimo sepulturæ commendatur.

7. Sed anno Dominicæ incarnationis nongentesimo sexagesimo sexto, anno vero tricesimo primo regni Ottonis, imperii quarto, hoc idem corpus beati Pontiani martyris, scilicet Ottone imperatore Romæ effecto, ab Italia in Germaniam victore reverso, perlatum est Trajecto, videlicet pio præsulis Balderici studio acquisitum. Qui hujusmodi affectum Deo propitio perduxit ad profectum. Mox voti compos talem una cum suis thesaurum diu desideratum adeptus, cum gaudio et honore suscipiens intra pontificalis sedis aulam locavit, ubi nunc colitur, veneratur, invocatur a fidelibus. Nos igitur ejus passionem recolentes, festumque diem celebrantes per ipsius suffragia vitæ quæramus remedia. Voce supplici Christo dicamus : Pro nobis tuus jugiter exoret Pontianus, ut cujus colimus patrocinia, ejus mereamur et habere præsidia; nec dubitemus per militis gloriam Christi regis promereri gratiam. Ipse autem martyr et miles Christi Pontianus pro nobis ut non cesset exorare, tibi Christe supplicamus, ejus ut veneranda passio nobis fiat peccatorum remissio. Quod nostra nobis denegant crimina, hoc nobis apud te ejus obtineant merita, nunc ab hoste victoriam, vitiis medelam, animæ salutem; vitam quoque post tumulum perennem largiri dignare tui martyris intercessione, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas. Amen.

XX. Codex signatus n° 582-89.

Foliorum 241, formæ mediocris ($0^m,32 \times 0^m,21$), columna duplici, lineis graphide plumbea ductis, exaratus litteris gothicis exeunte seculo XIII.

Tituli minio exarati. Litteræ initiales capitum (quæ plerumque nullum titulum præ se ferunt) et majores initio singularum Vitarum cæruleo ac rubro coloribus tinctæ et sobrie, sed non ineleganter involutionibus ornatæ ejusdem utriusque coloris, minus tamen vividi, atque appendicibus quæ totam columnæ altitudinem attingunt.

In margine superiori folii primi adscripta est manu recenti hæc nota: *Bibliotheca Nizellensis* (vel *Nivellensis*).

Totum codicem complent Vitæ Patrum, quorum jam elenchus sequitur.

1° Vita S. Pauli primi heremitæ (fol. 1^r-6^r).

Vita auctore S. Hieronymo, edita apud Migne, P. L., tom. XXIII, p. 17-28

2° Vita S. Antonii (fol. 6r-40r).

Vita auctore S. Athanasio, edita ibid., tom. LXXIII, p. 125-170.

3° Vita B. Hylarionis monachi (fol. 40r-55r).

Vita auctore S. Hieronymo, edita ibid., tom. XXIII, p. 29-54.

4° Narratio ejusdem de captivo monacho (fol. 55r-59v).

Edita ibid., p. 53-60.

5° De S. Paulo Simplice (fol. 59v-61r).

Desumptum ex Historia Monachorum auctore Rufino, Aquileiensi presbytero, edita apud Migne, P. L., tom. XXI, p. 387 sqq., scilicet cap. XXXI (p. 457-459).

6° Liber de conversatione et vita Patrum Egyptiorum et Scithi monachorum a Postumiano editus et ad Fidosum missus (fol. 61r-114v).

Est ipse Liber de vitis Patrum auctore Rufino, editus ibid., p. 387-462, omisso capite XXXI, quod est de S. Paulo Simplice, de quo supra actum est. — Sed et interponitur :

7° Vita S. Frontoni (fol. 109v-113r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Aprilis, tom. II, p. 201-203.

8° Liber gestorum Barlaam et Josaphat servorum Dei editus greco sermone a Johanne Damasceno viro sancto et erudito (fol. 114v-221v).

Interpretatio textus græci diversa ab ea quæ edita est apud Migne, P. G., tom. XCVI, p. 859 sqq. — Prologus deest.

XXI. Codex signatus n° 615-24.

Constat tribus codicibus diversis, exaratis seculo XV et eodem seculo simul compactis. Horum primus et tertius opuscula quædam continet S. Hieronymi (inter quæ interpretatio latina Origenis super Cantica); secundus vero tria documenta hagiographica. Is folia habet tantum 27, nullis numeris notata (sicut nec utriusque alterius codicis folia notata sunt), formæ mediocris (0^m, 32 × 0,22), columnis binis; tituli minio descripti sunt, litteræ initiales item minio vel cæruleo, nullis ornamentis insignes præter unam exordio primi documenti, paulo elegantiorem.

Folio membraneo quod conglutinatum est interiori parti tegumenti in capite codicis, hæc inscripta est nota manu seculi XVI : *Istud volumen est monasterii san-*

cti Pauli vulgariter dicti Rubeevallis in Zonia. Reportetur igitur ad predictum monasterium propter Domini preceptum et amorem.

In hoc itaque secundo codice hæc descripta sunt :

1° Vita sanctæ Paulæ edita a sancto Iheronimo presbytero (folia 8 5/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Jan., tom. II, p. 712-722.

2° Epistola sancti Cyrilli episcopi Iherosolimitani ad Augustinum doctorem magnificum de miraculis sanctissimi Iheronimi doctoris eximii (folia 14 5/8).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 289-326.

3° Epistola sancti doctoris Augustini ad Cyrillum episcopum Iherosolimitanum de excellentia beatissimi Iheronimi presbyteri (folia 3).

Edita ibid., p. 281-289.

XXII. Codex signatus n° 638-42.

Foliorum 241, formæ mediocris (0^m, 317 × 0, 220), columnis binis, lineis graphide ductis, nitide exaratus seculo XIV. Præter quatuor libros Dialogorum, Homilias in Ezechielem et Librum Pastoralem S. Gregorii continet tres Vitas, sanctorum Patrum, quibus nulli tituli præfixi sunt; sed eorum exordium signatur littera capitali rubro et cæruleo coloribus depicta et non ineleganter ornata.

Schedula typis impressa seculo XVII vel XVIII et agglutinata interiori partis tegumenti in capite codicis indicatur is olim pertinuisse ad Biblioth. FF. Min. Conv. Coloniæ, ibique fuisse notatus L l. vii. n. 19.

1° [Vita S. Pauli primi eremitæ] (fol. 193^r-195^v).

Vita auctore S. Hieronymo, edita apud Migne, P. L., tom. XXIII, p. 17-28.

2° [Vita S. Hilarionis] (fol. 195^v-204^v).

Vita auctore S. Hieronymo, edita ibid., p. 29-53.

3° [Vita Malchi monachi captivi] (fol. 204^v-207^r).

Vita auctore S. Hieronymo, edita ibid., p. 53-60.

XXIII. Codex signatus n° 723-27 (1).

Foliorum 146, formæ mediocris (0^m, 305 × 0, 210), columnis binis, lineis ductis graphide plumbea, exaratus seculo XIII. Duas tantum continet Vitas sanctorum. Singularum titulus minio descriptus est, itemque littera initialis, valde ampla, et prior quidem non ineleganter signata; litteræ initiales capitum in posteriori Vita, etiam minio sunt descriptæ.

In capite folii 1^r manu seculi XVII inscripta est hæc nota : *Monasterii Heylichsemensis.* Quod nomen iterum occurrit scriptum manu seculi XV inter tentamina calami ad calcem folii ultimi versi.

1° Vita S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi (fol. 114^v-120^r).

Citata apud Duffus Hardy, *Descriptive catalogue of materials relating to the history of Great Britain and Ireland,* num. 4 (tom. II, p. 373), sed, ut videtur, inedita. Ideo eam exhibemus in Appendice.

2° Vita domni Alberti Leodiensis episcopi (fol. 120^r-137^r).

Edita ope hujus codicis inter *Monumenta Germaniæ,* Scr. tom. XXV, p. 139-168.

Appendix ad cod. 723-27.

DE S. THOMA CANTUARIENSI. (Cfr. eadem pag. 269, 1°.)

Incipit vita sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi.

1. Anno Domini millesimo centesimo septuagesimo in Anglia res horrenda, res cruenta, res parricidalis perpetrata Angliam maculavit, Anglorum regem Henricum polluit, orbem christianum fragore magno concussit, cum a satellitibus regis crudeliter occiditur vir innocens, benignus, et post Romanum pontificem pater universalis Anglorum, Thomas archiepiscopus Cantuariensis. Qui quondam Cantuariensis archidiaconus in ipsius regis Anglorum tantam transierat amici-

(1) Consulto prætermittimus codicem signatum n° 674, quod est breviarium integrum ad officium divinum, seculo XIII accurate descriptum : in quo quidem suis diebus multæ occurrunt lectiones de sanctis; sed has distinctius recensere visum non est, quum nonnisi exigua fragmenta iis exhibeantur Vitarum aliunde notarum.

tiam ut eum constitueret archicancellarium totius Anglici regni. Cujus honoris officium sic exercuit ut honore majori dignus, honoris hujus sui dignitatem ipse amplius exornaret. Unde factum est ut dormiente cum patribus suis in senectute bona felicis memoriæ Theobaldo, Cantuariensi archiepiscopo, Thomas archidiaconus et archicancellarius solemniter eligeretur in archiepiscopum Cantuariensem et Angliæ totius primatem. Cujus electionem rex Anglorum favorabiliter amplectens approbavit; et postmodum ipse electus in magnum Dei sacerdotem feliciter est consecratus, consecrationem suam consecraturus sanguine suo, martyr Dei futurus.

2. Consecrationis enim suæ sacramentum sacro in pectore suo memoria jugi tenens, a primis diebus suæ consecrationis in alterum virum est mutatus, ut qui gratia Dei vir bonus ante fuerat, in virum optimum se protenderet toto bonæ mentis annisu. Majore ergo gratia Dei præcedente, virtutum studiis omnibus adnitebatur, ne gratia Dei in eo vacua fieret, ne spiritum Dei sanctum extingueret, quem senserat aspirantem in se dona gratiæ suæ et super ipsum effudisse unctionem misericordiæ suæ. Corde bono et optimo sollicitus revolvebat in qua sede, quibus partibus ipse successerit, cum sedes illa vel sanctos invenerit vel sanctos fecerit pontifices tantæ sedi præsidentes. Heres ergo degener tantis patribus ne posset reprobari, probabat semetipsum et animo toto vigilabat ut in sancta sede sedens sanctis patribus successor dignus posset inveniri. Primo igitur fortius erexit se contra se, spiritum contra carnem, ut auctoritate majori regeret tantum populum sibi commissum a Deo, dum infirmæ carni promptior spiritus ejus auctoritate sua liber prævaleret; et lasciviæ carnis maxillas in camo et freno constringens, Deo placens quia Deo patens, occultus autem hominibus in hoc facto, cilicio membra domabat.

3. Eratque cilicium rigens inter carnem mollibus ante vestitam et vestem meliorem, qualem ferre cogebat tantus honor tantæ sedis et populi reverentia confluentis et temporibus nostris mos exhibendus. Femoralia ipsa super erant cilicina, ut urticæ hujus asper aculeus obviaret carnis ejus incentivis. Super hæc supra saccum cilicinum, subter vestem pretiosam, schemate monachili in medio tacitus utebatur. Qua vestium varietate circumamictus Deo dignus pontifex sic ornatus incedebat ut in fimbriis aureis operum bonorum studiique cœlestis omnis gloria ejus esset, simulque variis his vestibus respondebat variis ordinibus quibus ipse præerat in ecclesia Cantuariensi, ut omnibus uniformis exemplo vitæ suæ bonæ omnibus esset ipse salus. Ordini namque monachorum, qui in eadem ecclesia cardinati in humilitate et pœnitentia Deo serviunt, veste monachili meritoque vitæ humilis et pœnitens ipse congruebat. Ordini clericorum, cujus ipse summam obtinebat dignitatem, veste quoque nuptiali et puræ et sanctæ mentis dignitate honor et conformis erat ipse.

4. Esca vero ejus esca dives: ejus enim mensa frequens erat ordinis utriusque convivantibus numerosis. Copia quidem ferculorum mensa dives erat neque modus ponebatur convivantibus delicatis. Dei vero servus non ipse ventri, sed ventrem servire sibi volens, modum ponebat ventri suo, et indicens sibi legem

inter epulas quæ ante ipsum lasciviabant, corpus suum castigabat et in servitutem redigebat, esca rara, parco potu, corpus sustinens, non corrumpens. In mensa tamen hilaris gratia vultus ejus; verborum jocunditas castigata convivantes in epulis amplius recreabat.

5. Ita veste varia, cibo vario vita ejus felici Deo famulante, nostris diebus in ipso rediit Ecclesiæ Dei redditus Baptista Joannes, rediit populo Dei redditus Aaron sacerdos magnus : quorum alteri sancti sacerdotii dignitate successor bonus ipse fuit, alteri fortiter adhæsit virtutum exercitiis, zelo justitiæ certo* usque ad mortem, quo exemplo Baptistæ martyris martyr dignus gloria et honore postmodum meruit coronari. In quo sancti exercitii procinctu constitutus ne solus sui periculo majori depugnaret contra aerias potestates, contra turbines et tumultus mundi hujus in sanctos Dei sæve sævientis, collegio suo familiaritatique suæ sanctæ studiosus admittebat quos videbat litterarum studiis eruditos, sapientiæ Dei spiritu animatos, vitæ meritis adornatos, in fide fortes, in consilio providos, in opere et sermone firmos atque circumspectos. Quorum exemplis, quorum consiliis, quorum opera vigilanti confortatus in Domino, utriusque militiæ in palæstra jugi lubricaque sese securius exercebat, fideliter contendens reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari et quæ sunt Dei Deo.

* *leg.* certando ?

6. Anglorum ergo regnum, quamdiu pax regnavit inter ipsum et Henricum regem, industria et virtute magna magnifice confirmavit. Regni superbos confundebat, regni humiles confovebat; reprobos reprobabat, probos regi commendabat; improbos impugnabat, regno devotos exaltabat; viduis, orphanis, oppressis auxilium tutum erat; exactoribus, ne transirent legum fines, obstaculum firmum erat. Ita regni pacem persequens pacis amator, inquirebat ut Deus pacis auctor et amator regnum pacificum gubernaret et pax ejus esset perseverans in hominibus bonæ voluntatis. Ecclesiam vero Dei in Anglorum regno præponens omnibus curis omnibusque affectionibus mundanæ suæ rei, pro sua dignitate omnibus studiis laborabat ut Deo devota serviret, sua omnimoda florens et gaudens pristina libertate, quæ in Anglorum regno sub tyrannis regibus sæpe concussa laboravit.

7. Suffraganeos suos omni gratia honorabat, et eis exhorrescens imperare primatus sui dignitatem eis facere nolebat onerosam. Non enim eis incumbebat neque super eos agebat quasi libera utens potestate, sed virtute verbi Dei eos mansuetus exorabat ut tunicam inconsutilem Jesu Christi omni studio illæsam conservarent, omni cura mundam et intactam in decore suo custodirent, omni vigilantia fures et latrones ab ea procul arcerent, et ipsi obtemperantes mandatis Jesu Christi decreta canonum et sanctorum patrum sanctiones tenendas irremisse promulgarent populis sibi et ipsis a Deo commendatis.

8. Ipse vero imperans dure sibi, post labores quibus suis serviebat, in vigiliis et orationibus Deo sedulus serviebat. Cujus humilem servitutem ita benignus Deus acceptabat ut in orationibus quibus Deo pie confabulans gustabat et videbat quam suavis est Dominus, suaviter arderet in amore Dei spiritus ejus, et ardore magno liquefacta nubes devotionis ejus magnæ resolveretur in largam pluviam lacrimarum. Qua gratia Spiritus sancti in ipsum largiter effluentis etiam inter mis-

sarum solemnia in celebratione sacrosancti sacrificii cor ejus et oculi ejus inundabant. Arsenius quondam ille magnus, ea gratia magna commendatus, in oculis et vultu justi hujus præsens esse cernentibus eum videbatur.

9. Quam vero largus fuerit justus iste homo, quam misericors, quam benignus, eleemosyna plane docet quæ semper in ejus manu desudabat. Quod de suo juste manus ejus attinebat, nihil ejus larga manus retinebat, sed viduis, sed pupillis, sed egenis pius pater omnia seminabat, fideli Deo credens, a quo sibi messem bonam, messem plenam plena fide postulans expectabat.

10. Invidit omnibus bonis his bonorum omnium inimicus et memor dierum antiquorum antiquus æmulator: *Pellem*, inquit, *pro pelle, et omnia quæ habet homo dabit pro anima sua. Job*, inquit, *antiqui fidem attentavi: victus quidem sum ejus fide; sed hoc tentamento non omnes quos tentavi firmos esse sicut Job deprehendi. Multorum enim victor fui, dum timore carnis suæ gravius cruciandæ mihi paruerunt, quibus damno rerum * nullatenus potui prævalere. Vir iste, magna præditus dignitate, contra me suam effert dignitatem: sed quietus sedet, nescit quid sit labor; sua donat, sed spe quam habet suæ pacis plurima recepturus. Sed si senserit damna rerum, si viderit casum ingruentem suæ dignitatis, si timuerit carnem suam exiliis macerandam, injuriis cruciandam, gladiis concidendam, aut ero trumphator hominis hujus mihi subjugati, aut ego vindicabor in ipso, si fuerit in opere Dei sui male mihi perseverans.* Igitur eodem ipso Satan male sic sollicito et de justi hujus supplicio nequiter cogitante, benignus Deus pie disponit de præmio, ut probatum virum vitæ merito probet amplius sicut aurum in fornace tribulationis super ipsum venientis, sentiatque atrox inimicus et simul omnes sciant quia pellem pro pelle et omnia quæ habet hic homo justus et ipsam animam suam dabit pro anima sua, secundum præceptum evangelicum, cujus erat ipse prædicator et assertor verus.

* *cod.* iterum.

11. Henricus itaque, rex Anglorum, anguis Angliæ sinuosus, nodis fraudium sinuosis captivare cœpit ecclesiasticam in Anglia libertatem; consilioque nimis imprudenti, Sapientia Dei Patris sapientior esse volens, cum plane dicat ipsa: *Per me reges regnant et conditores legum justa decernunt*, legum iniquarum seipsum constituit conditorem, et propositis per Angliam edictis injuste multa decernebat, quibus ancillari cogebatur dilecta Deo libera sponsa Dei. Inter quæ fuit illud quod ecclesiasticas personas litigare compellebat non lege cœli, sed lege fori, non ante præsules Dei, sed ante regem et præsides regis Deo cœli contumaciter repugnantis. Clerus igitur ad tribunal trahebatur, cui non licebat dicere causam ante sedem Dei. Canonibus sacris ecclesiasticisque decretis locus erat nullus, quando rex infestus Deo tulerat sibi judicium Dei. Sic rex homo Deum regem non agnoscens, non per ipsum se regnare reputabat, sed super regnum Dei regnare feraliter contendebat.

12. Obstitit Thomas, vir virtutis, archiepiscopus Cantuariæ; ex adverso se opposuit pro domo Domini in die furoris Domini, quo videbat ecclesiam ejus graviter flagellari. Regis auribus fortiter intonabat, denuntians regi iram Dei, si prævaricator rex legis Dei, lege sua legem Dei violaret, si justitiam Dei justitiæ homi-

nis subjectam faceret. Magnis et validis documentis proponebat ecclesiæ libertatem non posse subjacere talibus institutis, non esse regis christiani Ecclesiam Dei sibi velle subjugare, cujus ipse jugo fuerit subjugatus, in Christo baptizatus et per Christum in Anglorum regem unctus. Cujus Ecclesiæ sanctæ Dei si velit opprimere libertatem, suæ ipsius est oppressor libertatis. Cujus christi Dei potestatem æternam suæ momentaneæ potestati si contendat subjugare, sciat et exemplis regum antiquorum recordetur quoniam qui protervus agit contra Dei potestatem citius opprimitur ab illa majestate ejus æternæ potestatis, cui resistere nemo potest. Rex ergo christianus Christo regi non resistat, nec extendat gladium super Ecclesiam, liberam Dei sponsam : cujus unum de duobus gladium ipse portat, non [ut] impugnet sponsam Dei, sed ut expugnet inimicos sponsæ Dei ; non ut ipsam inquietet, sed ut quietem ejus ipse tueatur.

13. Qui gratias agere debuit amico bene consulenti, qui parere debuit patri tanto salubriter exhortanti et a via mala ipsum pia censura revocanti, male et perverse rex respondit. Et incendens pectus inimicum contra ipsum et contemnens ejus dicta, non est reveritus faciem tanti viri, sed neque potestatem Dei summi ; sed malum quod facere cœpit et docere contra Deum, contra Ecclesiam Dei sanctam, magnis interminationibus promulgavit. In quo malo contra legem Dei, contra summam Dei potestatem potentes multi, potentia sua nequiter abutentes, ipsum regem Anglorum exemplo malo sunt secuti, et pessimum hoc exemplum, in Anglia male natum et concretum, ab insula maris extra regnum illud in altera regna Anglicum citra mare propagines suas iniquas propagavit.

14. Thomas autem justus confidens sicut leo non cessabat, si forte posset propagines istas malas cum radice mala eradicare et extirpare, per se et per magnos viros, custodes vineæ Domini sabaoth, regem pertinacem sæpe conveniens, multis rationibus et exemplis ipsum convincens agere contra Deum. Sed omnes rationes Dei voluntas regis mala excludebat, exempla omnia contemptus regis impii illudebat. Malumque serpebat in deterius quoties iniquum regem arguebat vir modestus, fortiter zelans zelum legis Dei : quia non solum non audiebat vocem ejus, sed et ipsum magnis odiis excrescentibus persequi non cessabat, et ut ipse idem vir justus, injustitiæ parens, manus daret, minis et terroribus vehementer impellebat. Vir autem Deo plenus, Deum regem immortalem magis timens et toto corde diligens, hominis iniqui, regis mortalis gratiam sibi habebat in extremis et minas et terrores ejus animo magno contemnebat. In magnas ergo discordias cœpit res extendi et ex toto avertitur ira regis a consilio, ab amicitia tanti viri.

15. Videntes iram regis regum et principum blanditores, ut regi magis blandiantur, statim solvunt favorem amicitiæ quam habebant cum electo Dei sacerdote. Nullum tenet reverentia tanti viri, nullum dulcis sapor ejus gratiæ, nullum ejus ab ipso eis impensum sæpe beneficium. Fortuna præsens adversa * viro Dei omnia secum tulit. Multi qui ejus gaudebant patrocinio, cœperunt patrocinari contra eum regis iras, maledictis eum lacerantes apud regem et iras ejus in odium majus de die in diem fortius incendentes. Optimates autem regni multique alii qui regis aures obsidebant, ampliorem sibi regis gratiam coemebant, locumque sibi magnum

* *cod.* aversa.

apud regem habere videbantur dum videbant locum vacuum circa regem quo vir tantus steterat circa regem, dum gratia regis vir Dei fruebatur, dum consilio tanti patris consilium regis niteretur. Procul ergo propulsabant virum justum viri injusti a gratia regis sui, timentes ne redeat in gratiam cujus æmuli ipsi erant. Archiepiscopus autem, gratia Dei plenus, gratiam regis non magnopere sequebatur in hac parte, qua videbat ipsum regem aperta fronte gratiæ Dei contraire.

16. Ut ergo magis arguatur vir justus agere contra regem, ad curiam regis apud Norhantoniam civitatem Thomas archiepiscopus est citatus. Venit ergo sicut agnus inter lupos, quia gratiæ regis omnes fere principes perperam adulantes neque verbo volebant Dei virum honorare, sed solitudini ejus in curia insultantes, opprobriis et injuriis falsisque calumniis populum onerabant. Sed non solus erat, qui cum Deo ambulabat; sed non solum agnus erat, qui leonem in pectore Deo pleno præferebat, cujus pedes non commovit a justitiæ via recta grassantis injustitiæ tanta strues. Propositæ erant a rege quædam legum quæstiones legi Dei prorsus inimicæ, rexque stabilire contendebat nova regni jura in injuriam regni Dei atque ecclesiasticæ libertatis. Pene nullus erat qui non diceret, qui non acclamaret regi: *Fiat, rex, voluntas tua.* Urgebant omnes magnis contentionibus archiepiscopum Thomam; manifestam vim ei prope rex frendens inferebat, ut victas manus daret et daret cautionem tenendi atque confirmandi novas leges illas quas contra omnem Dei rationem rex homo nitens contra Deum decernere conabatur. Stetit imperterritus sacerdos Dei magnus, qui animo magno, auctoritate magna, fronte libera, in hoc malorum concilio partes Dei fortiter sicut leo tuebatur; et irrugiens clamore magno pro Ecclesiæ Dei tuenda libertate, excommunicationis districtæ tonitruo magno fulminabat in eos omnes qui perversas istas regis sententias et edicta ejus enominia * sequerentur. Et ut fortius sententiam ipse suam solidaret, in conspectu concilii statim sedem apostolicam appellavit. Attonitisque omnibus constantia et auctoritate tanti viri, ipse surrexit et abiit in viam suam, gaudens quia dignus habitus est in conspectu concilii contumeliam pati pro Domino Deo suo, et Ecclesia * Dei sui ab ipso Deo sibi commendata *. Omnium autem confusione magna malignantium concilium est solutum.

* *cod.* enominiasa; *sed ultima syll. fere deleta.*

* *cod.* ecclesiæ.

* *cod.* commendatæ.

17. Archiepiscopus Thomas, videns regem in iras inexorabiles amplius inflammatum, nihilque sub eo sibi tutum esse periculumque sui manifestum capiti suo imminere, citato itinere Cantuariam venit, pro tempore disponit domum suam, ecclesiam Dei confortat in Domino, fratribus valedicit, Deoque commendat eos omnium dolore magno, Anglia excedit, mari se committit, auxiliante Deo applicat littori Gallicano; nihilque moratus, Normanniæ fines evitans, in Francorum fines transit jam securus.

18. Tempus erat illud quo in Francia papa Alexander exulabat. Ad exulem venit exul, exilii sui causas indicavit, Ecclesiæ tristem causam deploravit. Alexander papa gaudio magno gavisus est, quod Ecclesiæ Dei tantum lumen ab occiduis sinibus maris Britannici videbat radiare luminis Dei tanta claritate. Exilioque ipse suo prædicabat solatium esse magnum quod talem virum exilii sui consortem ad

eum miserat Deus, omnium bonorum consolator, quod in diebus suis Ecclesiæ sanctæ Dei murus inexpugnabilis per hunc tantum virum erectus erat a Deo, qui conditor est et largitor omnium gratiarum. Rediens autem Romam papa Alexander, affectu magno commendavit virum Deo dignum christianissimo Francorum regi Loduico. Qui rex, videns virum gratia Dei plenum, recepit eum in sui gratiam ampliorem, honore magno magnum Dei colens virum, colloquio ejus sæpe fruens, consilio ejus sæpe gaudens. Eumque cum suis omnibus, qui exules exulem secuti erant, in curam suam suscepit rex benignus, et regia liberalitate de suo in omnibus jussit ei ministrari, ea rerum copia et honore sicut decebat homini tantæ dignitatis. Anglorum namque regis furor ingens in Anglia diripuerat omnem substantiam ejus atque confiscaverat reditus omnes ejus. Insuper crudelitate magna proscripsit parentes et cognatos ejus et affines, et omnes qui suspecti erant regi familiares et amicos esse archiepiscopo exulanti.

19. In Franciam igitur omnes numero magno confugerunt, omnibus nudi rebus. Quæ res amplius dolore magno cruciabant animam justi viri, exiliumque sibi duplicatum stridore magno mœsti cordis proclamabat. Inter istas tamen tot pressuras Deo gratias agens, humili corde causam suam Deo commendabat. Erat enim horrendum ei visu et auditu videre et audire magnum numerum miserorum de suis, sexus utriusque, ad ipsum confluxisse, nudos et egentes ante faciem suam apparere, miserias suas, dolores suos ejulatu magno coram ipso proclamare. Sexui enim nulli, ætati nulli, conditioni nulli pepercerat rex crudelis. Omnes ad virum Dei pertinentes ab omnibus terminis suæ potestatis et regni edicto crudeli proturbaverat. Juvenes igitur tabescentes dum luunt exilii sui pariter et domini sui pœnas graves, ante faciem ejus procidebant; senes ætate graves et curvi juvenum manibus et lacertis tremuli atque penduli trahebantur, recenter ad eum ex fuga venientes; parvuli vagientes, exilii pœnas ante patientes quam scirent quid sit pœna, quid exilium, ad pedes ejus ponebantur, ad ubera matrum magis oculos et manus cum risu et fletu protendentes, quam ad eum ad quem nescii rerum confugere cogebantur. Prægnantes quoque mulieres archiepiscopo præsentatæ voce miserabili dominum suum perquirebant ubi esset eis locus in diversorio, in quo reponerent onus triste ventris immaturo tempore prægravati. Cum ergo videret hæc omnia, cum audiret hæc omnia justus atque pius homo, quantis aculeis et equuleis omnibusque dolorum tormentis cruciabantur viscera distracti cordis ejus, supervacuum est velle conscribere, cum super hoc longe sit minor facultas ad dicendum sive ad scribendum quam ad pie et humane cogitandum, atque sedule retractandum quid hoc primo martyrio sit passus Thomas noster, Dei martyr. Compassus est ei pie pius rex Francorum, compassi sunt optimates regni, compassa dulciter omnis Francia dulcis. Spectaculumque hoc triste misericordia magna prospectantes, populum hunc omni misericordia dignum misericorditer sibi rapuerunt, unusquisque suos sibi a Deo et rege commendatos, ut hilariter facerent cum eis misericordiam suam, sicut ordo, gradus, dignitas et ætas eorum exposcebat.

20. Archiepiscopus autem Thomas tantis tribulationibus undique circum-

fusus, in mentis culmine stetit immotus. Nullis necessitudinibus, nullis affectionibus evictus necessitatem ecclesiæ sanctæ Dei animo deponebat, affectum dilectionis Dei et proximi minorem sibi faciebat. Cumque perpenderet Anglorum regem omnia hæc sibi facere, ut miseria proscriptorum misericordem virum permoveret, quem movere non poterant ipsum exilium ejus et damna rerum ejus, per hæc omnia fortior insurgebat invictus veritatis et justitiæ propugnator, ut expugnaret verbum regis, quo Ecclesiæ libertatem atrociter impugnabat. Cujus fidem, constantiam et virtutem atque sapientiam Dei, quæ in ipso magna erat, considerans rex Francorum et cum eo considerantes regni totius optimates et ecclesiastici summi viri, supra gratiam priorem amore magno et gratia ipsum amplectuntur, reverentia magna ei obsequuntur, consilio ejus, quia bonum et firmum est, innituntur in omnibus negotiis ecclesiæ Dei et Francorum regni. Qui vitæ merito amplius in camino tribulationis castigatæ, qui jocundi oris et sereni vultus gratia temperanter arridente, qui super omnem thesaurum boni sui cordis mitis et humilis apparens Deo et hominibus, sic omnium ora, sic omnium justam sui æstimationem, sic omnium in se gratiam converterat et favorem, ut jam non simpliciter archiepiscopus, sed sanctus archiepiscopus ab omnibus vocaretur.

21. Solus rex Anglorum, cum sancto nihil habens, viro Dei sancto sancti nomen invidebat, titulumque sanctitatis ejus ægre perferebat; tantisque injuriis et malis nullo respectu divini juris et humani in eum crudeliter conjectatis, tantis rebus ab eo bene gestis, de gratia et favore apud omnes ejus sanctitatis moveri potuit rex malignus ut in gratiam revocaret, cujus gratia et solatio in negotiis regni sui ipse potius indigebat. Sed indignus erat gratia tanti viri, qui gratiæ Dei tam rebellis erat. Nullis ergo precibus, nulla ratione, nulla Francorum regis reverentia, quem super hoc frequenter et instanter postulantem surdus semper audiebat, rex protervus flecti potuit per sex annos quibus in regno Francorum non jam exul sed princeps et consiliarius magnus fuit.

22. Septimo demum anno in melius commutare consilium suum malum visus est rex Anglorum, se prætendens jam evictum precibus amicorum et episcoporum ac principum utriusque regni, Anglorum scilicet et Francorum, qui omnes cum ipso Francorum rege Loduico, cum auctoritate litterarum sedis apostolicæ et crebris ac validis exhortationibus Alexandri papæ bestiam illam, magnis postulationibus fortiter insistentes, impellebant, ut inflecteret cervicem suam durissimam in auctoritatis tantæ virum, primatem totius Anglorum ecclesiæ. Magno ergo favore omnium, qui pacis hujus umbram æstimabant esse lucem firmæ pacis, a rege versipelli receptus est in gratiam mitis agnus Thomas, reverendus ecclesiæ Cantuariensis archiepiscopus, jussusque est redire ad ecclesiæ suæ sedem sanctam.

23. In dubio rerum transitu cum se videt homo constitutum, mirum in modum fortius anxiatur, quam dum palam * stridet super eum res adversa. Animi namque vires solidas melius in nobis continemus, cum videmus prosperum nihil aspirare inter res adversas, quia totas animi vires objicimus et animum

* *cod.* palmam.

confirmamus contra res adversas, unico labore fortius sustinendas. Cum vero rebus in adversis adhuc rigens hinc homini stridet hyems, inde spes incerta veris interludit, tunc demum dubiis rebus homo captus nescit qua transiens evadat angustias hujus viæ. In spem dubiam suos erigens cogitatus, dum nescit viam ad res bonas et præsentes adhuc videt sibi res malignas, tanto gravius recidit in seipsum quanto est incertus cui parti potius æstuans ejus animus intendatur : vel ipsum animum uno conatu laborare * ad obtinendum res secundas, vel uno respectu animum stabilire ad sustinendum res adversas, quando nihil aliud intercedit.

* roborare ?

24. In hoc rerum procinctu gravi versatur Thomas, Dei servus, præludioque gravi nimis anxiæ mentis suæ certamen agonis sui exercebat, in proximo martyrii palmam adepturus. Vir sapiens atque circumspectus examinabat formam pacis suæ, regis animum, regis vultum, causam Dei, causam suam. Obscura erat forma pacis, quia neque rex pedem plane retrahebat a persecutione ecclesiasticæ libertatis, neque archiepiscopus Thomas manus victas dabat regis iniquæ voluntati. Noveratque regis animum sinuosum, et ipsum frequenter aliud dicere et aliud cogitare. Perpendebat oculis animoque fallacem regis vultum; neque enim bene respondebat regis vultus operi pacis ejus. Periclitari adhuc videbat causam Dei, qua periclitante nullum causæ suæ portum videre prævalebat, dum a causa Dei nulla morte posset separari causa ejus. Pro quibus omnibus magis cœpit anxiari spiritus ejus. Ad supremum autem humiliter omnia committens divinæ voluntati, Francorum regi et principibus ejus gratias agens et Franciam ultra non visurus Franciæ dilectæ in Domino valedicens, ad Britannicum mare flectit * iter, et spumoso mari transfretato Cantuariam petit suam.

* *cod.* flectet.

25. Præcesserat ejus iter fama velocior. Ruit in occursum tanti * patris Angliæ tota manus; ante omnes ruit exultans omnis Cantuaria. Festus ille dies festivis vestibus induit monachos ecclesiæ Cantuariensis cardinatos. Excipitur humilis Dei servus omnium frequentia magna solemniter jubilante præ gaudio magno, cantui festivo lacrimis dulcibus subinfusis. Oscula dulcia filiorum patri desiderato libata dulces singultus et lacrimæ faciunt dulciora. Deductus igitur per viam longam, tantis gaudiis exultantem, usque ad ecclesiam, in sede sua a suis gloria magna relocatur egregius mundanæ gloriæ triumphator. Gaudiis tristia succedunt. Et his tristibus iterum succedunt gaudia sempiterna. Accidit enim quod verebatur ejus mens, præsaga regiæ fraudis.

* *cod.* tantis.

26. Primo igitur malæ pacis indicio mittit rex legatos celeres ad archiepiscopum sedi suæ nuper redditum, a quibus sub interminatione accipit in mandatis ne præsumat Angliam peragrare, quod facere consueverant patres ejus, primates Angliæ, et ipse. Illud enim poscebat officium suæ dignitatis, ut ecclesias cathedrales ceterasque minores ipse primas Anglorum per Angliam visitaret, atque apostolico privilegio confracta solidaret et solida confirmaret. Fortioris imperio potestatis paruit vir modestus, et in ecclesia Cantuariensi se quietum tenens in humilitate magna Deo serviebat. Officiique pontificalis semper memor, exequebatur omni diligentia, potens in opere et sermone, sicut decebat

pontificem Deo bene placentem, sicut decebat Dei martyrem mox futurum. Interim frequentes ad eum veniebant fideles et amici, prædicantes omnem cum rege pacis suæ fidem a rege dissolutam, furori ejus nullum esse modum, et, nisi præcaveat ipse sibi, non jam exilium ei expectandum, sed discrimen mortis, ex ore regis et contractu rerum certis certum signis. Vir justus de justitia Dei bene fidens, sese Deo magna fide commendabat. Nec poterat ejus fidei prævalere timor terrenæ potestatis: animum confirmabat cœlestis* gratia potestatis, et securior expectabat martyrio sese in brevi commendandum, qui expleverat tempora multa, longo martyrio cruciatus. Nec aliud erat illi faciendum quam ut, pro Deo tradens animam suam Deo, corporis optatam obtineat sepulturam in ecclesia Cantuariensi, pro cujus a Deo data dignitate certaverit usque ad mortem, a Deo fidelis pontifex ipsi datus. Confortatus igitur in Domino et in potentia virtutis ejus miles emeritus summi regis, per martyrii palmam fideliter expectabat ultimum militiæ suæ donativum, qui longo martyrii sui tirocinio jam erat in virtute Dei roboratus ad omnia tormenta pro nomine ejus sustinenda.

* *cod.* cœlesti.

27. In hujus agonis exercitio, ex quo redierat ad sedem suam athleta Dei mensem vix expleverat, cum in missu* regis veniunt Cantuariam quatuor satellites ejus: Raginardus, Ursi filius, Hugo de Morevilla, Wilhelmus de Traci et Brito Richardus, viri nobiles, strenui equites, nisi militiæ suæ virtutem ignava* militia terminassent, nisi nobilitatis suæ gloriam scelere fœditatis extremæ penitus extinxissent, ignominia æterna seipsos condemnantes. Quinto igitur die qui solemnis erat Natalis Domini, archiepiscopo Thoma, servo Dei, sedente in domo sua, venerunt fastu magno et steterunt ante eum torvo vultu equites scelerati, ne fierent omnino proditores qui omnino scelerati; et quia in manu eorum nulla salus erat, noluerunt salutare quem volebant compellare. Verbis igitur amaris adorti* virum Dei sicut fuerant edocti, superbe postulabant quæ ipsa juris æquitate non dubitabant a justo viro sibi deneganda. Proterve propositis eorum postulatis humiliter respondit pontifex mansuetus. Rationis et justitiæ libram dixit non posse sustinere, ut annueret injustis eorum postulatis. Accepta responsi ratione rationem illi non acceptant, et repulsa læti sua in scelus pro quo venerant armant linguam, armant manus; primoque minis et conviciis fortiter percutientes virum sanctum, præcipites domo exeunt et ad sceleris socios et ad arma concurrunt.

* immissu?

* *cod.* ignavi.

* *cod.* adorsi.

28. Archiepiscopi fideles et amici monachique conglobati videntes quæ fiebant circa dominum et patrem suum, in eodem loco manentem et horam martyrii sui humiliter expectantem, sicut filii devoti pia eum violentia trahunt ad ecclesiam, et urgente solemni die cum eo accelerant synaxim vespertinam. Et ecce claustrum irrumpit scelesta manus armatorum et tanti sceleris quatuor illi duces. A quo scelere potuit eos revocare asylum templi sancti, in quo tantum scelus commiserunt, solemnitatis auctoritas tam sublimis, patriarchæ tanti reverentia, nisi majoribus furiis agitatos in horrendum scelus eos impulisset auri cupiditas inebrians, ostentatio criminosa qua videri feraliter affecta-

bant amici regis et fideles, simul et ambitio nimis obcæcata, qua volebant sibi vendicare summam et gratiam et favorem regis nequam. Sed aliter Deo faciente, tanto scelere perpetrato ab omni hac spe mala maligni homines inaniter ceciderunt. Igitur in templum Dei hostes Dei pariter irruentes, clamore magno in loco sancto terribiliter intonabant: *Proditor ille ubi est?* Dei et justitiæ Dei proditores, proditorem inclamabant illum qui proditione magna proditus ad mortem indigno clamore quærebatur. Nullus erat qui responderet ad verbum proditoris inclamati, et illi furias in verbo temperantes : *Ubi est*, inquiunt, *archiepiscopus?* Thomas autem archiepiscopus sciens verbum proditoris nihil ad se penitus pertinere, suæ vero dignitatis et ordinis verbum et opus bonum in se recognoscens, stans immotus virtutum super altos gradus, a gradibus interioris templi super quos stabat descendit et processit obviam furentibus illis. *Ecce*, inquit, *quem quæritis, archiepiscopus ego sum.* In articulo autem proximæ mortis suæ fidei et constantiæ tantæ loricam induerat promptus ad martyrium spiritus ejus, ut fidei ejus et constantiæ certum darent signum pedes non infirmi, lingua non tremula, vultus non obscurus, sed Dei præsentia roboratus, invictæ virtutis insigne digno corporis habitu totius præferret justus homo.

29. Manus ergo violentas in eum injecerunt quatuor illi milites scelerati. Et primo cum vellent ipsum trahere extra templum propter templi reverentiam, ut eum trucidarent extra templum, impleri templum vident, sexus utriusque multitudine magna concurrente; et, timentes ne confluens ad spectaculum tam triste populus civitatis ad arma conclamaret et Dei servum de manibus eorum vi eriperet, accelerato scelere super eum gladios extendunt, ut trucident ante aram templi rectum corde virum. Primus eorum Raginardus, Ursi filius, erecto brachio, gladium vibrat in caput ejus. Excipit ictum ferientis unus clericorum, qui sedulus stabat juxta eum; brachiumque protendens super caput tanti sacerdotis, a capite ejus voluit elidere gladium fulminantem. Gladius autem fortiter elevatus clerici brachium amputavit et simul in capite christum Domini graviter vulneravit. Eo vulnere non cecidit christus Domini, sed cum Deo jam confabulans ejus immensæ pietati et sanctorum ejus patrociniis animam suam commendabat; et immotus stabat ante gradus, victima Deo placens holocaustumque Deo suavissimum mox futurus. Hugo de Morevilla et post ipsum Wilhelmus de Traci, capiti ejus gladiis fortiter illisis, secundum vulnus et tertium feraliter inflixerunt, eumque præcipitem excusserunt in marmoreum templi pavimentum. Quartus eorum et ultimus Richardus Brito quartum et ultimum sceleris implens opus, crudelitatis et sceleris a tribus nihil actum duxit, nisi quartus ipse tribus illis crudelior et sceleratior appareret. Victimam ergo Dei summi sanctam terræ jam collapsam pulsuque supremo palpitantem atque expirantem, ne homicidii tam horrendi non esset ipse reus, furiali crudelitate debacchatus stetit super eum et, gladio fortiter inflicto, sancti capitis ejus rasilem coronam abrasit uno ictu, cum carne circumfusa testam dissipavit; et, sceleri ejus ne quid deesset ipse timens, gladii cruenti mucronem

fervidus immersit vertici sacro tanti sacerdotis. Fluens autem cerebrum capitis ejus cum sanguine super pavimentum spectantibus suis dolor ingens erat, cum viderent virum innocentem sic occisum, cum viderent virum fortem sic prostratum. Jacebat enim martyr Dei suo sanguine purpuratus, jacebat innocens Dei innocentiæ suæ bysso candidatus. Quia gemini coloris amictus veste nuptiali, ad mensam magni regis introductus, inter convivas cœlestis et æternæ vitæ cum Deo lætus epulabatur. Corpus ejus curatum in eadem ecclesia honore magno sepelitur.

30. Quo scelere perpetrato, sceleris officinæ ad auctorem sceleris redire disponebant; sed sceleris immanitas ipsum sceleris auctorem dum confundit, scelus exhorruit ipse suum : et obscœnas sceleris officinas, scilicet quatuor illos viros sanguinarios, timens ad se revocare, callidus ipsos abnegavit, dicens in hoc scelere non eos sibi ministrasse. Verum in urbe Cantuaria, domino et patri tanto suo tam devota, eorum potestas non erat ita grandis ut in die tam solemni, in loco celeberrimo, in conspectu omnis populi ejus possent vel auderent trucidare tantum Dei sacerdotem. Sed nihil juvat, nihil valet, nihil tegit hujus rei prorsus inane tegumentum. Scelus hoc audere, scelus hoc simul posse dedit sceleratis qui supremam hujus sceleris habuit potestatem. Damna sui, rem iniquam, scelus tantum Anglia non est ausa deplorare; Petri sedes apostolica supersedit vindicare, quando Petri gladio gladius Neronis visus est prævalere. Sed conclamat omnis mundus non esse mundum a sanguine justi hujus Henricum regem, regi Deo manifestum inimicum. Et rex regum, utriusque gladii dator atque dominator, in die iræ suæ utroque gladio depugnavit * contra insipientes, qui dixerunt in corde suo : Non est Deus.

* *sic.*

XXIV. Codex signatus n° 831-34.

Foliorum 195 (præter unum insiticium in capite codicis), formæ mediocris (0^{m},30 × 0,22), columnis binis, lineis graphide ductis, exaratus seculo XIII. Tituli minio descripti; litteræ initiales (in posteriori parte codicis) minio item et cæruleo satis ambitiose, sed non admodum perita manu designatæ.

In inferiori margine folii insiticii manu seculi XIII adscripta est hæc nota : *Hic liber est sororum Vallis sancte Marie Ordinis Fratrum Predicatorum,* et rursus fol. 1^{r} in margine exteriori, manu seculi XVII : *Conventus Mariævallensis* (Marienthal, prope Luxemburgum) *Ord. Prædicat.*

Prior pars codicis (fol. 1-119) continet homilias in evangelia de tempore a sabbato sancto usque ad dominicam ultimam post pentecosten. Deinde sequitur :

1° De inventione sanctæ Crucis (fol. 120^{r}-123^{v}).

Narratio nonnihil stylo diversa ab ea quæ legitur apud Mombritium, tom. I.

2° De exaltatione sanctæ Crucis (fol. 123v-125v).

Edita est hæc narratio apud Mombritium, tom. I.

3° Passio SS. apostolorum Symonis et Judæ (fol. 125v-132r).

Edita apud Fabricium, *Codex Apocryphus Novi Testamenti*, part. I, p. 608-636, seu num. 7-23. — Non paucæ occurrunt lectiones variantes et in fine add. quod editum est supra, p. 95, 18° *(Scripsit autem...)*.

4° Passio S. Clementis martyris atque pontificis (fol. 132r-136r).

Edita apud Mombritium, tom. I.

5° De miraculis S. Clementis martyris atque pontificis (fol. 136r-137r).

Editum ibid., post S. Clementis Passionem.

6° Passio S. Gorgonii martyris (fol. 137r-141r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Sept., tom. III, p. 340-342. — Sed inter verba *interimi* et *qui a carnificibus* (num. 10 med.), hæc in codice interposita leguntur :

Tunc commilitones commonent ut consueta libamina imponerent aris, ne in pœnis deficiant ostensis. *Parcite,* inquiunt, *juventuti vestræ legemque christianorum quam imperium Romanorum exterminari statuit abjicite, ac decus honoris quod vobis in palatio concessum fuit, familiaritatem consecuti imperialem ex officio recipite.* Tunc invictissimi martyres Gorgonius et Dorotheus, quos a primævis temporibus fraternalis devinxerat sodalitas, accensi in fide constanter dixerunt : *Libero sumus parati animo tolerare cuncta quæque sors tulerit ultima. Vestrorum deorum numquam polluerati immolaticiis, nec propter timores suppliciorum revocabimur a sententia veritatis. Absit ut nobilitas carnis obmutescere faciat nobilitatem mentis. Genus paternum flocci penditur, quoniam singularem patrem habere in cœlis nos confitemur. Ex præcepto siquidem Domini hic vita est contemnenda, quo in futuro custodiam consequamur libertatis.* Nuntiatur itaque Diocletiano irrevocabilis beatorum martyrum animositas. *Tua,* inquit carnifex, *imperator, postponitur potestas, decretum abjicitur; tuis dicunt minime parere præceptis, nescio cujus se famulos falsitatis fatentes.*

Inter hæc dum agitur triumphalis delatio ad aures principis, gloriosi milites Christi hortatu commonent salubri collegas, cunctisque qui aderant credentibus talis datur exhortatio : *Nolite,* inquiunt, *dilectissimi, nolite momentaneas expavescere*

tyrannorum pœnas, quoniam succedet vobis inæstimabilis suavitas incomprehensibilisque lætitiæ infinitas. Nobis certantibus victoriæ præmium, illis injuste affligentibus retribuetur inauditæ pœnæ supplicium. Sustineamus hic pro Christo modica opprobria, ut ab ipso in futuro indeficientia suscipiamus gaudia. Jam carnifex nostram detulit causam judici, jamque proclamabitur sententia publica ut tamquam rei vindice pereamus ferro. Quocirca stemus intrepidi, nil metuentes pro Christo animas ponere, quoniam ipse pro nobis animam posuit. Quod si ad modicum subjiciuntur pœnæ, acceleretque tyrannus nostræ carnis ustor, siquidem aderit Christus, nostrarum animarum defensor. Sufficiat quod hucusque luce usi fuimus temporali; dehinc frui valebimus cœlesti, si quidem finis successerit constantiæ fidei. Talibus firmati exhortationibus unanimes spondent ultro idolatriam respuere veramque fidem inviolabiliter servare.

Inter hæc legatio dirigitur celeris quæ beatos martyres iterum denuntiat conspectibus debere Diocletiani repræsentari. Quos tyranuus videns, infremuit dicens : *Gorgoni, quis pervertit sensum vestrum, quia in talibus delectamini vanitatibus? Nonne satius fuisset in armis militare imperatoriis, quam indecenter* * *dies finire ultimos? Puto quia error Petri aliorumque quos vos martyres dicitis, seduxit te. Sed miror quid virtutis arbitramini in illis, quos in puncto, ut vidistis, nostra damnavit sententia.* Gloriosus martyr Gorgonius respondit : *Noli, imperator, putare in nobis perversum esse sensum, verum potius crede ad Dei misericordiam conversum. Diu vanitates et quæque inepta secuti fuimus et frustra in secularibus pompis delectati. Nunc autem in bono vitam nostram deducere disposuimus, quam dicis finiri inhoneste, quia exempla præcedentium patrum martyrumque præcipue imitari volumus. Nam quos credis immemores damnasse, scito pro certo æternaliter vivere; illorumque pretiosus exitus tuum paravit interitum, nisi credideris salvatorem mundi Dominum.* Diocletianus dixit : *Nobis consentientibus talia potestis objicere; me autem in talibus nil prodest morari, quoniam a vestro errore longe fit animus meus.* Igitur illis adhuc recusantibus iratus Diocletianus, ad decollandum eos duci jussit a carnificibus.

* *cod.* ita decenter.

7° Passio S. Mauricii et sociorum ejus (fol. 141r-144r).

Passio auctore S. Eucherio, edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Sept., tom. VI, pp. 342, 343. — Sed num. 1 om.; ac num. 11, inter verba *adclinis jacet* et *quid miraculi* in codice legitur : *Sed nunc jubente præclaro meritis Ambrosio, hujus loci abbate,*

denuo ædificata biclinis esse dignoscitur; atque his annectitur num. 17 secundæ Passionis (tom. cit., p. 348), usque ad : *laudibus frequentamus.*

8° Passio SS. Proti et Jacincti martyrum (fol. 144r-151v).

Edita apud Migne, P. L., tom. LXXIII, p. 605-620, sub hoc titulo : *Vita sanctæ Eugeniæ.* — Sed hinc inde nonnihil discrepat lectio codicis a textu edito, quippe quæ referat aliam versionem textus græci. In fine hæc notanda :

Factum est autem ut veniens ad domum Claudia instrueret filios suos juxta id quod monita fuerat. Die autem dominica, mysteriis celebratis, in oratione posita emisit spiritum. Quam Habitus et Sergius juxta sororem suam sepelientes, ita in timore Dei perfecti esse cœperunt, ut multorum ad se converterent animas paganorum. Denique de ipso Capitolio paratos ad sacrificandum homines sua exhortatione tollentes, ad ecclesiam duxerunt, quod baptismatis sanctificatione purgatos in suo gremio divina aula suscepit, quique per multos annos in timore Christi cum bono vitæ profectu ad sidera regna migraverunt, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

9° Passio beati Theodori martyris (fol. 151v-154v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

10° Passio martyrum Claudii, Simproniani, Castoris, Nicostrati atque Simplicii (fol. 154v-159v).

Horum sanctorum, qui et Quatuor Coronati nuncupantur, Passio edita est apud Mombritium, tom. I.

11° Passio S. Juliani martyris et Basilissæ conjugis ejus et aliorum sanctorum (fol. 159v-174v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Januarii, tom. I, p. 575-587. — Hinc inde quædam in codice omissa sunt, et integri numm. 1 ac 64.

12° Vita Btæ Mariæ Egyptiacæ, quam transtulit de græco in latinum Paulus venerabilis diaconus sanctæ Neapolis ecclesiæ (fol. 174v-186v).

Edita apud Migne, P. L., tom. LXXIII, p. 671-690. — Sed in cod. præfatio interpretis om.

13° Relatio de historia sanctarum Agrippinensium (fol. 186v-192v).

Edita in *Analect. Boll.*, tom. III, p. 7-20.

14° Passio S. Georgii martyris (fol. 192v-195r).

Hæc Passio ut plurimum convenit cum ea de qua actum est supra, p. 204, 9°. Ubi nota p. 206, lin. 3, pro *editio Mombritiana* legendum esse *editio Casinensis.*

XXV. Codex signatus n° 846-57.

Foliorum 224, præter tria insiticia in capite codicis, formæ mediocris (0m, 29 × 0,215), columnis binis, exaratus seculo XV. In tertio folio insiticio verso, ubi adscriptus est index codicis, legitur hæc nota manus seculi XVII : *Bibliothecæ Rubeæ Vallis.*

Codex continet opuscula quædam et sermones S. Augustini, quibus inserta est

Vita Stæ Monicæ viduæ ex libris Confessionum S. Augustini episcopi (fol. 170r-175v).

Hæc Vita, a Walthero collecta, edita est in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, p. 474-480. Sed in cod. prologus ac numm. 12, 25, 28, 29 omm.

XXVI. Codex signatus n° 1079-84.

Manifeste constat duobus codicibus primitus diversis, dein simul compactis, quorum posterior sola Gesta Barlaam et Josaphat complectitur. Nunc est foliorum omnino 205 (quæ numeris notata non sunt), formæ mediocris (0m, 295 × 0,22), columnis binis, lineis stylo plumbeo ductis, diversis manibus exaratus seculo XIII. Tituli (in priori parte, nam in posteriori nulli omnino inscripti sunt) minio designati, itemque litteræ initiales singulorum capitum : quarum nonnullæ admodum sobrie ornatæ sunt, tres, ceteris majores (fol. 1r, 2r et 129r), paulo elegantius ; sed utraque prior imperfecta relicta est, coloribus scilicet non adjunctis.

Ad calcem ultimi folii manu librarii qui ultimam codicis partem descripsit, apposita est hæc nota : *Anno Domini m° cc° l° quinto scriptus est liber Barlaam et Josaphat a fratre Amelrico canonico in .... et plebano ....* (utrumque loci nomen erasum est). *Si quis abstulerit, anathema sit. Amen.* Et in capite folii primi, manu seculi XVI : *Est liber hic Sancti Martini Lovaniensis ex parte magistri Karoli Viruli.*

1° Vita S. Bernardi Clarævallensis abbatis (fol. 1-100ᵛ).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Aug., tom. IV, p. 256-327. — Sed in codice hæc præcipue notanda :

a) Omissa sunt : ea quæ num. 145 Vitæ editæ uncinis inclusa sunt; ejusdem numm. 149 et 150, seu præfatio Gaufridi ; num. 185 ultima phrasis; major pars num. 267, scilicet ab his : *Frater Guillelmus de Monte Pessulano ;* denique num. 268 et numm. 271-275.

b) Eædem reperiuntur lectiones variantes quæ notatæ sunt supra in codice 428-42 (p. 235), ad numm. 3, 26, 48 et 49. — Præterea

Num. 8, post med., inter verba *calcaneo ejus insidiabatur* et *Cum enim aliquando,* hæc inserta sunt :

Unde cum aliquando matrona quædam, pulchritudine, divitiis, cultu et aliis hujusmodi irritamenta præferens concupiscentiæ et peccati, in secretiori domus cubiculo eum aggressa ad peccatum pertraheret, ille lenibus eam verbis demulcens donec e manibus ejus et amplexibus elaberetur, fugit et evasit, et in medio ignis non est æstuatus.

Num. 19 init., post *Christo genuerat,* pro *videns-suorum* legitur :

Cumque exirent de mansione Guidonis primogeniti, quæ Fontanæ dicebatur, Guido videns...

Num. 202, lin. 2, *Remensem* pro *Belvacensem.*

Num. 241, in fine add.:

Utriusque rei, tam illorum illuminationis quam ipsius confessionis usque hodie testis est abbas de Campo, quod est cœnobium non ignotum parrochiæ Coloniensis et Ordinis Cisterciensis.

Num. 262 med., post verba *unus e fratribus,* add. *Haymo nomen est ei.*

Huic Vitæ subjuncta sunt tria documenta, videlicet :

a) Manu seculi XIII, quæ ipsam Vitam descripsit :

Institutio sancti Bernardi, Clarævallensis abbatis, quomodo cantare et psallere debeamus. Venerabilis pater sanctus Bernardus, abbas Clarævallis, præcepit monachis suis hanc formam canendi tenere, affirmans hoc Deo et angelis placere, ita dicens : Psalmodiam non nimium protrahamus, sed rotunde et viva voce cantemus. Metrum et finem versus simul intonemus et simul dimittamus. Punctum nullus teneat, sed cito dimittat. Post metrum bonam pausam faciamus. Nullus ante alios incipere et nimis currere præsumat, aut post alios nimium trahere vel punctum tenere. Simul cantemus, simul pausemus, semper auscultando. Quicunque

incipit antiphonam aut psalmum aut hymnum aut responsum aut alleluia, unam aut duas partes solus tractim dicat, aliis tacentibus; et ab eo loco quo ille dimittit alii incipiant, non repetentes quod ille jam dixit. Similiter teneatur dum cantor reincipit antiphonam, alleluia et responsum, ne alter redicat quod jam ab altero dictum est. Dum hymnos, alleluia et responsa cantamus, in clausulis aliquantulum expectemus, maxime in festivis diebus.

b) Manu seculi XV :

EPITAPHIUM SANCTI BERNARDI.

Clare sunt valles, sed claris vallibus abbas
Clarior : hic clarum nomen in orbe dedit.
Clarus avis, clarus meritis et clarus honore,
Claruit eloquio, religione magis.
Mors est clara, cinis clarus, clarumque sepulcrum ;
Clarior exultat spiritus ante Deum.

Ecce latet * Clarevallis clarissimus abbas,
Qui summis summus, qui sibi parvus erat.
Religionis apex, lux mundi, dux monachorum,
Vox verbi, pacis sanctio, juris amor ;
Instructus *, velox, sublimis, pauper, abundans,
Artibus, ingenio, sanguine, veste, bonis.
Laudis eget tytulo cujus laus non fit ad omnes,
Cujus honor, cujus crescere fama potest :
Nunc vero quem plangit, adhuc quem predicat orbis
Si laudare velim, laus mea laude caret.
Dura, malum, cunctos, tulit, horruit, edificavit ;
Vana, Deum, requiem, sprevit, amavit, habet.

* *corr. supra lin.* jacet.

* *corr. supra lin.* instructor.

Hujus epitaphii tria prima disticha edidit v. v. Lalor, *Le Trésor de Clairvaux* (Paris 1875), p. 187.

c) Eadem manu seculi XV, in inferiori margine :

TESTAMENTUM.

Beatus pater Bernardus, morti feliciter appropinquans, ait fratribus * suis : Tria vobis observanda relinquo, que in stadio presentis vite, quo cucurri, memini me observasse. Nemini scandalum facere volui, et, si aliquando incidit, celavi ut potui. Minus semper sensui meo quam alterius credidi.

* *corr.* filiis.

Lesus, de ledente nunquam vindictam expetii. Ecce caritatem, humilitatem, pacientiam vobis relinquo.

Cfr. *Act. SS.*, cit. tom. IV Aug., p. 219, n. 543, ubi idem testamentum paulo diversis verbis exhibetur.

2° Gesta salvatoris Domini nostri Jesu Christi scripta a Nichodemo (fol. 100v-121r).

Edita apud Fabricium, *Codex Apocryphus Novi Testamenti*, part. I, p. 238 sqq.

3° Excerpta de libris beati Maximi de quodam miraculo beatæ Mariæ Magdalenæ (fol. 121r-124r).

Narratio prodigii de quo actum est supra, p. 212, cod. 380-82, 42°, § quæ incipit: *Secunda pars.*

4° De vita et obitu beatæ Mariæ Magdalenæ (fol. 124r-128).

Complectitur *a*) ea quæ edita sunt apud Faillon, *Monuments inédits*, etc., tom. II, p. 433-435, scilicet a verbis *Post Dominicæ resurrectionis* usque ad *languores curando* (p. 435, lin. 4), omissa tamen prima phrasi num. 2 (p. 433): *Nullus enim... b*) Ea quæ leguntur ibid., p. 445-451 *(Additions déjà faites*, etc.), ubi inserta est (post *insignibus coruscare*, p. 450) nota de quadragesimis edita supra, p. 213, lin. 3. Codex desinit in verbis *ab ingredientibus oratorium sentiretur* (p. 451, lin. 8).

5° [Gesta Barlaam et Josaphat] (fol. 129r-205v).

Interpretatio textus græci diversa ab ea quæ edita est apud Migne, P. G., tom. XCVI, p. 859 sqq. — Prologus deest.

XXVII. Codex signatus n° 1216-34.

Foliorum 202, præter unum insiticium in capite codicis et alterum vacuum ad calcem, formæ mediocris (0m,29 × 0,21), partim columnis binis, partim (fol. 116r-199r) lineis plenis, diversis manibus exaratus seculo XV. Tituli et litteræ initiales minio descripta, ceterum nulla ornamenta.

In fine codicis (fol. 202v) manu seculi XV adscripta est hæc nota: *Liber monasterii Rubeevallis in Zonia prope Bruxellam.*

Præter homilias, sermones de sanctis et opuscula ascetica unum in eo codice refertur documentum hagiologicum, videlicet

De sancto Thoma Cantuariensi (fol. 197r-198v).

Excerptum ex Passione edita apud Martene, *Thes. nov. Anecdotorum*, tom. III, p. 1736-1746, omissis scilicet in codice prologo et iis quæ ad parænesim potius quam ad historiam spectant.

XXVIII. Codex signatus n° 1262-67.

Foliorum 178 (quæ nullis numeris notata sunt), formæ mediocris (0m,275 × 0,195), lineis plenis, diversis manibus seculo XV exaratus. Tituli minio designati, itemque litteræ initiales documentorum et capitum, præter litteras initiales prologi in Vitam S. Bernardi, ejusdem Vitæ libri primi et libri secundi ac Vitæ S. Mauri, quæ cæruleo depictæ sunt, et tres posteriores satis eleganter ornatæ.

Ad calcem fol. 62v librarius qui Vitam S. Bernardi descripsit apposuit nomen suum, videlicet *Johannes Pollart.* Ad calcem item fol. 136v, in fine Vitæ S. Mauri, eadem manu quæ hanc Vitam descripsit, post *Explicit,* etc. indicatur hæc scriptio facta esse *anno Domini 1489.*

In capite codicis insertum est folium chartaceum, cui manu seculi XVI inscripta est hæc nota : *Liber sancti Nicolai episcopi in Bruwylre.* Sequuntur eadem manu descripti :

DE SANCTO BERNARDO SECUNDUM LITTERAS NOMINIS EJUS VERSUS.

Balsamus hortorum, Bernarde, pater monachorum,
Et via justorum, decus abbatum, schola morum,
Robur regnorum, pax ecclesiæ, vir amorum,
Nardus doctorum, laus virginis, archa bonorum,
Actor signorum, fuga spirituum reproborum,
Regula cunctorum, vitæ lex, mors vitiorum,
Dux devotorum, Clarevallis flos, valor horum
Vota regas quorum, memorum memor esto tuorum.
Spes professorum, duc nos ad regna polorum.

DE OBITU EJUS VERSUS.

M. c collatis l i tribus associatis
Sanctus Bernardus moritur, non ad bona tardus.
Tres in carne fuit l et x annos pater iste;
Centum claustra struit l et x. Sit laus tibi, Christe.

1° Vita beati Bernardi abbatis Clarævallensis (fol. 1r-117r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Aug., tom. IV, p. 256-327. — Sed in codice :

a) Omissa sunt quæ num. 145 in Vita edita uncinis inclusa notantur, et præterea ultima phrasis num. 255 et integri numm. 271-275.

b) Eædem reperiuntur lectiones variantes quæ notatæ sunt supra, in codice 1079-84 (p. 285), ad numm. 8 et 19 et in codice 428-42 (p. 235) ad numm. 3, 26, 48 et 49, 196, 330. — Præterea

c) Num. 3 init., pater Bernardi vocatur *Testelinus.*

Num. 13 med., inter verba *celerem nuntium* et *sed non venit*, hæc inserta leguntur : *et acquievit aliquatenus ut veniret.*

Num. 14 init., inter verba *Hodie liberaberis* et *Erat autem*, hæc alia : *Percunctanti modum dictum est : Pater tuus et alius quidam te liberabunt.*

Num. 19, frater minimus natu vocatur *Winardus.*

Num. 78, seu subscriptio libri primi, legitur ut apud Surium, ad d. 20 Augusti.

2° Vita S. Mauri abbatis (fol. 118r-136v).

Vita auctore Fausto, edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1039-1050.

3° Vita beatæ Elizabeth regis Ungariæ filiæ ac Thuringiæ Lantgraviæ (fol. 137r-167r).

Vita auctore Theoderico de Apoldia, edita apud Surium, ad d. 19 Nov. — Sed in cod. omm. prologus et lib. III cap. 3, inde a verbis *Fuerunt quippe tunc nobiles...* usque ad fin. Ex lib. VIII cap. 11 refertur tantum prima phrasis *(Exspectabant-charismata).*

4° Epistola examinatorum miraculorum ad Domnum papam Gregorium nonum (fol. 167r-167v).

Edita apud Johannem Kuchenbecker, *Analecta Hassaica*, collectio IX, pp. 107, 108.

5° Epistola magistri Conradi de Marburch ad papam de vita beatæ Elizabeth viduæ (fol. 167v-178v).

Edita ibid., p. 108-147.

XXIX. Codex signatus n° 1328-37.

Foliorum 76, formæ mediocris ($0^m,31 \times 0,20$), columnis binis, lineis stylo plumbeo ductis, exaratus seculo XIV. Tituli minio descripti; litteræ initiales, majores exordio singulorum documentorum, minores exordio capitulorum, perita manu eleganter minio et cæruleo depictæ.

In capite codicis, fol. 1r, præter nonnulla calami tentamina, inscripta est hæc nota : *Petrus Havetius, Regens collegii Marchianensis, dono dedit F. Paulo Sylvano intra Duacum, anno millesimo quingentesimo 84.* Et eodem fol. v° legitur manu seculi XIV sequens index :

In hoc volumine continentur hec :
Vita sancti Basilii Cesariensis episcopi.
Vita sancti Francisci confessoris.
Libri sancti Effrem. Item monita ejusdem.

Liber sancti Basilii Capadocensis ad filios spirituales.
Item sanctus Ambrosius de conflictu viciorum atque virtutum.
Item vita et passio sancte Justine virginis.
Item quedam miracula beate Marie Virginis.
Vita sancte Rictrudis abreviata.

Cui ultimo titulo adjecta sunt manu seculi XVI : *Sacrilegio ablata est.* — Sed in præsenti statu codicis sistit scriptio in *sancti Ephræmi monitis*, et hæc sola traduntur documenta hagiographica :

1° Vita et miracula sancti Basilii Cesariensis archiepiscopi (fol. 2ʳ-19ᵛ).

Interpretatio latina Actorum sancti Basilii auctore ut fertur S. Amphilochio, diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS.* ad d. 14 Junii, tom. II, p. 936 sqq.

2° Vita beati Francisci confessoris (fol. 19ᵛ-36ʳ).

Est legenda illa nuncupata *Minor* quam pro divino officio, rogante quodam episcopo, ex legenda majori compendiatam, in lectiones in festo ac octava S. Francisci legendas distribuit ipse S. Bonaventura. Vid. *Act. SS.* ad d. 4 Oct., tom. II, p. 550, num. 22. Ex parte edita est in Breviario ad usum Ordinis Seraphici pro lectionibus secundi nocturni in festo ac octava S. Francisci.

3° In festo translationis beati Francisci, de canonizatione et translatione ipsius (fol. 36ʳ-38ʳ).

Editum in *Act. SS.*, tom. cit., pp. 782, 783, num. 215-223.

XXX. Codex signatus n° 1351-72.

Foliorum omnino 256 (quorum 23 non notata numeris, duo bis eodem numero signata, et quatuor insiticia in capite codicis), formæ mediocris (0^m,28 × 0,20), columnis binis, lineis stylo plumbeo ductis, exaratus diversis manibus (pro diversis scilicet codicibus simul compactis) seculo XIV. Tituli et litteræ initiales minio designata, ceterum ornamentis fere nullis, præterquam foliis 166ʳ, 166ᵛ et 172ᵛ, ubi conspiciuntur litteræ initiales majores, minio et cæruleo satis eleganter depictæ.

Folio insiticio 1ʳ in capite codicis inscripta est hæc nota manu seculi XVI : *Liber monasterii Sancti Pauli in Zonia sive Rubeevallensis juxta Bruxellam situati. Verte duo folia et invenies contenta in isto libro.* Fol. 3ᵛ reperitur index quorumdam librorum flandricorum, hoc inscriptus titulo : *Dit syn die dietsche boeke die ons toe behoeren.*

Complectitur codex sermones et opuscula S. Augustini et S. Anselmi, quibus intermixta sunt documenta hagiologica jam recensenda.

1° De vita et gestis gloriosissimi doctoris et patris sancti Augustini episcopi (fol. 35r-47v).

Vita auctore Jordano a Saxonia (de qua cfr. *Act. SS.* ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 215, num. 14), edita ap. Migne, P. L., tom. CCIII, p. 1205-1234.

Ad finem Vitæ add. hæc nota : *Hæc Possidonius et in legenda famosa. — Sciendum est quod legenda famosa appellatur hic legenda quædam sollempnis et antiqua stilo venusto more veterum compilata a quodam qui Philippum se nominat, circa finem ejusdem legendæ sic dicens : Eligat quod sua cuique suggerit ambitio ; sed si Philippo daretur optio, mallet sanctam paupertatem qua Deus pontificem ditavit Augustinum quam regnum et divitias quibus regem extulit Alexandrum* (P. L., tom. cit., p. 1229, cap. 32 init.). *Et habetur illa legenda in multis antiquis monasteriis canonicorum regularium et Præmonstratensium.*

2° De translatione beati Augustini prima (fol. 47v).

Editum ibid., p. 1230, a *Defunctus itaque* (lin. 7 a fin.) usque ad *obliteretur silentio* (p. 1231, lin. 12).

3° De translatione ejus secunda (fol. 47v-48r).

Editum ibid., p. 1231, lin. 13, p. 1234. — Sed in codice quædam omissa sunt, scilicet a verbis *Eapropter prudens lector* (p. 1232, lin. 21 a fin.) ad *tardius remeatur* (p. 1233 med.), et quæ sequuntur post verba *honorifice reposuerunt* (p. 1234, lin. 10). Deinde rursus additæ sunt hæ notæ : *Hæc in legenda famosa. — Fuit autem hæc facta reconditio sub anno dominicæ incarnationis septingentesimo vicesimo tertio, præsidente in sede apostolica Gregorio papa secundo et imperante Leone tertio. Hæc ex cronica Eusebii. Quod quidem festum reconditionis ejusdem sacratissimi corporis ibidem, tam a canonicis regularibus quam a fratribus eremitarum Ordinis, in eadem basilica sancti Petri in cœlo aureo Deo et eidem beatissimo doctori et ductori ac institutori utriusque Ordinis pariter famulantibus, honorificentia condigna peragitur et usque in hodiernum diem annis singulis solemniter celebratur, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. Hæc ex gestis ejusdem ecclesiæ.*

4° De sancto Eligio vita ad longum, quam sanctus Audoenus, archiepiscopus Rothomagensis, collega ipsius sancti Eligii, edidit (fol. 66r-71r).

Edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 479 sqq. — In cod. om. prologus, et præterea a priori scriba omissa erant alia non pauca, quæ tamen postea supplevit manus seculi XV, tum in marginibus fol. 66-71, tum in aliis foliis partim vacuis relictis vel intercalaribus, videlicet fol. 65v et sequenti ac fol. 27v et sequenti utroque.

5° [Compendia Vitarum aliquot Sanctorum] (fol. 132bis-149^{r}).

Scilicet sanctæ Elizabeth viduæ; S. Barbaræ; S. Pontiani martyris apud Spoletum; S. Mauri, discipuli S. Benedicti; S. Polycarpi episcopi et martyris; S. Autberti episcopi et confessoris; sanctæ Apolloniæ virginis et martyris; S. Augustini episcopi, Anglorum apostoli; Ven. Bedæ presbyteri; S. Maximi Aquensis episcopi; SS. Monulphi et Gondulphi episcoporum Trajectensium; S. Frederici episcopi Trajectensis et martyris; S. Joseph cognomine Justi, martyris; S. Bertini abbatis; sanctæ Faustæ virginis et martyris; sanctæ Teclæ virginis et martyris; S. Cleophæ martyris; SS. Marci papæ, Marcelli et Apulei martyrum; S. Galli abbatis; S. Severi Ravennatis episcopi et confessoris; S. Willebrordi episcopi et confessoris; S. Livini episcopi et martyris; S. Columbani abbatis; S. Eucharii Treverensis episcopi et confessoris; S. Damasi papæ; S. Materni Treverensis episcopi; SS. duorum Ewaldorum martyrum; sanctarum Fidei, Spei et Caritatis martyrum; S. Bonifacii Moguntinensis episcopi et martyris; S. Justi Belvacensis martyris; SS. Kyliani et sociorum ejus martyrum.

XXXI. Codex signatus n° 1651-52.

Foliorum 83 (1), formæ minoris (0^{m}, 265 × 0,205), lineis plenis, stylo ferreo ductis, exaratus seculo IX. Singulorum documentorum tituli *(Incipit,* etc.) litteris capitalibus, ut aiunt, rusticis minio descripti sunt; prima linea itemque ultima *(Explicit,* etc.) eodem genere litterarum, sed atramento, cui deinde minium obductum est; littera initialis capitalis major alternis vicibus minio vel atramento.

In capite fol. 1^{r} inscripta est hæc nota : *Musei SS. Societatis Jesu Antverp. 1599*, et in capite folii chartacei a compactore initio inserti affixa est schedula impressa litteris ✠ MS, quo signabantur codices Bollandianorum. Huic manus recens adjicit graphide + *ms. 201.*

Continet codex homilias sacras S. Eusebii Emisseni. Quibus inserta sunt :

1° Omelia de sancto episcopo Maximo et abbate (fol. 32^{v}-36^{r}).

Edita apud Surium, ad d. 27 Novembris.

(1) Ultimum folium notatum est quidem numero 86; sed qui numeros foliorum adjecit, post folium 40 signavit sequens numero 45, quum tamen nulla excisa sint; idem vero iterum signavit numero 46 folium quod signandum erat 47.

2° De sanctis martyribus Ephypodio et Alexandro (fol. 66r-68r).

Homilia auctore S. Eucherio Lugdunensi, edita apud Migne, P. L., tom. L, p. 861-865.

3° Omilia S. Genesii (fol. 68r-69v).

Edita ex hoc codice in *Act. SS.*, ad 25 Aug., tom. V, pp. 131, 132, num. 40-46. Cfr. ibid., num. 39.

4° Sermo S. Faustini de sancto Romano martyre (fol. 69v-71r).

Totus parænecticus, ita ut lecto sermone nemo definire queat quis sit ille sanctus Romanus cujus præconia recitata sunt.

XXXII. Codex signatus n° 1734.

Foliorum 29, quorum primum vacuum, formæ mediocris (0m, 277 × 0,20), columnis binis, lineis graphide ductis, exaratus seculo XIV. Titulus minio descriptus; litteræ initiales desiderantur, spatio vacuo relicto. Folio insiticio chartaceo in capite codicis inscripta est hæc nota manu seculi XVI : *Iste liber pertinet conventui monasterii Sancti Martini in Lovanio.* Totum codicem complet

Vita sancti Augustini episcopi patris nostri secundum Possidium.

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., p. 427-440. — In cod. post num. 67 referuntur epistolæ datæ ad Honoratum et ad Theodosium (ibid., annot. *i*, p. 441).

XXXIII. Codex signatus n° 1770-77.

Foliorum omnino 124, formæ mediocris (0m,28 × 0,20), columnis binis (præter fol. 1r et fol. 120-124, ubi lineæ plenæ), lineis stylo plumbeo ductis, exaratus diversis manibus seculo XIV. Folia continua serie numerorum notata non sunt, sed duæ tantum partes in medio codice peculiari serie : attamen litteræ initiales capitum ab initio ad fol. 90 eadem manu manifeste designatæ sunt. Tituli minio descripti, litteræ initiales capitum alternæ minio vel cæruleo, additis ornamentis alterius coloris, majores exordio singulorum documentorum utroque colore et quidem satis insi-

gni arte (sed inde a fol. 90 solummodo minio exaratæ vel etiam omnino prætermissæ sunt).

In capite folii 1 inscripta est hæc nota manu seculi XVII : *Collegii Societatis Jesu Brugis ex dono R^mi D. Jacobi Pamelii.*

Præter tractatum theologicum et asceticum de canone missæ, forma commentarii in prologum Innocentii III ad sex libros de sacro altaris mysterio (ed. P. L., tom. CCXVI, p. 773), qui tractatus complet prima folia 41 et Henrici de Gandavo supplementum ad Hieronymi et continuatorum ejus Catalogum scriptorum ecclesiasticorum (ed. ap. Fabricium, *Biblioth. eccles.*, part. II, p. 118), quod continetur quinque foliis ultimis, leguntur in codice documenta hagiologica sequentia, videlicet :

1° Vita piæ Lutgardis de Aquiria sanctissimæ monialis (fol. 42^r-70^r).

Vita auctore Thoma Cantipratano, edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 6 Junii, tom. III, p. 234-263. Cfr. p. 231, num. 3.

2° Exordium de vita et honestate beatæ Idæ comitissæ Boloniæ et ejus miraculis (fol. 71^r-76^r).

Editum ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 13 Aprilis, tom. II, p. 141-145.

3° [Vita S^tæ Gudilæ virginis] (fol. 76^r-90^v).

Vita auctore Huberto, edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 8 Januarii, tom. I, 514-523.

4° Vita beatæ Elisabeth lantgraviæ Thuringiæ (fol. 92^r-105^v).

Edita sub titulo *Libellus de dictis quatuor ancillarum S. Elisabethæ* apud Menckenium, *Script. Rer. Germ.*, tom. II, p. 2021-2034. Suppressit Menckenius satis prolixam parænesim qua Vita concluditur : in quo certe non adeo culpandus videtur; sed magis mirum est non esse exscriptam ab eo, si tamen in ipsius codice legebatur, ultimam sententiam, qua scilicet auctor nomen suum manifestat : *Ego Nycholaus scripsi hanc vitam in nomine Domini nostri Jhesu Christi. Amen. Valete.* Quisnam fuerit hic Nicolaus, distinctius definire non valuimus.

5° [Miraculum S^tæ Elisabeth] (fol. 106^r-107^r).

Miraculum hoc simile est quoad substantiam ei quod refert Theodoricus de Thuringia (et post ipsum Jacobus Montanus) (1), sed diversum quoad adjuncta (2). Cujus quum textus antiquus nondum, ut videtur, vulgatus sit, hunc ex codice nostro hic exhibendum duximus.

(1) Cfr. Montalembert, *Histoire de Ste Elisabeth de Hongrie* (ed. 3^a), cap. 11, init. — (2) Cfr. ibid., post locum modo citatum.

Cum vero fama bonitatis ejus ubique volaret et desiderarent vultum ejus aspicere quibus juxta apostolum facta fuerat odor vitæ in vitam, miles quidam famosus et potens cum copiosa militum multitudine de transalpinis partibus adveniens, per castrum illud in quo ducissa cum suo tunc morabatur lantgravio casu transire habebat. Cujus transitum prænoscens lantgravius, obviam illi processit. Et dum multis precibus dux instaret quatinus miles ad domum suam gratia hospitalitatis diverteret, miles respondit se nequaquam precibus ducis obtemperaturum, nisi tali pacto quod venerabilem ducissam videret, uxorem scilicet suam, de qua tot et tanta virtutum et humilitatis insignia fama narrante cognovit, ut ejus visione consolatus et alloquio se tandem suis sanctis orationibus commendaret. Cujus devotæ postulationi gratanter annuit lantgravius ; et sic ambo per castrum equitantes, occurrente necnon et obsequente ducis familia, descenderunt equos et palatium intraverunt. Fit in aula ducis ingens utrimque militum exultatio. Lætabatur hospes uterque : susceptor de suscepti præsentia, susceptus pro tam hilari gratia susceptoris. Quibus tandem ad mensam pariter residentibus, miles non immemor fœderis quod cum duce pepigerat, ducissam venerabilem advocari rogabat. Erat autem beata Elizabeth sicut more solito consueverat, in secreto suo cubiculo, ubi juxta divinum præceptum orabat Patrem suum, assidue vacans orationi et diutinæ suspendio contemplationis annexa. Quæ primo vocata per nuntium, propter vilitatem habitus quo induebatur se humiliter excusavit; sed milite propter hoc iterum sollicitante ducem attentius, dux surgens a mensa perrexit ad illam in cubiculum et eam propter mandati sui transgressionem leniter increpavit. Ad quod humili voce beata respondit : *Domne mi lantgravi, non imputes mihi culpam inobedientiæ, nec tibi durum et asperum videatur quod ad te non veni vocata ; quia Deus scit quod propter vilitatem mei habitus hoc egerim, ne scilicet habitus tam deformis in opprobrium sempiternum tibi, domno meo, verteretur. Sed, quia scriptum est in apostolo : Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir, et alibi præcipitur ut mulieres subditæ sint viris suis, ex quo jubes, domne mi, quia tibi teneor obedire, non mea voluntas, sed tua fiat. Recede ergo paululum, obsecro, donec orationis meæ finem impleam, et statim sequar te, domne mi lantgravi.* Quo recedente, beata Elisabeth se prosternens in pavimentum cubiculi, cœpit orare, dicens : *Domne Jesu Christe, fili Dei vivi, pro cujus amore terrena contempsi, fugitivos honores despexi ; sub cujus alarum umbra speravi et sperabo, donec transeat iniquitas ; cujus auxilium in cunctis necessitatibus meis experta sum, in tribulatione patientiam, in infirmitate virtutem, in cruce tua gloriam, in frigore et nuditate fervorem tui spiritus : aspice in nuditatem meam et misereri mei, ne habitus mei deformitas seculo despicabilis, quam pro tui nominis honore non erubui, fiat hodie domno meo in scandalum et in proverbium inter gentes.* Hac oratione completa, ecce angelus Domini descendit de cœlo et vestimentum divinitus operatum atque coronam auream diversis lapidibus pretiosis intextam deferens in manibus, allocutus est eam, dicens : *O sponsa cœlestis regis et amica sanctorum, Jesus, filius Dei, quem ex toto corde, ex tota anima et ex tota virtute dilexisti, amicabiliter te salutans vestimentum hoc mirificum et hanc coronam auream tibi mittit. Induere ergo quam citius hoc indumento lætitiæ et hac*

corona gloriæ coronare, ut in conspectu gentium appareas sicut angelus Domini, et sicut decet filiam regis, ab æterni regis tibi transmissa filio coroneris corona. Et his dictis angelus non comparuit, moxque beata Elizabeth ingenti præ gaudio lacrimarum imbre perfusa et in laudem Dei corde et voce diffusa, vestimentum induit et coronam capiti suo superposuit; sicque thalamum egrediens cunctis videntibus et ultra quam credi potest admirantibus, cum eis pariter ad mensam resedit. Mirabatur lantgravius; hærebat miles, stupebant omnes convivæ; et ab ea præ magnitudine admirationis oculos suos per totum prandium vix avertere potuerunt. Inter quos ipsa residens aspectu gratiosa, sermone gratiosior, virtute gratiosissima, et eos hilariter et benigne salutans et tamquam Christum suscipiens, omnes plus spiritualibus quam corporalibus reficiebat alimentis, omnium qualitati se conformans, ut omnium animas lucraretur. Tandem finito convivio, miles cum suis spiritualis sermonis ejusdem cibo refectus et nectare, suisque se commendans orationibus, cum magnis gratiarum actionibus vale dicto recessit. Lantgravius autem, accersita secreto ducissa venerabili, sciscitabatur ab ea unde vel a quo vestimentum tam mirificum et corona tam mirabilis sibi transmissa fuisset. Quæ respondit : *A paradiso per angelum a Filio Dei, qui in cunctis angustiis et necessitatibus meis mihi per suam ineffabilem misericordiam subvenire dignatur, hæc xenia mihi noveris fuisse transmissa, domne mi lantgravi. Gratias ei refero super ejus inenarrabili bonitate, quem in pueritia dulcem et ducem, in adolescentia dulciorem ductorem et in ætate matura dulcissimum amatorem experiens hodie sponsum familiarissimum, consiliarium fidelissimum, indultorem piissimum et largitorem promptissimum sum experta.* Ad hanc vocem divinitus inspiratus, lantgravius ait ad illam : *Domna mea lantgravia, per cujus gratiam et orationem spero salvari, quia Deus tecum est, qui te hodie tam mirabiliter dignatus est ex alto visitare : ne peccatis meis exigentibus a te separer in æternum, ecce promitto coram Deo quod pro salute animæ meæ crucesignatus transmarinas partes aggrediar.*

6° [Vita altera sanctæ Elisabeth] (fol. 108r-119v).

Nihil aliud est quam Vita paulo superius indicata, ex testimoniis scilicet quatuor ancillarum S. Elisabeth contexta, nisi quod eadem hic alio ordine et suppressis testium nominibus referuntur, adjecto etiam miraculo quod modo recitavimus, quodque scriptor diserte significat (fol. 113v) ab illis testibus non fuisse narratum. Scopum suum perspicue indicat idem scriptor in prologo suo, quem solum hic legentium oculis subjicere visum est.

Incipit prologus.

Cum vitam beatæ Elizabeth eo modo quo apud nos habetur aliquando relegendo percurrerem, visum est non solum mihi, sed et quibusdam apud nos aliis eamdem vitam non ita dictatam apposite ut decebat tantæ materiæ dignitatem. Igitur ego, quamlibet indoctus et iners, ad hoc appuli animum ut eamdem, licet insufficiens rei tantæ, qualicumque possem novo conarer explicare dictamine. Otium itaque quod extra conventum existentem ad præsens habere me contigit, huic negotio

deputandum duxi, ipsam in tres partes distinguens Vitam : primam a primæva ætate ejus usque ad tempus initi matrimonii perducens, secundam usque ad mariti ejus obitum, tertiam vero a viduitatis ejus principio usque in ipsius vitæ finem. Narrationis etiam meæ seriem sic tenendam putavi, ut nullam testium super sanctitate ipsius approbanda productarum, sicut in prima descriptione factum est, facerem mentionem. Quid enim ad hoc valeant humana testimonia, cujus sanctitatem comprobant tot et tanta quæ per ipsam fiunt quotidie gloriosa miracula? Nunc præsumptionis meæ veniam postulo humiliter a lectore, si quis legere fortasse dignabitur ; quia, etsi nulli alteri utilitatis hinc quippiam sit venturum, mihimetipsi non omnino hoc tentasse erit inutile : ut, qui tacendo potui putari alicujus esse scientiæ et inde elationis concipere incentivum, scribendo innotescens quam nihil sum contra prædictæ elationis vitium capiam ex meæ inscientiæ manifestatione remedium.

XXXIV. Codex signatus n° 1791-94.

Foliorum 102, formæ minoris (0^{m}, 26 × 0,22), lineis plenis, stylo ferreo ductis, exaratus seculo X.

Manifeste idem codex est quem commodavit Petrus Scriverius Batavus Heriberto Rosweydo, ubi is Martyrologio Adonis vulgando manum admovit. Sic enim scribit Rosweydus in sua præfatione ad lectorem : *Tres mihi veteres codices fuere subsidio, perbenigne a diversis antiquitatis ecclesiasticæ fautoribus communicati. Primus fuit S. Pantaleonis Coloniæ, quem suppeditavit Carthusia Coloniensis... Secundum nactus sum ab Everbodiensi abbatia prope Sichemium ; tertium, a Petro Scriverio. Qui etsi singuli se vetustate sua probarent, tertius tamen eminebat ; nisi quod huic prima omnia deerant usque ad Martium, et pars in Junio Julioque.* Jam vero hæc eadem omnino, nec alia, desiderantur in Martyrologio Adonis quod servat antiquissimus noster codex. Nulla igitur ratio habenda est notæ quam folio chartaceo insiticio in capite codicis affixit manus recens, apposito quidem signo dubitandi : *Sancti Petri Sarinensis ? Ex Anglia Antverpiam translatus esse videtur, ut codex 1650.*

Primam partem codicis (fol. 1-59) complet Martyrologium Adonis, cui adnexæ sunt precatio ejusdem (ed. Rosweyde, p. 202) et (fol. 60) duplex epistola Cypriani; ultimam vero partem (fol. 76-102) Historia persecutionis Vandalicæ auctore Victore Vitensi et (a fol. 100^{v}) Chronicon Prosperi in fine mutilum (cfr. *Archiv*, tom. VII, pp. 236, 234. Inter hæc autem inserta sunt :

1° [Passio S. Ignatii] (fol. 60^{v}-64^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Feb., tom. I, p. 29-33.

2° Passio SS. Florentini et Hilarii martyrum (fol. 64r-67v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 420-422. — In cod. num. 13 legitur ut indicatur tom. cit., p. 422, Annot. *cc.* Deinde nullo interposito titulo refertur translatio eorumdem sanctorum, quæ ibidem edita est p. 423-427, omisso tamen in cod. num. 10.

3° Passio beati Andeoli, quod est Kl. Maii. Sepultura ejus IIII Non. Maii (fol. 68r-71r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, p. 35-39. — Prologus deest.

4° Passio SS. Eusebii, Vincentii, Peregrini et Pontiani. Quod est VIII Kl. Septemb. (fol. 71r-72v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, pp. 115, 116.

5° Vita beati Hostiani confessoris (fol. 72v-73v).

Edita ope hujus codicis in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 355-358.

6° [De miraculis Eusebii et Pontiani martyrum] (fol. 73v-75v).

Edita ope hujus codicis ibid., p. 368-377.

XXXV. Codex signatus n° 1800.

Foliorum 222, formæ minoris (0m, 261×0,185), lineis plenis, exaratus seculo XIV. Tituli minio descripti; litteræ initiales singulorum capitulorum, subinde etiam præcipuarum eorumdem partium, alternæ minio et cæruleo. Exordio libri primi, prologi scilicet et capituli primi, conspiciuntur litteræ majores satis eleganti arte variis coloribus depictæ; minori artificio insignes sunt litteræ initiales libri secundi et prologi libro tertio præmissi, nullis vero ornamentis in libris sequentibus.

Foliis insiticiis a compactore in capite et ad calcem codicis adjunctis inscriptæ sunt (præter nonnulla tentamina calami) diversis manibus sec. XIV et XV sequentes notæ. 1. *Vitas Patrum continens quinque libros.* 2. *Codex Sanctorum Eliphii et Martini in Colonia, inchoatus per Fratrem Jacobum de Dalen, tandem conpletus per Fratrem Hermannum de Rommingen, conventuales sacerdotes dicti loci. Si quis invenerit, sub anathemate restituat.* 3. *Codex Sanctorum Eliphii et Martini atque Wolgangi in Colonia juxta forum antiquum, Ordinis sancti Benedicti.* 4. *Codex monasterii Sancti Martini majoris, in Colonia juxta forum antiquum.* Præterea folio insiticio primo in capite codicis affixa est plagula membranea, his verbis manu seculi XVIII notata : *Libri V de vitis SS. PP. authore Palladio episc. sæculi XIV;* et præterea orbiculus chartaceus notatus numero *131.*

Continet autem codex, ut indicatur inscriptione mox primo loco inter notas adjectas citata, Vitas Patrum libris quinque, ea scilicet fere quæ leguntur in editione Heriberti Rosweydi lib. II-VII, sed non eodem ordine disposita.

XXXVI. Codex signatus n° 1820-27 (1).

Constat ex duobus codicibus primitus diversis, quorum prior, foliorum 80, exaratus est seculo IX, alter, foliorum 34, præter duo insiticia in capite, seculo X. Est itaque nunc foliorum omnino 116, formæ minoris (circiter $0^m,255 \times 0,175$: folia scilicet non sunt omnino æqualis amplitudinis), lineis plenis stylo ferreo ductis. Tituli litteris capitalibus rusticis, admixtis, præsertim in posteriori parte, uncialibus, in priore parte atramento, in posteriori (inde a fol. 53) plerique minio descripti sunt. Nonnullæ conspiciuntur ingentes litteræ initiales, haud ineleganter ornatæ.

Folio vacuo ad calcem totius codicis manu seculi XIV inscripta est hæc nota : *Liber Sancti Remacli in Stabulaus.*

Fol. 81^r legitur hoc epitaphium Friderici Comitis, manu seculi XI descriptum :

Qui meres celeri sub carnis jure resolvi
Eximios proceres quos fovit gratia dives,
Orsum pauxillum rogo te deflectere gressum,
Mitia vota precum profundas utque tuarum.
Libertate potens, regali stemmate pollens,
Conditur hoc tumulo Fredericus funere mesto :
Qui comes insignis, titulis prȩclarus et altis,
Justiciæ gazas et rerum rexit habenas.
Hic fuit ȩcclesiȩ provisor hujus honeste;
Armis protexit temerataque jura resolvit.
Nonis octobris pridiæ vitalibus auris
Cessit, et ex meritis gratam spem liquit opimis.

(1) Cod. 1810 omittitur. Nihil est aliud quam Breviarium sec. XV ad usum fratrum Ordinis Prædicatorum. In Calendario præfixo hæc notanda :

V Kl. jan. Translatio sancti Thomæ de Aquino ; prid. non. feb. Anniversarium patrum et martyrum ; non. mart. Thomæ de Aquino ord. Præd. ; prid. id. Octava S. Thomæ ; non. apr. Vincentii doctoris ord. Præd. ; prid. id. Octava S. Vincentii ; III kl. maii Petri mart. de ord. Præd. ; prid. kl. maii Katherinæ de Senis ; non. maii Translatio S. Petri mart. ; IX kal. jun. Translatio S. Dominici ; IIII id. jul. Anniversarium in cimiteriis nostris sepultorum ; non. aug. Dominici conf. patris nostri ; prid. id. Octava S. Dominici ; non. sept. Anniversarium familiarum et benefactorum ordinis ; VI id. octob. Anniversarium omnium fratrum et sororum ordinis nostri.

Fridericum qui hoc carmine celebratur fuisse comitem Luxemburgensem, filium Sigefridi, qui obiit anno 1019 (1), vix dubium esse potest. Celebrior quidem est filius ejus, Fridericus etiam nuncupatus, dux Lotharingiæ, qui certe advocatus monasterii Stabulensis fuit (2) et tantis laudibus a Stabulensi monacho coævo celebratus est (3), ac demum sepulturam suam ipse elegit in ejusdem cœnobii ecclesia (4). Sed ne hujus epitaphium hic proferri existimemus, obstat quod ubicumque de eo indubie sermo est, non *Comes*, sed *Dux* appellatur (5), et præterea obiit die 28 augusti (6) (anni 1064), non *pridie nonas octobris*. Inde itaque omnino ad hanc conclusionem deducimur, ut Friderici ducis patrem, comitem Luxemburgensem, hoc loco designari statuamus, quem et ipsum Stabulense monasterium possessionibus auxisse novimus (7) et jam inter advocatos monasterii Stabulensis recensuerunt Martene, Saumery et De Noüe (8).

Eodem fol. 81r legitur duplex notitia ad historiam monasterii Stabulensis spectans, utraque manu coæva descripta (cetera quæ in hoc folio insiticio et in sequente notata leguntur, ut tentamina calami habenda videntur et certe nullius sunt momenti), et tertia, fol. 109v. Quas et hoc loco exhibere visum est. Sunt autem hujusmodi :

a) Anno Domini M°CC°XXXII, VIIII kal. augusti, hoc est in vigilia Sti Jacobi apostoli, inductione V, luna secunda, in crepusculo diei egressus est ignis validus de quadam domo villæ Stabulensis, et combussit in eadem villa CLVI domus : et non remansit in tota villa Stabulensi nisi Canis vicus et vicus Amblaviæ ; et nos maximum sustinuimus ipso die timorem et laborem et calorem defendendo monasterium nostrum. Sed Deo referimus gratias et beato Remaclo quod neque sola favilla cecidit super ipsum monasterium.

b) Anno autem Domini M°CC°XLVI°, pridie kal. augusti, irruit ictus fulminis super eamdem domum de qua prædictus ignis exivit et eam incendit, non tamen totam combussit. Sed uxor viri domus in ostio ipsius domus cum filio suo sedens, ictu fulminis perterrita, mortua corruit nulla ferens signa læsionis, filio tamen et patre, qui intra domum operabatur, manentibus illæsis.

c) Anno ab incarnatione Domini M°CCC°XXXVI°, XIIII die mensis

(1) S. Hirsch, *Jahrbücher des Deutschen Reichs unter Heinrich II*, tom. II, p. 536-537. — (2) *Triumph. S. Remacli*, cap. 5 (*Mon. Germ.*, Scr. tom. XI, p. 440. — (3) Ibid. et capp. 7, 11. — (4) Ibid., cap. 7. — (5) *Triumph. S. Remacli*, loc. citt. et in Necrologiis citandis not. seq. — (6) Necrolog. S. Maximini Trevir. ap. Hontheim, *Prodromus historiæ Trevirensis*, tom. II, p. 986; Necrolog. Epternac. ap. De Reiffenberg, *Monuments pour servir à l'hist. des prov. de Namur*, etc., tom. VII, p. 211. — (7) Bertholet, *Histoire du duché de Luxembourg*, tom. III, p. 94. — (8) A. de Noüe, *Etudes historiques sur l'ancien pays de Stavelot et Malmédy*, pp. 154, 155.

novembris, combustus fuit Stabulaus a domno Winrico abbate et ejus coadjutoribus: qui Winricus, dictus de Pomerio, fuerat monachus et custos Malmudensis. Obiit anno MCCCXLII.

Jam de documentis hagiographicis in codice nostro contentis.

1° Sulpicii Severi scripta de S. Martino, videlicet Vita S. Martini cum Epistola dedicatoria ad Desiderium (fol. 1r-14r), tres Epistolæ ad Eusebium, ad Aurelianum et ad Bassulam (fol. 14r-19r) et Dialogi (fol. 19r-50r).

Edita ap. Migne, P. L., tom. XX, p. 159-222. — Sed in codice erasa sunt quæ leguntur Vitæ num. 22 extr., a verbis *Contra dicente diabolo* usque ad *ostendit affectum.*

2° De transitu sancti Martini (fol. 50r-52v).

Excerpta ex Gregorio Turonensi, videlicet *Hist. Franc.*, lib. I, cap. 43 et *Mirac. S. Martini*, lib I, capp. 4, 5, 6 (Migne, P. L., tom. LXXI, pp. 184-186 et p. 918-920).

3° [Epitaphium sancti Martini] (fol. 53r).

Totum descriptum est litteris capitalibus rusticis. Editum apud Le Blant, *Inscriptions chrétiennes de la Gaule*, tom. I, p. 241, n. 181.

4° De miraculis beati Andreæ apostoli (fol. 53v-70v).

Editum apud Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti*, part. I, p. 456-508, multis lectionibus variantibus; sed et num. 1 in codice legitur sicut in cod. Gandavensi 305 (cfr. *Anal. Boll.*, tom. III, p. 186).

5° Passio sanctæ Columbæ virginis, prid. Kl. Jan. (fol. 70v-73v).

Passio, valde barbaro stylo conscripta, prolixior ea quæ edita est apud Mombritium. Vid. Append.

6° Passio S. Eustachii et sociorum ejus (fol. 74r-80v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Sept., tom. VI, p. 123-135. — Sed prologus et hinc inde quædam phrases omissæ sunt in cod.

7° [De vita S. Benedicti dialogus Gregorii M.] (fol. 82r-85v).

Fragmentum libri II Dialogorum S. Gregorii M., scilicet a fine cap. 33 *(illo femina, quæ diu fratrem...)* usque ad finem libri (Migne, P. L., tom. LXVI, p. 196-204).

8° Actus et passio Eugenii Toletanæ sedis episcopi ac martyris (fol. 85v-95v).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 131-139. — Sed omissus est hic num. 18 cum epitaphio et num. 17 extr. post verba *signis effulget*, pro *largiente Domino...* legitur hic (fol. 91r) : *Quod si quis sequentia perlegerit, facile cognoscere poterit.* Denique addita

sunt miracula Diogili facta, quæ ex hoc ipso codice edita sunt *Anal. Boll.*, tom. III, p. 58-64. — Sequitur (fol. 95) duplex hymnus de S. Eugenio, ad vesperas et ad matutinas.

9° De sancti Eugenii Toletani episcopi virtutibus magnificis (fol. 96r-115v).

Editum ex hoc cod. in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 29-57.

Appendix ad cod. 1820-27.

DE Sta COLUMBA VIRGINE ET MARTYRE. (Cfr. supra, pag. 301, 5°.)

Incipit passio sanctæ Columbæ virginis, pridie kalendas januarii.

1. Eo tempore quum adhuc mundus sub gentili esset redactus errore, ut qui Christi credulitate vota contenti exercerent devote, paganorum coercerentur insidiis, adveniens tunc a partibus Orientis Aurelianus imperator, multorum christianorum effundens sanguinem pro nomine Christi, pervenit autem ad urbem quæ vocatur Senones. Ingressus est eam die octavo kalendas januarias, in quo Nativitatem Domini nostri Jesu christianitatis exercet religio. Audiens de beata Columba, ejus diligenter perscrutatus est operis gesta, et tamquam leo rugiens et rapiens quærens quem devoret, avida ferocitate sanctam ad se virginem deduci jussit exhibitam. At illa auctoritatem sui retinens, omni malitia fellis fide armata Christi pervenit in præsentiam præsidis. Quam ille intuens ait : *Quo vocaris nomine?* Illa respondit : *Ego Christi amore induta, Columba nuncupor.* Aurilianus dixit : *Nobis hunc primæ responsionis aditum præbes, quod falsa credulitate deciperis.* Sancta Columba respondit : *Ego in nullum alium Deum credere possum nisi in illum qui nos in origine mundi ad suam creavit imaginem et unigenitum Filium suum, Dominum nostrum, pro nostra salute ad terras destinavit visendum ; quem sub Pontio Pilato credimus passum, et qui post resurrectionem suam per adventum Spiritus sancti suam inlustravit ecclesiam. Quem confiteor esse verum Deum ante secula et nostræ humanitatis veram in seculum recepisse imaginis formam.*

2. Aurilianus dixit : *Cognovisti institutionis nostræ decreta ac deorum nostrorum legis instituta, quæ nuper a nobis ad hanc urbem fuerunt decreta?* Columba respondit : *Quæ?* Aurilianus dixit : *Ut omnes omnino christiani, relicta superflua institutione, me præbente humanæ institutionis principe, sub deorum meorum adoratione consistant.* Beata Columba respondit : *Dii qui sunt manufacti cum adorantibus se pereant, quia adinventiones dæmoniacæ esse videntur, et nec pensum habent*

nec motum in se retinent corporis : qui non quidem adorandi, sed potius igne cremandi sunt, ne suadente diabolo falsa ad se veneratione stultos pertrahant. Mihi enim amandus et colendus est Christus, Dominus meus, qui mihi vitam polliceri dignatur, sub cujus imperio angeli consistunt in cœlo, cujus veneratione omnia elementa tremescunt.

3. Aurilianus imperator dixit : *Per omnes deos meos juro tibi, promittens quod, si mihi consensa fueris et diis meis sacrificaveris, dulcissimum filium meum Aurelium sortieris conjugio ac præ magnitudine pulchritudinis tuæ in domo mea cuncta oris tui subjicientur imperio : quia inclytæ nationis oriris propagine. Sed nescio qua causa perversitatis in hac pertinacia detineris.* Beata Columba respondit : *Promissionis tuæ contempta perfidia, mihi evangelica oriuntur exempla. Quia, quando antiquus hostis, cujus in te vestigia referuntur, tribus se tentationibus contra Dominum meum erigens ac in montem excelsum deducens valde, ostendit ei omnia regna mundi et gloriam ejus, dicens : Si procidens adoraveris me, hæc omnia tibi dabo : tunc illi respondit Dominus meus Jesus : Vade retro, Satanas; scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies. Hujus exempli instar damnationis tuæ sociam per multa me conaris facere argumenta ac ab amore æterni sponsi, tyranne, disjungere cogis, quam non valebis ab æternis amplexibus separare. Tu et filius tuus, quem sponsalia jura ad morem ipsius terrenæ fæcis me pertrahere velis, cum auctore vestro diabolo, quem confiteris fallaciter esse Deum, mortis æternæ mereberis supplicia, nisi Dominum meum Christum ante primæ mortis introitum confessione placaveris fidei. Ego æterni regni destinata sum muneri. Nam per hæc transitoria quæ mihi sollicitans polliceris, in nullo mihi ab eo poteris deviare. Quia æterno sum sociata sponso, moritura carnis legibus subire non possum.* Aurelianus dixit : *Multa tibi ad loquendum verba subveniunt. An certe, si minime meis, ut dixi, sacrificaveris diis, amplius inducias non habebis ; sed te turpiter delusam stupro igne cremare jubebo.* Beata Columba respondit : *Potens est omnipotens Deus ancillam suam inlæsam membrorum pudendorum circumdare tutelam ac ad virginitatis perducere palmam ; quia pro ipsius confessione tuas in omnibus parata sum tormentorum insidias tolerare, ut ipse me in conspectu supernorum civium contemplabiliter coronare dignetur ac inter ceteras suam profiteatur martyram esse.*

4. Tunc Aurelianus furore commotus in amphiteatrum eam deduci jussit constrictam, ac carcereis vinculis subnixius custodiri, præcipiens perquiri juvenem turpissimum, libidinis amore succensum. Quo invento, imperavit ei studium pravitatis in virginem exercere, dicens : *Vade in amphiteatrum, ubi tenetur virgo inclusa Columba, abuti ea.* Audiens ille, gavisus sibi hanc licentiam præstitisse, summa velocitate perrexit ad virginem. Cumque ipsius cellulæ foribus propinquasset, beata Columba intuens eum dixit : *Quid cum tanta ferocitate properas, juvenis ? Ad videndum, turpioribus moribus retineris *. Infirmitate retenta sexus, tecum certare non possum. Sed licet, Dominum meum invoco Christum, qui me a tuis insidiis valenter eripere potest, ne mihi vim facere possis.* Sed dum ipse liminaribus ostiis pateretur ingressus, ad eam perrexit velox, ut in eam amoris sui

* *cod.* retinetis.

perpetraret scelus. Tunc beata Columba præbuit dicens : *Modicum sustine, et ad audiendum quæ dictura sum tuum præpara cor. Deus meus, cui me devovi castissimis moribus deservire, in hac passionis ignominia me non permittet decedere. Tibi cavendum ad præsens, ne te repente ultio feriat divina et in postmodum morte rapiaris æterna.* Audiens autem juvenis ille tremens atque pavescens talia, dimisit eam inlæsam. Cumque necdum inter se hæc verba complessent, protinus adgressa est ursa, beatæ virginis ad adjutorium missa. Exiliens super humerum juvenis, deposuit eum in terram fremens, intuensque in faciem beatæ Columbæ quid de eo juberet peragi. Illa enim, sciens sua pro vindicta a Deo ursam esse directam, conjurans ei per nomen Christi ut in eum nullam exerceret ultionis vindictam, sed protinus ad loquendum ei licentiæ tribueret locum. Tunc ursa subito beatæ virginis obedivit imperio : dimisit illum inlæsum, et statim se ostio adposuit cellulæ, ne ipse fugam elapsus peteret, ne alii ausum ingrediendi ipsius cellulæ potuissent adire.

5. Tunc beata Columba prædicationis hujus inpertivit verba, dicens : *Vides quanta sit invocatio Christi nominis, quia fera ista de remotis silvarum partibus ad meam tuitionem conditoris sui imperio adsensa cernis esse directam, ut tuam a me removeret infamiam. Et illa creatoris sui obtemperat jussis, quæ inrationabili viget natura ; et tu, homo cum sis, rationabili conditus sensu, ab agnitione Christi alienus existis. Aut te profitere christianum fieri : aut certe, si renueris, te ad devorandum licentiam ei dabo.* Tunc ipse juvenis compunctus religionis fide, voce magna clamavit, dicens : *Qui Christo non fuerit confessus, sanus hinc non discedat : quia ego confiteor plane alium Deum non esse nisi illum in quem beata Columba credere se confitetur.* Cumque hæc verba complesset, removit se ab ostio ursa seorsum, in quo per divinum videbatur adstare decretum, atque egrediendi ei præstitit aditum. At ille se gaudens ereptum, totius civitatis clamabat præco non esse alium Deum cunctarum rerum nisi illum pro cujus nomine tanta ac talia beata patiebatur Columba; ac per singula cunctis disponens ordinem rei, quanta in se acta essent mysteria Dei. Tamen adhuc ursa pro sanctæ Columbæ virginis tutela in amphiteatro remansit cum ipsa.

6. Audiens hæc Aurilianus imperator, magno repletus furore, militibus jussit ut ex amphiteatro eam expellerent et sibi exhibitam præsentarent. Illi euntes invenerunt eam orantem, et ursam intra tugurium simul cum ea degentem. Sed præ ipsius timoris metu ausi ad sanctam virginem non sunt propinquare. Qui redeuntes ac terrore perterriti, dixerunt præsidi : *Non possumus eam tibi exhibere, quia ursa intra tugurium degens nobis euntibus minime permittit ingredi.* Tunc Aurilianus imperator strue lignorum septa parietum ambiri jussit atque succendi, ut simul cum ursa pravis beata Columba cremaretur incendiis. Cumque jam flammas incendii paulatim ursa succrescere cerneret, finem vitæ suspicans propinquare, juxta quod mos ipsius exigebat naturæ cœpit fremere et rugitum dare. Videns hæc beata Columba, ipsius est compassa injuriis, eam exhortari cœpit dicens : *Ne paveas ista quæ cernis incendia, quia potestatem in me ullam non habent cremandi, dum eorum auctorem, Patris scilicet Verbum, per quem omnia facta sunt, intra*

retineo cor. Hæc enim fieri permittit non nobis ad pœnam, sed pro suæ magnitudinis gloria. Nam in hac vice stipendia non amittes vitæ, neque a nullo capieris, sed proprium finem percipies. Tunc ursa per tegmina templi inter media pericula foras egressa, anxia percurrens, ad heremi vasta inter medias populorum turmas ad loca adsueta remeavit inlæsa. At illa erepta, ecce nubes imbrium copiosa, divina ministratione directa, ab Africa veniens, inmensa deferens aquarum fluenta, ita ut ignis validi valeret incendia superare.

7. Cumque hæc gesta Aurilianus imperator miræ dispensationis omnipotentis Dei vidisset, duritia incredulitatis retentus, in stupore conversus dixit: *Quæ est ars tua, Columba, vel maleficia, per quæ incantare poteris ut tibi etiam fera terribilis in adjutorium tantæ velocitatis poterit subvenire, ac pluviarum guttæ ad pœnarum nostrorum ingenia, quæ tibi ingerimus, decernunt extinguere? Qua enim auctoritate taliter nos in hac parte prævales superare?* Beata Columba respondit: *Infelix, quanta tibi obcæcatio prævalet cordis, ut te nec hæ virtutes dispensationis Dei ad agnitionem provocent Christi, sed, in quo tu prævales, diabolicæ incantationis me existimas esse auctorem? Nulla maleficia ego novi, nisi Christum omnipotentis Dei filium adoro. Ipsum in tribulationibus meis inroco, qui me exaudire dignatur.* Aurilianus imperator dixit: *Jam tibi testatus fueram ut hujus auctoritatem nominis amplius non deberes proferre.* Beata Columba respondit: *Lupe rapax, qui gregem Christi prosæviendum rabido ore ac venenoso ictu mordere et laniare non desistis, sint sermones tui tecum, et mortis filii tuis obtemperent imperiis: nam filiam lucis non poteris a suo mutare proposito.* Tunc Aurilianus furore commotus, jussit tormentorum ministros ut eam extra civitatem in miliarium ducerent, et caput illius gladio amputarent.

8. Sed ante quam ab ipsius beata Columba deduceretur præsentia, ad Aurilianum ausum loquendi præbuit, dicens: *Damnationis tuæ sententiam non pertimesco, quia iterata devotione martyrium consummabo. Dominus ac redemptor noster nos de hac re in Evangelio suo sancto hortatur, dicens: Qui amat animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam. Sed illam futuri judicii pavens tremesco damnationem Christi qua dicturus est impiis: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus: quo tu sine intermissione properas. Huic sententiæ subjacere, et cum diabolo et angelis ejus socium te ignis æterni non desistis adesse. Nam istam damnationem quam mihi ingeris, in compensatione hujus æterni supplicii parva ac vilis mihi videtur esse, quia animam meam licet a corpore prævaleas separare, tamen post damnationem corporis amplius in eam non retines potestatem; nisi ipse qui mihi eam dedit in corpore et post futuram restaurationem in compage membrorum eam restituere potest. Nam tu, sine Deo et malorum conscius, aspice vultum meum diligenter, ut, cum venero ante tribunal Christi ad accusandum te, reminiscaris ante sponsum meum quantam per hæc mihi gloriam præparas, unde tibi pœnas conquiris æternas.*

9. Post hæc sententiam diri jussis imperii mortis obedierunt ministri. Cumque eam perduxissent ad locum ubi eis fuerat imperatum, antequam perscuteretur

inducias petiit, ut orationem prius ad Dominum funderet quam ab hac vita discederet, atque inter ceteras preces anaboladium suum novum pia supplicatione lacrimabiliter offerens dixit : *Accipite hunc, et juxta petitionem mihi orandi licentiam date.* At illi, intervento muneris dono, ei ut petierat orandi præstiterunt licentiam. Tunc beata Columba prona in terra jacens, totamque se ad Dominum fundens, orabat dicens : *Domine Jesu Christe, omnipotens Deus, tu scis quia pro confessione nominis tui has patior pœnas. Præsta mihi auxilium tuæ pietatis, immense misericors, ne mihi secundæ mortis post istas pœnæ inrogentur æternæ, sed tuis miserationibus sublevatam meque ad gloriam destines sempiternam.* Protinus pia deprecatio extensione divinæ miserationis cœleste penetravit secretum. Tunc cœlo divinitatis vox intonuit, dicens : *Veni, Columba ; aperti sunt tibi cœli, ac chorus cœlestium, simulque et virginum, gaudenter ad tuum properant occursum. Adstat Dei Filius, præparatam habens tibi æternitatis coronam. Suscipient te angeli, et deducent in civitatem sanctam in cœlestibus, Hierusalem.* Cumque percutienti colla subderet, exemplum magistri retinens dixit : *Tu scis, Domine Deus, quia amoris tui desiderio mihi hodie impleta sunt vota. Hoc eis ne reputes in excessum, quia te ignorantes delinquunt.*

10. Tria hic genera sanctæ Columbæ virginis intuemur consummata esse martyrii. Primo, contempta terrenarum opulentia rerum Evangeliorum secuta præcepta : *Qui non reliquerit omnia quæ possidet, non potest meus esse discipulus,* vel etiam quia sublimitates contemnens imperii renuit pariter regalis connubia prolis. Secundo, quia longiora carnis incendia tolerando vel etiam inimici in se jaculis decertando virginitatis promeruit donum. Tertio, hic, ut diximus, in effusione sanguinis cernimus martyrii genus esse completum.

11. Acta sunt hæc in civitate Senonis, die pridie kalendarum januariarum, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, virtus et potestas, in secula seculorum. Amen.

XXXVII. Codex signatus nº 1831-33.

Foliorum 138, formæ minoris (0m,260 × 0,215), lineis plenis stylo ferreo ductis, exaratus diversis manibus seculo X ; nulla ornamenta. Olim fuisse musei Bollandiani, ostendit hujus musei insigne MS 116 interiori tegumento in capite codicis affixum.

Continet, præter tractatum S. Ephrem de die judicii et Hincmari disputationem adversus Gotescalcum :

Miraculum per sanctum Hilarium in sinodo Romæ ostensum (fol. 36v-37r).

Editum supra, pp. 157, 158.

XXXVIII. Codex signatus n° 1840-48.

Foliorum omnino 80, quorum duo in capite et unum ad calcem vacua; et quæ sequuntur post fol. 65 ad alium codicem pertinent acephalum, amplitudine (minori) et scriptione diversum a priori. Hic itaque complectitur folia 65, formæ minoris (0^m,225 × 0,18), lineis plenis graphide ductis, exaratus seculo XIII. Tituli minio descripti, sicut et litteræ initiales, aliquantum nec adeo insigni arte ornatæ. In capite fol. 3^r inscripta est hæc nota manu seculi XVII: *Collegii Societatis Jesu Lovanii.*

Præter S. Bernardi libros de Consideratione ad Eugenium III et nonnulla ejusdem et aliorum epistolas et opuscula, legitur in eo codice:

De obitu celebris memoriæ Bernardi Clarævallensis abbatis (fol. 58^r-59^v).

Tractatus auctore Odone, Morimundensi abbate, editus nuper ope hujus codicis a D^{re} G. Hüffer in *Historisches Jahrbuch,* t. V (1884), p. 597-600.

XXXIX. Codex signatus n° 1850-56.

Foliorum 151, formæ minoris (0^m, 247 × 0,170), columnis binis, exaratus seculo XV. Tituli minio descripti, itemque litteræ initiales, quarum nonnullæ sobrie et satis rudi arte ornatæ sunt.

Folio insiticio in capite codicis inscripta est hæc nota manu seculi XVI: *Pertinet ad librariam Canonicorum regularium Vallis Sancti Martini in Lovanio;* et sequitur index contentorum in codice. Inter quæ unum hoc habetur documentum hagiographicum, videlicet

De sancto Bernardo prolixa narratio [fol. 144^v-148^v].

Desumpta (ut in indice notatur) *ex libro de viris illustribus Cisterciensibus,* qui alio titulo inscriptus est *Magnum exordium Cisterciensis Ordinis.* Cfr. hujus operis edit. Rixhemiens. an. 1871, lib. II, capp. 7, 8, 13, 15, 16.

XL. Codex signatus n° 1878-88.

Foliorum omnino 220, formæ minoris (fere 0^{m}, 255 × 0,17), columnis binis, lineis graphide ductis, exaratus diversis manibus (seu potius constans diversis codicibus exaratis) seculo XIV. Tituli et litteræ initiales minio descripta, nullis ornamentis præter litteram initialem cæruleo et minio (fol. 86^{r}) et alias (fol. 163^{r}) minio et atramento satis eleganter depictas. In capite fol. 1^{v} inscripta est hæc nota : *Iste liber pertinet monasterio de Korssendonc.*

Præter nonnulla opuscula ascetica et theologica, continentur in eo codice :

1° Lectiones sanctorum pro refectorio æstivales, scriptæ ex matutinali Fratrum Minorum Leodiensium æstivali et aliis (fol. 111^{r}-162^{v}).

Lectiones scilicet compendiariæ de sanctis quorum nomina sequuntur:

Georgius martyr in Perside, in civitate Diospoli; Marcus; Cletus; Marcellinus; Vitalis martyr, pater SS. Gervasii et Protasii; Philippus et Jacobus; S^{tæ} Crucis inventio; Alexander, Eventius et Theodulus; Joannes (ante portam Latinam); Gordianus et Epimachus; Nereus et Achilleus; Pancratius; Pudentiana; Urbanus papa; Petronilla; Marcellinus et Petrus; Erasmus; Primus et Felicianus; Barnabas; Nazarius et Celsus; Vitus; Marcus et Marcellianus; Gervasius et Protasius; Paulinus; (natalis) Joannis Baptistæ; Leo papa; Petrus et Paulus; translatio S. Martini; Praxedes; Christina; Christophorus; Pantaleon; Nazarius; Felix papa; Abdon et Sennen; Stephanus papa; (inventio corporis) Stephani protomartyris; Dominicus; Transfiguratio Domini; Xistus papa; Donatus ep. et mart.; Cyriacus; Romanus; Tiburcius; Hippolytus; Concordia; Eusebius; Timotheus; Bartholomæus; Hermes; Sabina; Felix et Adauctus; Adrianus; Dorotheus et Gorgonius; Protus et Hyacinthus; Cornelius; exaltatio S^{tæ} Crucis; Lucia; Euphemia; Matthæus; martyres Thebæi; Cyprianus et Justina; apparitio S. Michaelis; Hieronymus; Remigius; Marcus papa; Dionysius cum sociis; Calixtus; Lucas; Hilarion; Simon; Quatuor Coronati; Theodorus; Martinus papa; Mennas; Clemens; Chrysogonus; Linus; Vitalis et Agricola; Agapitus; Bonifacius; Eleutherius; Joannes papa; Felix papa; Pius papa; Anacletus papa; Symphorosa; Victor papa; Innocens papa; Zephyrinus papa; Evaristus papa; Pontianus papa.

2° Legenda de sancto Alexio (fol. 217^{v}-220^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Julii, tom. IV, p. 251-253.

XLI. Codex signatus n° 1900-5.

Foliorum 190, formæ minoris (0^m,23 × 17), lineis plenis, diversis manibus exaratus seculo XV. Tituli atramento descripti, sed lineola rubra subter ducta notati. Litteræ initiales rubræ vel cæruleæ, nullis ornamentis, præter unam et alteram stellula foliata alba in crassiori litteræ parte insignitam et litteram initialem fol. 1^r margines interiorem et superiorem ac inferiorem complectentem appendicibus ramosis et multiplici hirsuto folio munitis, quæ omnia variis coloribus et etiam auro ambitiose, sed non adeo perita manu distincta sunt.

Fol. 1^r in inferiori margine adscripta est hæc nota : *Liber monasterii Beate Marie Viridisvallis in Zonia ;* quæ repetita est fol. 190^r, adjectis verbis *Ordinis Canonicorum regularium.*

Unum habetur in codice documentum hagiographicum, videlicet

Epistola beati Dionysii ad Timotheum de transitu beatorum apostolorum Petri et Pauli (fol. 118^v-122^r).

Inedita videtur, et certe non reperitur inter opera sub nomine Dionysii Areopagitæ vulgata. Itaque eam hic exhibere visum est cum aliquot variantibus lectt. codicis 2415-18 ejusdem Bibl. Brux.

Saluto te, Timothee, discipule beati Pauli, spiritualis et veri patris et boni amatoris, qui consummasti voluntatem magistri tui et sustinuisti cum eo tribulationes et omnes passiones, et perpessus es omnes agones et flagella. Recepisti etiam famem et sitim, et suscepisti omnia opprobria et contemptus et cruciatus, interrogatus et venumdatus. Cum eo fuisti in laboribus omni tempore et afflictionibus, cum dolore et amaritudine, in perturbationibus et tentationibus ; et cum diligentia perfecisti injunctum ministerium, in abstinentiis, vigiliis et operationibus et gratiis magnis et fortitudine et agone. In peregrinationibus cum eo contemptus et flagellatus, odio habitus et abjectus de inimicis et odientibus. Nunquam ab obvia * piger fuisti nec ad obsequium spiritualis magistri tui. Tractus per vicos et dilaceratus, confractus et conviciatus cum eo in omni loco, naufragium passus cum eo, passus in mari, conturbatus in navibus. vulneratus in civitatibus, in angustia et contumeliis et opprobriis, in carceribus die ac nocte cum eo. In vinculis et vectibus, in manicis ferreis, in tribulationibus comitatus cum eo. Et non solum hæc, sed graviora et innumerabilia tormenta et agones perpessus es cum eo, qui fuit pater patrum, doctor doctorum et pastor pastorum, qui crucifixus fuit mundo et Domini nostri Jesu Christi stigmata in corpore portavit. Abyssum sapientiæ, fistulamque altisonam, prædicatorem veritatis infatigabilem, Paulum dico, nobilissimum apostolum, qui Ecclesias illuminavit et confirmavit christianos, confregit templa et diruit aras et confregit idola abominabilia et destruxit altaria ; secum portans peccati rumpheam bis acutam, fugavit gentiles, dejecit et humiliavit habitacula dæmonum, et cessare fecit solemnitates et obsequia eorum. Hic vero terrestris angelus

* ad ? *Cod.* 2415-18 ab obedientia.

et homo cœlestis, imago et similitudo deitatis, credentium gloria, amicus pœnitentium, generis sui advocatus, dilectus et desideratus a gentibus dispersionis, hostis fuit Judæorum, odio habitus ab apostatis, dissipator synagogæ eorum, ædificator ecclesiarum sanctarum et instans in sollicitudine spirituali, scutum fidei, minister Christi, præco evangelii ejus, os divinum, lingua spiritualis eructatione divinorum eloquiorum, inquisitor perditorum, pater pupillorum et studiosus judex viduarum, confortator debilium, fortitudo confractorum. Navis ornata velis, oppugnans fluctibus furibundis, nauclerus industrissimus, in sapientia bene disponens spiritualia omnia, affectuose desiderans, diligens pastor, magister dulcis et optimus et spiritualis doctor. Hic sanctus artifex, gloriosus architectus et studiosus pugil, sanctus dignissimus et Dei factoris spiritus in omnes nos. Heu, hodie dereliquit nos, tanquam inopes et indignos, in hoc mundo contemptibili et maligno et ingressus est ad Deum suum et Dominum et amicum. Heu, frater mi et dilecte animæ meæ, ubi est pater tuus spiritualis ? bone discipule, magister et amator tuus? Unde ulterius salutabit te de mari aut de arida, de Galatia aut Hispania, ab Asia aut a Corintho? Ecce enim orphanus factus es et remansisti solus. Cessavit et consummatus est cursus tuus quem faciebas cum spirituali patre tuo, quando ad eum festinus accedebas. Jam nequaquam scribet tibi ulterius manu sua sanctissima, dicens tibi : “ Fili carissime ; „ sed nec ad te mittet ulterius vocando : “ Festina venire ad me. Expecto enim te venire in tali vel tali loco in caritate. „

O carissime, ex amore perfeci quod scripsisti mihi et dixisti : “ Si audisti ubi est magister meus, notifica mihi ut vadam ad eum. „ Hodie completum est quod Dominus discipulis suis dixit : *Quoniam desiderabitis per unam horam videre magistrum vestrum et minime videbitis.* Væ mihi, frater Timothee, hoc accidit nobis tristitiæ et tenebrarum ac damni, quia orphani sumus. Quis dabit oculis nostris aquas et pupillis nostris fontem lacrimarum, ut ploremus die ac nocte lumen Ecclesiarum quod extinctum est ? Complica, frater, libros prophetarum et signa eos, quia neminem habemus interpretem parabolarum et paradigmatum et eloquiorum ipsorum, et dicamus cum Amos propheta : *Pasco ego in locis desertis, et pascimur ubi non sunt pascua.* Ubi sunt lamentationes Jeremiæ dicentis : *Cor meum conturbatum est afflictione et gemitu, et non est mihi consolatio et requies.* Væ mihi, frater Timothee, jam non venient ad te epistolæ in quibus scriptum sit : “ Paulus modicus servus Jesu Christi ; „ et jam non scribet ulterius civitatibus, dicens : “ Suscipite filium meum Timotheum dilectum. „ Væ mihi, frater, væ mihi. Quis non adducet fletum et gemitum aut quis non induetur lugubribus et mente attonitus non obstupescet ? O frater carissime et spiritualis sacerdos Christi et Ecclesiæ, induere cilicio et lamento, quia vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus. Nec tantum ploratus, sed ululatus mortis et orphanitatis. Hæ duæ plagæ terribiles et maximæ nobis in una die advenerunt, et completum est in nobis illud edictum Jacob patriarchæ de Joseph : quod adhuc perditus esset et Simeon non rediret. Ecce enim Petrus, fundamentum Ecclesiarum et gloria apostolorum, recessit a nobis et nos orphanos dereliquit. Paulus quoque, gentium familiaris, consolator pereuntium, defecit nobis et ulte-

rius non invenietur. Et completum est in nobis verbum David dicentis : *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli.* Ubi est cursus Pauli et labor sanctorum pedum ejus? Evaserunt enim vincula et carceres et ligno constringi et vectes; sed nec manus ejus industriæ tradentur amodo vinculis ferreis. Ubi est os et lingua consulens et spiritus beneplacens Deo suo ? O frater mi Timothee, solemnizemus pro eo qui non eget orationis patrocinio. Quis non ploret et ululet? Nam qui meruerunt apud Deum et homines gloriam et honorem, apud homines tanquam malefactores traduntur ad mortem. O frater mi Timothee, si vidisses agones consummationis eorum, defecisses quidem præ tristitia et dolore. Quoniam autem non interfuisti, facile tibi videtur opus agonis eorum.

Quis non fleret in illa hora quando præceptum est egressum in eos, ut Petrus scilicet crucifigeretur et Paulus decollaretur ? Vidisses utique tunc turbas judæorum et gentilium multitudines percutientes eos et illudentes eis, expuentes in facies eorum. Ipsi vero tranquilli et quieti extiterunt, sicut agni innocentes et mansueti. Adveniente autem terribili tempore consummationis eorum, cum separarentur ab invicem, ligaverunt columnas mundi, non utique, frater mi, absque gemitu et planctu. Tunc inquit Paulus Petro : *Pax tecum, fundamentum Ecclesiarum et pastor ovium et agnorum Christi.* Petrus autem ad Paulum : *Vade in pace, prædicator bonorum, mediator et dux salutis justorum.* Cum autem elongassent eos, secutus sum ego magistrum meum. Non enim in eodem vico occiderunt eos. In hora autem illa tristitiæ plena, frater mi dilecte, dicente carnifice Paulo : *Collum para,* tunc beatus Paulus suspexit in cœlum, muniens frontem et signans pectus suum signo crucis, et dixit : *Domine mi Jesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et tunc absque tristitia et compulsione extendit collum et suscepit coronam. Væ mihi, quia intuitus * in illa hora corpus sanctum sanguine innocenti cruentatum. Heu mihi, pater spiritualis et magister ac doctor, non quod * reus tali morte extitisti. Nunc ergo quo ibo te quærere, gloria christianorum et laus fidelium? Quis conticescere fecit vocem tuam, fiducia Ecclesiarum et fistula altisona, plectrum psalterii decachordi? Instructor meus, quo quæram te et inveniam? O dux vere, quid discipulis tuis dicam ? Dicamne te captum aut vinculatum ? Aut quis illorum erit utilis tibi, et mittam eum ad te ? Sed de cetero nemine nostrum indiges aut aliorum. Nam introisti ad Deum tuum et Dominum, quem desiderasti et toto affectu concupisti. O væ mihi, quoniam manus illas innocentes catenis duplicibus in Jerusalem ligatas Roma dissolvit. David propheta plangebat filium suum Absalon et dicebat : *Væ mihi pro te, fili mi; quis dabit mihi ut ego moriar pro te?* Væ mihi, magister mi, vere væ mihi. Cessabit amodo concursus discipulorum vestrorum Romam venientium et quærentium vos. Jam nemo dicturus est de cetero : „ Eamus et videamus doctores nostros et interrogemus eos qualiter regere nos oporteat Ecclesias nobis commissas, et interpretabuntur præcepta Domini nostri Jesu Christi et eloquia prophetarum. „ Jerusalem et Roma prava amicitia æquales factæ sunt in malo : Jerusalem crucifixit Dominum nostrum Jesum Christum ; Roma vero ejus apostolos inte-

* sum *add.*
* quidem.

remit. Jerusalem servit ei quem crucifixit; Roma autem solemnizando quos interemit adhuc glorificabit.

Attende miraculum, vide prodigium, frater dilecte, in die martyrizationis eorum. Præsto fui in illo tempore separationis. Post mortem vidi eos invicem manu ad manum intrantes portas urbis, indutos vestibus lineis et coronis claritatis et lucis ornatos. Non autem ego solus sic vidi, sed Lemodia, pedissequa Serceni regis, quæ discipula erat beati Pauli. Et cum ducerentur ad mortem, Paulus cum egrederetur ab urbe, occurrit ei pedissequa illa flens cum lamento. Tunc dixit ei Paulus : *Noli flere, sed da mihi velum quo operitur caput tuum, et statim tibi restituam.* Percutiente autem carnifice et amputante caput Pauli, tunc beatissimus explicuit velum et collegit proprium sanguinem in velum et signavit velum et obvolvit, et reddidit feminæ illæ. Et carnifici * dixit beata Lemodia : *Ubi dimisistis * magistrum meum Paulum?* Respondit miles : *Cum socio jacet in valle pugilum. Et velo tuo velata est facies ejus.* Ipsa autem respondens ait : *Ecce nunc intraverunt Petrus et Paulus induti veste præclara, et coronas fulgentes et radiantes habebant in capitibus suis.* Et protulit sanguine cruentatum velum et monstravit eis. Propter quod opus multi crediderunt in Domino et facti sunt christiani.

* militi *add.*

* dimisisti.

Et nunc, frater mi Timothee, quos dilexisti et toto corde desiderabas, Saül dico regem et Jonathan, filium ejus, sicut in vita non sunt separati, ita nec in morte. Et ego etiam non sum separatus a domino magistro meo, nisi cum nos separaverint homines iniqui et pessimi. Et separatio hujus horæ non erit semper. Anima enim ejus cognoscit dilectos, etiam sine eo quod ei loquuntur, qui tunc ab eo elongati sunt. In die autem resurrectionis jactura magna erit separari ab eis. Sed vere væ his filiis qui privati sunt, frater mi, patre spirituali, quo privatus est grex. Et nobis etiam væ, qui privati sumus magistris spiritualibus qui collegerunt intellectum et scientiam veteris et novæ legis in suis epistolis. Ex quibus dicebat unus : *Si in ecclesia non fuerit qui interpretetur, qui legit lector sileat.* Et nunc, frater dilecte et amice spiritus mei, festina rogare Dominum oratione et jejunio, vigiliis et laboribus, ut donet tibi gratiam magistri tui, sicut donavit Eliseo, discipulo Eliæ, quando perduravit cum eo et non recessit quamdiu sublevavit eum ab alto Deus. Sustinebat enim malitias impiorum et eos qui in invidia loquebantur ei, dicentes : *Ecce discipulus pseudoprophetæ et legis transgressoris.* Hoc audivit et in nullo diffidit a magistro suo, et propter hoc adeptus est quod petebat, scilicet spiritum geminum. Et quamvis multos habebat Paulus discipulos, in nullo tamen requievit spiritus ejus sicut in te, qui sustinuisti cum eo tentationes et tribulationes, quas perpessus es cum gaudioso affectu. Vere tu solus dignus es charismata talia adipisci.

Sit tibi notum insuper quoniam beatum Petrum deposuerunt de ligno, et caput ejus corpori adhærebat. Cum Paulum decollarent, caput separaverunt a corpore, projicientes in valle separatim a corpore; et præ multitudine occisorum qui interfecti fuerant illo die, disparuit et non inventum fuit caput beati Pauli inter sanctos. Interfectores caput sancti Pauli in valle illa quæsierunt.

Christiani autem omnes sciebant quod caput sancti Pauli non esset inventum. Post multum vero temporis mandavit rex mundari fossas; et cum mundarentur, projectum est caput sancti Pauli cum aliis purgamentis. Quidam autem pastor juxta locum iter faciens, levavit illud in virga sicca et posuit juxta caulas ovium suarum. Vidit autem illa nocte super caput illud lucem et gloriam ineffabilem, et hæc per tres noctes continuas vidit. Et tunc ingressus urbem, significavit domino suo quod viderat. Egressus autem dominus ejus, vidit quod pastor viderat. Et cum festinatione nuntiavit Fabio *, patriarchæ Romano, et omnibus presbyteris et principalioribus populi. Et egressi multi viderunt et dixerunt ad invicem : *Vere hoc est caput Pauli.* Egressus autem patriarcha cum turbarum multitudine, portaverunt illud super mensam auream et attentabant ponere cum corpore Pauli. Sed patriarcha prohibuit, dicens : *Nos scimus quod multi fideles occisi sunt in urbe hac et dispersa sunt membra eorum in tempore illo a gentibus et nunquam inventa. Et bene non audeo alterius caput cum corpore sancti Pauli adjungere. Sed exponamus corpus sancti Pauli, et ponamus caput ad pedes corporis, orantes et petentes misericordiam, ut, si caput hoc abscissum est ab hoc corpore, convertatur caput et corpus conjungatur capiti.* Et firmata est hæc sententia ad arbitrium patriarchæ : et hoc ideo quia nil dubietatis aut hæsitationis occurrere poterat. Et fecerunt ut dixerat patriarcha. Et dum orarent, versum est corpus et adhæsit capiti et conjunctum est in junctura colli in locum suum. Et omnes qui viderunt admirati sunt, dantes gloriam Deo. Et sciverunt quod caput erat beati Pauli immaculati, qui fuit servus et apostolus Domini nostri Jesu Christi, quem decet gloria, laus et decus, cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

* Flebio.

XLII. Codex signatus n° 1960-62.

Foliorum 83, formæ minoris ($0^{m},24 \times 0,17$), lineis plenis graphide ductis, exaratus seculo XIII. Tituli minio exarati; litteræ initiales singulorum documentorum variis coloribus satis insigni arte depictæ, itemque singulorum capitum alternæ minio vel cæruleo, sobrie quidem, sed haud ineleganter ornatæ. Exordio Vitæ S. Nicolai, quæ incipit fol. 2^{r}, nomen sancti (præmissa voce *Beatus*) litteris capitalibus rubro, subrubeo, cæruleo et viridi coloribus signatis dispicitur; sequentes lineæ sex minio et nonnullæ voces viridi tinctura descriptæ sunt; denique littera initialis B effigiem continet S. Nicolai episcopalibus insignibus decorati et cathedræ insidentis ac manum ad benedicendum levantis, fundo aureo.

Præter documenta historica mox recensenda, continet codex (fol. 47^{r}-63^{v}) sermones tres de S. Nicolao auctore Gilleberto, abbate de Swinesheved, qui dicitur de Hoilanda : hi sermones non reperiuntur inter ejusdem Gilleberti lucubrationes

editas apud Migne, P. L., tom. CLXXXIV, p. 1 sqq. Cetera omnia quæ complectitur codex ad S. Nicolai historiam spectant, videlicet:

1° Vita sanctissimi ac Deo devotissimi confessoris et episcopi Nicolai (fol. 1r-47r).

Vita auctore Joanne, edita apud Carminium Falconium, *S. Nicolai Acta primigenia*, p. 112 sqq. — Sed

a) Numm. 12 et 13 referuntur in cod. secundum lectionem Mombritianam. Cfr. cod. Gand. 289 (*Anal. Boll.*, tom. III, p. 184, 33°).

b) Num. 18, pro *apud Achæos*, cod. *apud Ebræos;* pro *tertia decima indictione*, cod. *quinta decima indictione;* pro *anno trigesimo nono imperii ejus*, cod. *anno trecentesimo et nono a passione Domini.*

c) Quibus in cod. annectuntur quæ leguntur apud Carminium sub numero 14 (pag. 126), his variantibus: ...... *perspicuam unctionem. Mirabilis... æterno. Lætemur ergo, karissimi fratres in Domino, et solemnem diem S. Nicholai sapienter, hoc est salubriter, celebrantes, sic festivitatem ejus agamus ut festivi ipsi esse studeamus. Enitamur per caritatem Dei animas nostras emundare a vitiis, adornare virtutibus; et gloriosas sanctorum vitas venerabiliter memorantes, imitemur ex aliqua parte quod veneramur, scientes celebritatis nostræ lætitiam ea ratione Deo esse acceptabilem et sanctorum ejus pro nobis præparatam esse intercessionem, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum æterno Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in unitate perpetuæ deitatis et gloriæ per infinita secula seculorum. Amen. Explicit liber primus. Incipit secundus.*

d) In hoc libro secundo narrantur miracula quæ operatus est Deus per merita S. Nicolai, nimirum: α) (fol. 22r-24v) Miracula edita apud Carminium, loc. cit., n. 19-22; β) (fol. 24v-32v) Duo miracula jam ex codice Namurcensi 15 (*Analect. Boll.*, tom. II, p. 151-156) et tertium ex codice Bruxellensi 581 (supra, p. 257-261) a nobis vulgata; γ) (fol. 32v-37r) Quatuor miracula quæ alibi nusquam eodem tenore narrata legimus et ideo hic in Appendice duximus exhibenda, prætermissis tantum in ultimo (ut ibidem indicabitur) prolixis lamentationibus et orationibus quibus narratio interciditur; δ) (fol. 37r-47r) Visio quam, opitulante S. Nicolao, habuit monachus abbatiæ Egneshamensi, sitæ in tractu Oxfordshire, de statu animæ in vita futura. Hæc autem visio, variantibus nonnullis adjunctis, edita est apud Matthæum Parisiensem, *Chronica Majora* (ed. Henry Luard, London 1874), tom. II, p. 423 sqq. Cfr. Radulphi de Coggeshall *Chronicon Anglicanum* (ed. Josephi Stevenson, London 1875), pp. 71, 72, et Duffus Hardy, *Descriptive Catalogue*, etc., tom. III, p. 50, n. 98: ubi monachus ille dicitur esse Edmundus, frater Adami, prioris Egneshamensis. Scripta videtur revelatio ab ipso Adamo sub annum 1196 (Tanner, *Bibliotheca Britann. Hibern.*, p. 7).

2° A quo et per quam et quando composita sit historia et prosa quæ canitur de sancto Nicolao (fol. 63^{v}-66^{v}).

Ineditum, ut videtur. Vid. Append.

3° Translatio sanctissimi Nicolai episcopi, VII Idus Maii (fol. 67^{r}-80^{r}).

Narratio contracta ex alia longiore quam vide in Append. ad Catalogum nostrum Gandav. desumptam ex cod. 289, 34° (Cfr. *Analect. Boll.*, tom. III, p. 184).

4° Lectiones legendæ cui placet in ejus sacra translatione ad matutinas (fol. 80^{r}-81^{v}).

Brevissima translationis narratio.

5° Pars miraculorum quæ acciderunt post translationem S. Nicolai ad Barum (fol. 81^{v}-83^{v}).

Neque hæc miracula alibi edita reperimus, ideoque Appendici inserere visum est.

Appendix ad cod. 1960-62.

DE S. NICOLAO EPISCOPO MYRENSI. (Cfr. pag. præc., 1°.)

I. Mercator quidam orationis et dilectionis causa ad sancti Nicolai ecclesiam festinans, hospitio viri cujusdam susceptus est. Qui mercatoris pecuniam intuens et affectans, noctu surrexit et hominem sopitum crudeliter jugulavit. Dehinc innocuum cadaver membratim divisit et divisum in quodam dolio occuluit et juxta vescendarum consuetudinem carnium multo sale solidavit. Perpetrato denique tantæ impietatis scelere, crudelissimus hospes ad lectum suum ivit, dormivit et quievit. Nocte media clementissimus confessor Christi Nicolaus illud crudele et nefandum hospitium velut speciosissimus miles ingredi dignatus est et aperto dolio illud dilaceratum et attritum cadaver extraxit et membra membris reconcilians totum corpus reformavit, et prorsus nulla remanente cicatrice vitæ reddidit. Tunc sermone pio mercatorem suum allocutus et consolatus, hominis homicidæ exivit domo et suæ beatitudinis reductus et receptus est palatio.

Facto mane mercator surrexit incolumis, et domus dominum alloquens et salutans intermissi laborem itineris arripere disposuit. Ignorabat enim mortem suam quam hospes suus intulerat, et ab illata morte præsenti vitæ qualiter redditus fuerat. Tunc peccator stupens et admirans, perpetratum facinus retexit et qualiter eum jugulasset, qualiterque ejus universa membra divisisset seriatim aperuit. *Ego*, inquit, *te miserande jugulavi, ego tua membra universa divisi, et divisa isto in dolio scelerate occultavi. Vere magnus confessor sanctus Nicolaus, qui tua contrita et divisa membra reformando consolidavit et redintegrata præsenti vitæ restituere*

potuit. Mercator ille hæc audiens et vera esse cognoscens, Deo et sancto Nicolao gratias reddidit, et quomodo sub militis specie sanctum Nicolaum viderit et audierit stupenti nimis et admiranti hospiti suo alacriter exposuit. Mox quoque ab eo satisfactione recepta ac pace inter ipsos firmissime compacta, confœderantur hospes et mercator idem. Sicque pari devotione concurrentes simul ad ecclesiam beati Nicolai, facti sunt ibidem ipsi sancto servi perpetui.

II. Ea tempestate qua beatus Nicolaus sub peregrinantis specie delitescere ratus, Myrream fugiens devenit in urbem, non suffragia divitum, non potentum palatia requisivit, sed mulieris pauperculæ puerum habentis intravit casam et hospitatus est, ea quidem intentione ut ab adventantium semotus frequentia et a majoris familiæ strepitu separatus, sibi quietus intenderet ac vacaret. Salvator vero qui suo in Evangelio lucernam docuit non modio supponendam sed superponendam candelabro, fidelem suum latitare conantem extulit in sublime; et qui omnium infimus haberi nisus est, omnium in continenti caput et princeps constituitur. Nam confines episcopi ibidem congregati de idoneo eidem metropoli Lyciæ vacanti providendo pastore sollicitius invigilabant, sicque, prout rei gestæ continet historia, revelatione divina beatus Nicolaus designatus in archipræsulem eligitur, assumitur, consecratur. Et quod dignus existeret probavit miraculum quod, dum consecraretur, perpetravit Omnipotens. Mulier siquidem quæ eum hospitio susceperat, inter consecrationis ejus officia in vase balneandis infantibus apto, aqua imposita et igne supposito, filium suum infantem parvulum ut lavaretur deposuit : cogitaverat enim, ut moris habebat, assidere puero balneanti et igne lento et modico balneum temperare. Sed perstrepente rumore de beati Nicolai promotione, velocius avolat, ut inopinatum de hospite gaudium pervideret. Confirmato igitur post aliquot horarum spatia tantæ solemnitatis obsequio, in se reversa mulier, filii recordata, amens et præceps per publicum fertur, filium lamentans et plangens. Ingrediens vero domunculam, flammam per vasis latera circumquaque diffusam videt, aquam quoque fervescentem proterviter et in sublime suas ebullitiones jaculantem. Puer autem, qui pridem consumptus credebatur, ludens et cachinnans emergentes bullitiones manibus apprehensas deprimere nitebatur. Gloriosi quippe confessoris declarari merita debuerant, nec poterant sibi paranti obsequium deesse feminæ, quæ immeritis etiam consuerunt adesse. Mulier ergo sagacis ingenii, perpendens miraculum, igne disperso, puero extracto, gradu concito ecclesiam repetit : tam clero quam populo rem gestam sæpius inculcando depromit, stupentibus cunctis et Deum laudantibus, qui sanctum suum mirificavit quique eis talem pastorem dedit ad laudem et gloriam suam.

Cum autem in præscripta miraculorum serie huic congrueret sicut tempore ita et loco cetera prævenire, qualibet tamen causa subjunctum ceteris non est minori
* *sic.* venerationi * pensandum, quod constaret primo digna veneratione venerandum; quia nihil rei detrahit localis incongruitas in qua tanti patris semper est et ubique memorabilis dignitas, admiranda quoque et adoranda perseveranter sola virtutum operatrix divinitas.

III. Cum itaque pater iste adhuc in carne pudicitiæ floreret lilio, pietatis emanaret oleo, geminæque caritatis rutilaret indicio, immo de se velut vero divinæ electionis vase omnium simul effragraret condimentum virtutum : cum, inquam, commissa sibi multiplicando talenta placabilem sibi procuraret districtum exactoris adventum et pastoris implens ministerium mercenarii semper repudiaret incommodum, in tantum unctio docuit eum omnia, ut, dum nonnulla absentia quasi præsentia nosceret, ipsum vere christum Domini esse nemo dubitaret. Tribus namque clericis scholas adeuntibus et in loco destinato obiter pernoctantibus, hospes eorum impia cupiditate cæcatus sopitos noctu pueros jugulavit, corporibusque seorsum positis sarcinas innocentium suis usibus, immo abusibus, crudelis carnifex usurpavit. O consilii divini provida dispensatio, o sapientia nullo vere indigens consiliario, quæ in ipso impietatis providit opere unde pium servi sui meritum mundo voluit mirifice commendare. Non enim multa mora, et ecce pastor ille Dominici gregis vigilantissimus consuetæ sibi pietatis plaga percussus oves quærens quæ perierant, homicidæ hominis domum irrupit, hominem inhumanitatis arguit, homicidam dignis opprobriis exprobravit, et fateri scelus quod commiserat reverentiæ suæ respectu quantocius coartabat. Ostensis ergo sibi mortuorum cadaveribus cognatos sibi cognitosque pietatis gemitus uberius relaxavit et profusus pii cordis precibus tres defunctos ocius excitavit, in Christi nomine vitæ reddens mortuos, cujus inspiratione præcognovit occisos. Hujus itaque occasione miraculi inolevit in clero specialis memoria beati Nicolai : perpetua quidem solemnitate celebris, sed non digna aut debita celebritate solemnis, quia tanti patriarchæ dignitas humano nequit obsequio sufficienter recoli, qui a Deo filius meruit adoptari ; nec est satis laudandus a peccatoribus, qui cum Christo creditur totius seculi judex affuturus.

IV. Quam piis impius, quam devotis invidus, quam sanctis insidiosus sit antiquus noster adversarius, ex inspectis sequentibus colligere poterit prudens intellectus. Vir quidam venerabilis vitæ in Longobardorum olim habitavit regione, cujus fuit conjugalis socia conditionis paris ex parte sua ; de qua ortum sibi filium in summam vitæ gloriam summæque felicitatis habuit jactantiam, utpote unicum possessionis suæ pariter et laboris heredem, et futuræ senectutis fiduciam singularem. Vir igitur iste, divinitatis cultor eximius et sanctorum Dei deprecator assiduus, omnium erat generaliter honori deditus, sed beato Nicolao privilegiata quadam devotione quasi appropriatus. Ad cujus festum festive celebrandum ritu annuo clericos convocabat ; peractoque spirituali festo festum eis carnale decentissime præparabat, et discessuris tandem singulis dona prout potuit lateralia conferebat. Convocatis igitur semel ex more clericis ad beati præsulis merita recolenda, mores et miracula ritu ecclesiastico retractanda, summo mane stratu suo exiliit et a somno sponsam simul excitavit, ut ituri citius ad ecclesiam primam pariter et novissimam caperent servitii portionem. Expergefacta autem femina, ad viri sui nutum, ut decuit, disciplinaliter erudita, immo ad domini sui Nicolai obsequium omni tempore vigilantissima : *Terribile*,

ait, *ausculta quod conspexi somnium, quod et nunc vigilem me mentis inopem totamque reddit in tuto trepidantem. Vidi enim lupum quemdam vehementi impetu in me irruentem, ubera mea cruentis faucibus laniantem et cruorem profluum sitientissimo gustu suscipientem.* Dixerat et in dicto boni aliquid portentari sibi voverat; filium suum et cetera omnia sancti Nicolai curæ commendaverat. Egressique pede propero ecclesiam pervenerunt, ubi in laudes sancti tota devotione, toto desiderio, summa mentis suavitate suspensi, pro se et suis preces placabiles Deo diutius obtulerunt. Vidit igitur et invidit, piis semper votis obvius, quidam satanæ consentaneus, assumptoque habitu pœnitentis domum eorum adiit dæmon religiosus, ficte quidem alimoniam petens, sed non ficte sanctis hominum exercitiis insidias prætendens. Porro famulis hac illac discurrentibus et convivium clericorum sparsim procurantibus, solus forsan sedit custos domus puer, patrisfamilias filius. Qui ad dæmonem assistentem et miserrimi, ut erat, vultum prætendentem, de insolito habitu admirans, ait: *Quis enim tu es aut quo merito tantæ raritatis pœnitudinem exhibes? Edicito mihi unde veneris, ut accipias postea quod precaris.* — *Ego,* inquit hypocrita, *de longinqua regione irrediturus, reor, venio, addictus olim servus regi cuidam potentissimo; sed, quia uni conservo meo pro singularitate sui honoris in ipsum regem superbienti consensum inconsultius exhibui, cum ipso pariter omni honore privatus necnon exul et exheredatus sum, et nullum hactenus consecutus reconciliationis effectum. Sane, quia in ipsum tantæ potestatis dominum ulcisci non potui, quotquot de suis vi vel fraude forsan obtinui, tam multos innoxios unus interemi, ut ob hoc perennem acturus pœnitentiam veniam tamen tanti sceleris non merear affuturam. Desine ergo, desine vanis me miserum detinere sermonibus: affer potius quod poposci, ut procedam pœnitendo ulterius.* Accedentis igitur parvuli manum misericordem immisericors hostis arripuit, et, sicut solet ceteros, innocentem ocius jugulavit, subjungens se non cibum carnis sed esurire semper mortem hominis. Redeuntes tandem a procuratione sua famulos quis stupor, quæ confusio, quis putas dolor pro dolosa nece pervasit? Quippe nescientes quid agerent, quo se secure diverterent, quem auctorem tanti sceleris accusarent, ad unicum tandem quod habebant, planctus et mœroris refugium pariter declinabant.

Dolor quidem eorum dolor multus, sed dolor parentum dolor infinitus; quia quos damnum carnis attigit, pœna propior penitus penetravit. Quis enim credat planctui pepercisse quos sic contigerat totum vitæ solatium tam subito perdidisse? Accurrens namque pater jam peremptus in filio et præ dolore interno extra se factus, vultu quoque et voce incompositus, ut præ viribus pietatis virum oblitus, excusso capite, confusa mente, demissa facie parumper avertit; et reversus demum ad mortuum, satis querulam hanc prorumpit in vocem. *(Sequuntur querelæ per unam paginam.)* Inter verba patris querula non potuit mater ventris sui dissimulare dispendia; sed ob pœnam quam sensit sensus pene nescia et præ doloris copia sui inops effecta, complosis manibus, collisis dentibus, transversis oculis, altis suspiriis prolapsa solo diutius laboravit. Tantoque gravius quod perdiderat, interius planxit, quanto præ dolore nimio non potuit indicare quod doluit.

Tandem tamen vultu lugubri, voce miserabili, more muliebri hanc prorupit ut potuit in querelam. *(Sequuntur querelæ matris per paginam unam.)*

Post effusas hujusmodi conjugum querimonias, facta fuit in familia districta prohibitio ne clericis invitatis eventus rei ullo panderetur indicio : quia, si secus fieret, convivii diem in mœstitiæ mutari noctem facile contingeret. Clericis itaque convivantibus et diem festum quam festive poterant omnimodis celebrantibus, tanto acrius conjuges doluerunt intus quanto plus lætitiæ resonabat * exterius. Et hoc, ut arbitror, eis crevit ad supplicium quod ferventi intus doloris incendio planctus refrigerium scienter subtraxerunt. Videres igitur intus ipsos miserabiles mutuæ compassionis alternari respectus; videres etiam per lætos vultus invitis oculis lacrimas decurrentes, furtivos quoque gemitus jocunda verba raptim interrumpentes : vehementissima quippe vis doloris modo eos sui oblitos reddidit, modo autem superabundans violenter erupit.

* *supra lin.* vel resultabat

Sensit cito pius præsul suorum suspiria, copiosæ caritatis jam transfixus lancea, qua jam olim super afflictos pia gessit viscera, assumptaque peregrini specie ad domum venit luctus et lætitiæ. Transeunte vero per convivas suos hospite, respectu facto vidit virum expectantem munus alimoniæ. Etsi dolor ipsum multum alienasset a se, non tamen est oblitus misericorditer ceteris subvenire. Mendicum enim illum divitem, se privatim poni provide postulantem, pium nolens revocare propositum, in interiorem introduxit thalamum ubi corpus pueri pannis jacuit secretius involutum. Quid plura? Accessit sanctus et commovit mortuum, disparensque postea reliquit redivivum. Redeunte tandem homine et novo hospiti quæ quæsierat cibaria afferente, filium suum sibi occurrentem amplexusque pristinos offerentem habuit; virum autem quem induxerat, immotis ceteris solum non invenit. Quantum igitur gaudii et stuporis excessum mente concepit, ille melius explicare potest qui consimile aliquid in se expertus est. Cognovit illico dominum suum suo affuisse solatio, cujus ipse annuatim tenebatur obsequio. Producto siquidem in palam filio et in gremio matris incolumi collocato, in quam summam subitæ admirationis gloriam materna mens repente rapta fuerit, pensari potius quam exponi, non tamen plene poterit. Tunc confusa prius respirabant pectora; tunc in lætos luctus concepta intus eruperunt gaudia : pro summa enim prægustata miseria fuit incapabilis felicitas subsecuta. Nota ergo novitate miraculi, cœperunt simul omnes magnificare sanctum Dei, et quod fuit residuum de convivio duplicato celebratur obsequio. Tunc sonabat cithara, tunc psallebant psalteria. Clerici quoque vociferabant modulatione trifaria; et, si prius habuerant sancti præsulis diem festum, duplum deinceps adjecerunt honoris annui incrementum. Benedicamus igitur et nos Deum cœli et cum cunctis viventibus confiteamur illi, qui pro Nicolai meritis tot est toties auxiliatus afflictis.

DE EODEM S. NICOLAO. (Cfr. supra, pag. 315, 2°.)

A quo et per quam et quando composita sit historia et prosa quæ canuntur de S. Nicolao.

Generosus et gratiosa forma spectabilis quidam, qui et versibus et metris totum Elicona spirabat, scholam regebat in urbe Barensi ad quam translatus est beatus Nicolaus, circiter paucos annos post ipsius translationem, cum adhuc vix emarcuissent pro ipso lamenta in Myrra, et jam ut fumi post rogum tenuitas signa doloris in expirationem vanescerent. Erat autem in eadem urbe vidua prædives animo, quamquam auro ditior et facie venusta. Hoc utroque præpollebat miraculo ut et lapideum Demosthenem vultu posset enervare ad thalamos et pudicitiæ Lucretiæ zelum excitare. Cumque justa esset et sancta, Deum timebat et omnes sanctos cum multa reverentia venerabatur. Præcipue tamen tota in amorem versa est beati Nicolai; et ut illum sacræ dilectionis thesaurum ab ærugine et tinea et facibus conservaret, ante capsulam amati corporis pretiosas frequenter faciebat excubias. Fuissetque tanti thesauri sui lætitia clara semper et inconsutilis, nisi adversus cordis sui speciem corporis armaretur venustas et contra divitias animi terrena possessio contenderet. Hæc cum gaudia sua cædere possent, decidere tamen omnino non potuerunt. Viderat hanc prædictus juvenis totisque concaluit medullis. Domum reversus, iniquitatem meditatus est in cubili suo et institit viæ non bonæ. Et, ut illius cladis vitium est, ipse sibi ablatus tum peccato procelloso periclitantem proscribit animum, tum ipsum ab exilio ad contribulati cordis fornacem in lacrimis et suspiriis syncopatis revocat. Occupat ipsum dolor et discordia mentis; cogit eum ad confessionem amoris æstus, revocat reverentia et desperatio ad contegendum concepta: quoque magis tegitur, tectus magis æstuat ignis. His vicibus secum, sed his vitiis arreptus, ille contendit. Hic est ille in omnibus poetarum paginis famosus amor, odio certe dignissimus, exlex et immisericors. Incendit miserum vel vicissim facem mitigat. Sic aquilo ratem mergit impulsibus, quam vi continua ducturus esset in portum. Transit illi tandem animi vitium in vultus, et degenerans a decore facies calamitatis arcana fatetur. Deprehenditur errare, et ab ipsa quam diligit annotatur. Vocat illa juvenem seorsum, sciscitatur quid hæc, et argutius tacentem intuita ipsum lacrimis et suspiriis accusantibus intelligit; blandeque castigat et fortiter negat. Ille fortiter negantem iterum petit et iterum, et familiares dominæ famulas precibus et munusculis in ipsam insurgere fefellit, frustra conatus a pectore Palladis Venerem evincere. Illa autem, delusis omnibus amoris insidiis, se nullatenus permisit in ejus trahi sententiam; sed quod sæpe negarat, ei tandem certissime pernegat. At juvenis ob impatientiam præcisæ spei in languorem veræ valitudinis incidit, et duplici confusione diutissime contritus est. Vicit ad ultimum frenumque posuit amori febris, et quam longum inquietarat nobilis matrona salva ndemnitate quievit.

Contigit autem die festo beati Nicolai, cum ipsa de more solemne amicis suis

convivium faceret, quod in illa concione multus et fere totus de miraculis ipsius confessoris sermo esset. Intulit illa dignum clericorum esse illius metropolis opprobrium, quod ab ipsis nec responsorium nec prosa proprie ad laudem tanti amici Dei fieret nec aliquod canticum quo veneranda ejus solemnitas duceretur jocundius. Divulgatum est hoc verbum et delatum ad languentem clericum de quo prius sermo. Conscivit sibi quidem de peritia totius musicæ artis, melicæ scilicet et rythmicæ. Pertentat igitur ipsum spes voti sui, revirescit animus ad spem et ex lætitia mentis tota caro refloruit. Fuitque illi, ut plerumque solet, ad salutem exultatio medicina. Exsurgit ergo et torporem morbi relinquit in lecto, et infra dies paucos restitutus artubus domum dilectæ suæ plurimis intrat cum sodalibus. Data igitur acceptaque salute, ut consederunt, repetita sunt verba de canticis in laudem gloriosi Nicolai componendis, spondetque domina retributionem pro voto facientis, si bene fiant. Suscepit hoc factum * juvenis, fide sibi firmatum, ne dubitet. Ad propria * pactum ? revertitur, et in se reversus, toto spiritu poetarum et prophetarum intonuit in pneumate et rythmo prosam illam cujus est initium CONGAUDENTES et responsorium CONFESSOR DEI NICOLAUS : in quo quidem opere splendet quid spes, quid amor, quid his utrimque fulta dicendi peritia posset eloqui ; cum tamen sanius credamus per os hujus peccatoris insonuisse Dominum ad laudem sui amatoris et suam gloriam, qui alias pseudoprophetarum veris resolvit oraculis, cujus ipse scit rationem. Committitur opus novum examini multorum prudentium, reditque conspectius, ut auri e fornace puritas.

Persuasum igitur est jam sæpedictæ matronæ quod nihil in natalitiis sanctorum canitur hoc opere vel carmine cultius vel canore dulcius. Lætata est igitur in his quæ dicta sunt ei et abundanter exultans intra vota jam omne desiderium tenet, ultroque poetam suum petit ut præmia petantur. Ille spiritu redivivæ cladis ab Ætna succensi pectoris flammas eloquitur, et id solum precatur instanter in quo dignus est repelli constanter. Habet enim in se repulsæ meritum petitio inhonesta. Illa autem, memor fidei in incertum, et jam nunc edocta quid spopondisset illa, agit deceptæ fidei pœnitentiam in lacrimis quibus aiunt Phœbum improvisi pœnituisse juramenti in inimico et nimis universali Phaetontis incendio. Illa igitur mutari vota precatur, et quascumque possidet opes in mercedem prona refundit. Illum vero nec lacrimæ nec opes nec denique Deus ab incepto deflectunt ; sed cœlum et terram negligens, cæcus cæcum sequitur errorem ad delictum, modis omnibus rationi præpensans voluntatem. Hoc propositum premit, hoc precatur, hoc inexorabilis optat, more infantum, qui lunam a matribus suis cum lacrimis et lamentis petunt nec nisi verbere correpti absistunt. Doctæ revera fallere *, quæ cæcum et * fabulæ ? puerum pinxere Cupidinem. Sic male placito suo ille uniformiter insistit, justas repulsas obstinata ultus injuria. Illa se dolet intercipi, et quia effugere non potest, fugere conatur. Ut vel dilatione probra leventur, promissa se facturam asserit : sed unius noctis orat dentur induciæ, dum thalami sui abusionem diu jam despretos revocet in usus fierique possit secretius quod lucem odit. Hoc non femineis sed virilibus implorat lacrimis et verbis et vultu ; et quorum singulis Siculam possit lenire tyrannidem, vix omnibus ipsum mansuescit ad horam.

Impetratis ergo tantillis induciis, illa die sedens in cinere et cilicio, ad ipsum tota conversa est qui sua gratia factus est refugium et nobis, nocteque sequente provoluta est ante capsulam spei suæ, beati scilicet Nicolai. A benigna Dei misericordia priusquam oret exaudita est : justa enim petebat, ipsa justa. Nescia tamen quod triumphaverit, spiritum contribulatum in verba singultibus lacerata resolvit piasque preces dulci et Deo accepto aromate condivit. Immemor tamen est ut Deum, qui jam exaudierat, vel ipsum misericordiæ fontem, Matrem ejus, precetur; sed, quem tota intus tenebant præcordia, totus et solus semper est ei in ore Nicolaus : hoc nomen ei super omnia dulce, hoc millies repetitum adhuc ei repetitur desideranter ; hoc singulorum singultuum initium est et finis; hoc ab omnibus ad inflammatam animam tractum est suspiriis. Velox igitur ad bona vota bonus Nicolaus et ad suorum suffragia omnino impiger, lecto clerici astitit in habitu episcopali. Vigilantem invenit et moras noctis multis accusantem suspiriis : nam nox longa quibus promittit amica sequentem. Vigilabat illa ut vitaret opprobrium, iste ut fieret; illa plorabat ne ploranda committeret, iste suspirabat ut se suspiriis manciparet. Vincitur ergo, ut semper circa finem belli solet, a justitia iniquitas et triumphat ineptiam sapientia. Impatiens enim imparis conflictus aut diu ancipitem aut degenerem esse victoriam, beatus Nicolaus juvenem crinibus arreptum sublime rapuit; et pessumdans graviter, in virga quam tenebat iniquitatem ipsius dure visitavit : non tamen immisericorditer, nam modicum citra extasim ipso relicto substitit. Ille et ulciscenti jam miserabilis suffusos lacrimis oculos et vultum exsanguem vix attollit; exili et demissa voce veniam petit, quærens quid deliquerit et quis ipse ? At sanctus Domini et majestate * vultus tremorem * incutit et, cum totus affluat misericordia, nihil adhuc mite vel pium loquitur, ut plus stuporis afferat silentio, scriptamque habet in oculis et tota facie ultionem. Ille miser, sed hac sua miseria beatus, reflectit oculos quasi attonitos a sole, pronusque in terram cum publicano lacrimosus ait : *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Ad hæc Domini gloriosus : *Ille ego sum Nicolaus quem tu labiis honorasti, cum cor tuum contra me sit, quoniam ipsum concupiscentia subvertit. At non filia Juda sustinuit iniquitatem tuam. Circumvenerunt eam doli tui; ad multam mœstitiam plenam lacrimis nihil fraus tua remisit. Resipisce igitur et singula corrige, ut et hæc verba * cessent et mea intercessione ipsum habeas operis tui mercedem a quo gratiam operandi accepisti, qui solus gratias tribuit et retribuit.* His dictis disparuit. Exsurgit igitur velociter juvenis flagellatus et ad capsulam castigatoris sui properat, invenitque eam vigilantem quam sibi ad tantam felicitatem temere amaverat; et pedibus ejus provolutus edocet quid contigerit, et veniam et intercessionem ejus ad beatum virum exorat. Illa et admiratione miraculi et suæ lætitia correptionis effusiore quam unquam prius exultatione gavisa est et in lacrimas totum fontem oculorum exsolvit. Omnibus igitur inter eos compositis et ad pacem reformatis, dictis precibus et hymnis omnimodis, ad propria redit uterque. De cetero ad pretiosi confessoris obsequia proniores, vitam in devotione sui concluserunt. Sic ille venerabilis semper et ubique vir Domini famulæ suæ propositum et nobile refugium factus est et erranti clerico dolor et solamen, vulnus et medicina, latro et Samaritanus.

* *cod.* majestatem.
* *cod.* tremore.
* verbera ?

DE EODEM S. NICOLAO. (Cfr. supra, pag. 315, 5°.)

Homo quidam, de Aconitanis partibus oriundus, curvatus corpore, infirmus et debilis erat, pedum et manuum officiis carens integris. Hic deosculans beati Nicolai capsellam et humiliter flagitans sanitatem recepit, quamplurimis qui aderant cernentibus, domumque, benedicens Dominum ejusque famulum venerans, remeavit.

Sacerdos quidam de Camerino territorio, passionem guttæ in spina suscipiens incurvationem nimiumque dolorem multa per tempora sustinuit, adeo ut cœlum suspicere non valeret. Qui audiens virtutes per beatum fieri Nicolaum, interiore accensus desiderio, iter ut potuit arrip[iens cum socii]s patriotis venire cœpit. Qui ad locum quemdam veniens unde primo Barum p[rospicitur], ubi crucem ligneam magnam quidam affixerant, quia illic ab infirmitate [curati sa]nitatem viso loco susceperant, dum cernuus numerosa vestigia movens, vi[x ambula]re valebat, parum et parum cœpit erigi. Cui, sicut ipse nobis postea retulit, v[isum ?] erat quod calorem nimium sentiens velut ab aliquo ante erigi videbatur : et subito quasi pavefactus, lætus clamare comites suos qui in eodem itinere pergebant cœpit, et quia Domini virtutem sentiebat asserere. Hic itaque, qui de domo sua infirmus exiit et infirmus usque ad sanctum corpus venire speravit, sanus et alacer Dominum collaudans venit sanusque ad patriam repedavit.

Apud Almasiam puerulus a spiritu nequam miserabiliter vexabatur; unde parentes ejus manebant mœstissimi continuoque mœrore afflicti. Qui mirabilium fama excitati virtutum, Barum non distulerunt properare cum filio dæmonioso. Qui ubi ad locum quo crux stabat quam prædiximus fixa, appropinquaverunt Barumque inde longe aspexerunt, lætitia inopinata et desiderabili subito sunt repleti. Vident enim prædictum puerum a maligno quo vexabatur spiritu liberatum. Isti igitur jam non pro infirmitate dimittenda, quæ jam erat dimissa, flagitaturi, sed pro salute recepta donaria oblaturi gratesque dignissimas Domino sanctoque Nicolao celeriter veniunt reddituri.

Venerunt de quodam castello quidam ad eumdem Dei famulum, secum afferentes infantulam omnibus corporis viribus destitutam et puerulum admodum debilem, qui nullum edulium in stomacho salubriter potuit retinere nec ordine naturali digerere. Qui cum dies aliquot cum precibus permansissent, multasque virtutes in aliis infirmis fieri et in suis minime conspexissent, cum majori tristitia quam prius habuerant, non sine desperatione redire cœperunt. Cum autem longe a Barinis mœniis quasi milliarium trium abissent spatio, sub umbris olivarum secus viam et propter solis æstum et itineris lassitudinem accubuerunt. Cumque mutuis confabularentur sermonibus, quidam illorum comitantibus secum dixerunt : *Non putamus Barenses vera dicere quæ de sancti Nicolai asserere videntur, pro cujus meritis et miraculis huc cum nostris infirmis venimus ut medelam acciperemus.* Quibus hujusmodi orationem proferentibus alii repugnabant, dicentes : *Hæc dicere nolite. Non enim dubitare debemus tot millia*

hominum, esse verum affirmantium quod vos non creditis. Miramini et irati estis quia non vobis accidit quod petistis. Non debemus mirari, neque contra divinam potentiam irasci quia non ceperimus quod nostra merita nullatenus meruerunt. Hujusmodi prolatis sermonibus, subito infantulam suam sanam, quæ nunquam ambulare poterat, gressum recepisse conspiciunt et puerulum naturæ suæ restitutum. Moxque operationem divinam laudare et gratias Deo agere cœperunt, quia et beneficia quæ optaverant susceperunt et unde ambigui fuerant certi remanserunt.

Ibat quotidie volitans fama virtutum beati Nicolai per diversas mundi partes, viresque sumebat eundo. Pauperculus enim de Durachio Barum transfretavit, afferens uxorem suam omnibus membris emortuam, solo linguæ officio viventem, cujus brachia maxime erant omnino ab humeris a motibus naturalibus destituta; unde illa nec flectere vel ad officia oris attrahere vel extendere vires habebat. Carebat enim venis et nervis et quasi lignea videbatur. Corporis etiam lineamenta cetera penitus erant sicca, et, sola hærente ossibus cute arida, facies ejus præ macie erat tenuissima et turpissima; unde et monstrum videbatur, non femina. Sedere non poterat, quia nates deerant illi; non stare, non jacere; sed quasi corpus inanimatum, id est lapis vel lignum, a viro ad quælibet corporis necessaria volvebatur; a quo etiam ut lactens infantula alebatur et sustentabatur. Nam ipsemet cibum ad os ejus porrigebat et potum infudebat. Per forum et vicos civitatis illam in humeris ferebat, stipem causa eleemosynæ a fidelibus petens. Quam omnes qui cernebant, salutem corporis posse consequi desperabant. Quidam etiam verbosi dicebant : *Beatus Nicolaus istam sanare non poterit, quamvis aliis salutem concedat.* Ita pene mortua videbatur, animaque solo in pectore palpitabat, circa præcordia constricta. Hoc labore assiduo fatigatus, prædictus maritus mulierem invalidam ante beati Nicolai corpus ponens custodiebat, opemque Dominicam lacrimosis precibus postulabat, quatinus a tantæ vi ægritudinis et solveret eam et ipse ab inquiete continua et fatigatione quiescere jam valeret. Et quia constantem habuerunt fiduciam, miserta est pietas divina utriusque illorum. Nam et illam sanitati restituit et hunc a prænotatis laboribus quiescere imperavit.

Alia mulier de tellure Dalmatiæ, in qua et genita fuit, navigio Barum advenit, a sancto medico contra suam maximam ægritudinem antidotum postulatura. Erat enim lepræ obscœnitate toto corpore maculata. Cui nulla vox sonora faucibus resonabat, sed raucum et fere inaudibilem sonitum oris hiatu emittebat. Hac igitur pro ægritudine patrem venerandum quotidie poscebat Nicolaum. Qui noluit eam propter quam advenerat impetratura, suo munere vacuam propriam remeare ad patriam, sed solita pietate et gratia plenissimam prospero reditu sospitatem reportare. Nam sancti corporis custos illius solum ecclesiæ quæ sanctum corpus servat, aquam superspargere solebat propter pulverem sedandum aerisque calorem, quem populosa faciebat intus frequentatio. comprimendum. Una autem die advesperascente, aspersa ut prædiximus aqua, januas templi cum claudere vellet æditiuus, accessit hæc eadem mulier ad eum, suppliciter postulans ut eam intus ire permitteret, sanctum rogare intentius et orationi vacare liberius. Cui licet ille

hoc bis vel ter vel eo amplius negaverit, nequaquam tamen illa recedere voluit, donec obtineret quod petiit. Tandem vero importune instanti tribuit ingrediendi licentiam. Quæ ut ingressa fuit, mox ex industria cœpit ante sancti Nicolai capsulam totum corpus suum prosternere, humidæ et luteæ adhærere telluri; de qua etiam leprosam faciem linire cœpit : et mox quæ toto leproso ingressa est corpore tota mundata cute intus et exterius, Dominica cœpit egrediendo beneficia collaudare.

Sepontini cujusdam ancilla gravi oppressa erat invalitudine, adeo ut incurvata dorso vires corporales amitteret et sursum caput erigere vel pedibus incedere non valeret. Quapropter a suo domino dimissa et ejecta est, quippe cui famulatum non reddebat. Quæ a Spontaneis, qui ad beatum veniebant Nicolaum, Barum navi allata est, sua pro infirmitate et salute flagitatura. Quæ cum per aliquot dies cum innumera infirmorum multitudine ante famulum Dei precibus perseveraret, gratiam obtinuit sanitatis. Nam erecta est et ad pristinum restituta vigorem.

Quædam muliercula feta lacte ex uberibus ad sobolem educandam omnino carebat. Hæc sancti custodem corporis adiit, suppliciter rogans ut de oleo lampadis quæ ante sanctum indesinenter ardet, pectus suum perungeret, si forsitan sicca ubera et parva existentia lactea plenitudine madefieri et impleri valerent. Quod cum ille fecisset, hæc domum rediit, munusque quod sanctum poposcerat abundanter accepit.

Veniebat Matinensium multitudo ad servum Dei et Domini nostri Jesu Christi Nicolaum cum Stephano, cœnobii Sancti Eustachii abbate venerando. Qui priusquam Barina mœnia subintrarent, foris prope civitatem sunt hospitati, mane alterius diei ecclesiasticam seriem ingressuri. Erat autem inter illos puerulus unus qui nunquam gressus poterat movere naturales. Ut autem sol extulit radios, cœpit abbas prædictus clericorum ac monachorum laicorumque, sicut est ecclesiastica doctrina, ordinare processionem, cum subito eumdem puerum propius terram contemplantur perambulare. Unde stuporem maximum et admirationem habere cœperunt et ad astra voces laudum diversas certatim exaltare ac majori quam putaverant exultatione gratiarumque actione congratulari Dominumque laudare.

Manebat apud Tarentum pauper quidam et infirmus : erat enim nequaquam valens incedere pedibus, genibus et cruribus mortuis, in manibus quoque viribus carens, humi vix sedens. Qui auditis beati Nicolai mirabilibus fama prædicante, cupiens afferri sibi ab eo sanitatis munera, sanctum assidue deprecabatur. Qui non diu sustinuit a precibus illius aures solitæ pietatis avertere; sed gratiam tribuit quam optabat. Nocte enim quadam, cum sopor eum teneret, imago admodum veneranda sub humana specie apparuit, quæ illum hortabatur et quasi negligentiæ redarguebat, dicens : *Quare non vadis Barum ad sanctum Nicolaum, ubi potes salutem recipere?* Cui ille : *Quomodo*, inquit, *ibo, cum loco isto absque moventis suffragio transfretari non valeam?* Et ille : *Surge, vade, quia potes.* At ille evigilans, protinus surrexit corpore sanus, et venerabili patri Nicolao gratias et laudes pro tanto munere redditurus Barum venit.

Miles quidam aliquid de rebus suis perdiderat, unde nimis dolebat. Habebat autem servum quemdam, a quo furtum illud factum fuisse putabat. Motus autem injusta suspicione et diaboli præventus instigatione, tibiam servi sica percussit ancipiti : sed in ictu penitus divisionem non fecit. Miser autem ille sic vulneratus dolorem continuum patiebatur, multaque per tempora putrefacta jam plaga sanari non poterat: in qua etiam vermes nati sanam carnem comedebant. Unde quid aliud faceret ignorabat, nisi aut tibiam cum timore mortis a corpore truncaret, aut dum viveret illam tam crudelissimam passionem toleraret. Qui audiens beati Nicolai famam mirabilem, ad sacrum corpus illius ut valuit properavit: et die quadam cum solvisset tibiam, ut more solito putredinem detergeret, sic reperit eam sanatam ut vel signum cicatricis in ea non appareret. Qui devote Deo gratias agens et ejus confessori Nicolao, sanus et alacer remeavit ad propria.

Gallicis Alpinis partibus mulier quædam nobilis et altera, ejus familiaris, beati Nicolai signis et mirabilibus auditis excitatæ, contra suam ægritudinem ab eodem beato viro venerunt poscere sanitatem. Prima earum, ablato visu ab oculis, multis annis sustinebat molestiam; familiaris vero ab immundo spiritu se quotidie sentiebat possessam. Utraque tamen beati Nicolai meritis optatam meruit recipere sanitatem. Sed illa cui est oculorum visus restitutus oculos argenteos, quos de domo sua secum tulerat, beato Nicolao in signum devotionis suæ et illius glorificationis obtulit, et sic ad propria cum alacritate remeavit.

Sunt præterea alia multa apud Barum ad sancti hujus tumulum patrata : sed hæc pauca sufficiant nunc ad laudem nominis Dei : cui est honor, laus et imperium in secula seculorum. Amen.

XLIII. Codex signatus nº 1970-78.

Foliorum 127, præter unum insiticium in capite codicis, formæ minoris (0^{m},245 × 0,165), litteris plenis, exaratus seculo XV. Tituli minio descripti, itemque litteræ initiales, præter duas cæruleas (fol. 1^{r} et 2^{v}), ceterum nullis ornamentis. In capite folii insiticii inscripta est hæc nota manu seculi XV : *Liber monasterii S. Pauli in Zonia,* et alia manu add. *vel Rubeevallis.* Et rursus paulo superius manu sec. XVI : *Bibliothece Rubee Vallis.*

Continentur in eo codice præter nonnulla opuscula ascetica :

1º Vita beati patris Francisci (fol. 1^{r}-64^{r}).

Vita auctore S. Bonaventura, edita in *Act. SS.,* ad d. 4 Octob., tom. II, p. 742-798.

2º Vita sanctæ Claræ (fol. 118^{r}-126^{v}).

Vita contracta ex ea quæ edita est in *Act. SS.,* ad d. 12 Aug., tom. II,

p. 754-767. Inc. *Venerabilis Christi sponsæ Deoque dicatæ virginis natalitium diem, fratres karissimi, honorificentia debita celebrantes, sacra ipsius primordia, processum et exitum succincti sermonis compendio percurramus.*

XLIV. Codex signatus n° 2037-48.

Foliorum 187, præter unum insiticium in capite, formæ minoris (0^m,23 × 0,17), lineis plenis graphide ductis, exaratus diversis manibus extr. sec. XIV et sec. XV. Tituli et litteræ initiales minio descripta, ceterum ornamenta nulla. In margine inferiori folii insiticii, itemque folii 186^r inscripta est hæc nota manu sec. XV : *Iste liber pertinet monasterio Rubeevallis in Zonia juxta Bruxellam.*

Unum in codice continetur documentum hagiographicum, videlicet :

Vita sanctæ Berlendis virginis (fol. 178^r-181^r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 3 Feb., tom. I, p. 378-381. Cfr. ibid. Comm. præv., num. 3.

XLV. Codex signatus n° 2057-62.

Foliorum 245, præter unum insiticium in capite, formæ minoris (0^m,22 × 0,15), lineis plenis graphide ductis, exaratus diversis manibus sec. XIII. Tituli minio descripti, litteræ initiales minio et cæruleo, eæque in prima (fol. 1-115) et in ultima parte (fol. 211-245) uniformi ratione et haud ineleganter ornatæ. Folio insiticio inscripta est hæc nota manu sec. XVI : *Ex legato magistri Erardi Viruli pertinet pro nunc ad monasterium Vallis sancti Martini Lovaniense.*

Unum in eo codice continetur documentum hagiographicum, videlicet :

Vita sancti Richardi episcopi Cycestriæ (fol. 1^r-76^v).

Vita auctore Radulpho, Ord. Præd., edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 3 Aprilis, tom. I, p. 282-318.

XLVI. Codex signatus n° 2342-51 (1).

Foliorum 105, formæ minoris (0^{m},21 × 0,145), lineis plenis stylo plumbeo ductis, exaratus seculo XV. Tituli minio scripti. Litteræ initiales singulorum documentorum amplitudine insignes et coloribus rubro, cæruleo, subrubro et subcæruleo admodum eleganter depictæ sunt.

Folio insiticio in capite codicis legitur hæc nota manu seculi XV inscripta : *Iste liber pertinet monasterio de Estey in Zwyndraco;* et sequitur index contentorum in codice, in quo scilicet, præter nonnulla opuscula S. Augustini, hæc leguntur documenta hagiographica :

1° Vita sancti Augustini episcopi (fol. 1^{r}-52^{r}).

Hæc Vita constat duplici parte : prior (fol. 1^{r}-25^{r}) a scriptore anonymo confecta est ex libris sancti doctoris, altera est ipsa Vita auctore Possidio, edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 427 sqq., omissis tamen in codice numm. 1-7 et aliis nonnullis locis item prætermissis aut plus minus adulteratis.

Inc. *Administrante rempublicam Theodosio, gloriosissimo ac victoriosissimo imperatore, patre Archadii atque Honorii imperatorum, qui ob egregiam animi strenuitatem a Gratiano imperatore creatus, maximas illas scythicas gentes, hoc est Alanos, Hunos et Gothos, magnis cladibus multisque præliis vicit...*

2° Sequuntur tituli omnium librorum quos edidit beatus Augustinus episcopus (fol. 52^{r}-56^{v}).

Editum ibid., p. 441 sqq.

3° Vita beatæ Monicæ viduæ, matris sancti Augustini patris nostri (fol. 57^{r}-62^{v}).

Edita in *Legenda Aurea* (fol. 277^{r}-279^{r} in edit. Coloniensi 1483). — At in cod. omissa sunt quæ ibi leguntur a fol. 278^{v}, col. 2, lin. 3 *(Apparuit...)* usque ad fin.

4° De translatione ejusdem (fol. 62^{v}-66^{r}).

Editum in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, pp. 489, 490, numm. 7, 8, 11-13. — Sed hæ notandæ lectiones variantes :

Num. 7. Hodie, fratres dilectissimi, caritati vestræ explicandum est quo... Monicæ corpus honorifice sit translatum. Frater enim Petrus, domni Martini

(1) Inter præcedentem codicem et hunc ponendus esset cod. 2078, si quidem in hoc legeretur, ut in *Inventario* edito significatur, *Vita S. Walfridi.* Verum quod indicatur sub hoc titulo, nihil aliud est quam folium unum ex alio codice a compactore ad calcem hujus adscitum, quo continetur fragmentum libelli *De sanctis ecclesiæ Haugustaldensis et eorum miraculis* editi apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. III, part. I, p. 228 sqq., videlicet ex num. 8 extr. *(quidem illius infirmitatis...)* et ex num. 10 (usque ad *in vestimentis ejus indicium sanctitatis illius).*

summi pontificis sacrorum custos, Electensis episcopus, sæpissime ab ipso petierat quatenus sibi liceret... colerentur. Cujus precibus devictus annuit ut ad conventum Fratrum Eremitarum S. Augustini, doctoris magni, in urbe Romana eas reliquias transferret. Congruum enim ac decentissimum videbatur conjungi filio matrem... cultores. Vocat... negotio. Primum.., renuntiatum est summo pontifici. At ille respondit : Si... simul colligerentur et transferrentur. Cum... proficiscuntur. Fuit enim Ostia quondam romana colonia, ab Anchomarco, quarto Romanorum rege, condita, duodeviginti milliaribus hinc ad majus distans oppidum : olim dives, cujus vix nunc pauca supersunt vestigia.

Num. 8. Cum ergo Ostiam pervenerant ad locum... jacuerat. Dehinc sepulcrum.

Num. 11. ... decantantes. O admirabile quod huic ipsi fratri Augustino evenit ex contactu horum beatorum ossium : nam nunquam potuit manus sacro odore purgare, donec eas lavit aqua benedicta; quasi ita sacramento cederet sacramentum, quod nequisset communi lavacro aboleri. Fratres vero illi desiderio... interim jussu apostolico obviam.

Num. 12. ... operari. Dum enim in ecclesia fratres monumentum portantes paululum residerent, mulier...

Num. 13. Nec silentio prætermittenda sunt multa quæ... mulierem nomine Ursulam... sanatum. Nec prætermittere valemus aliam... continuo ex omni parte erepta est. Hunc igitur diem, fratres karissimi, vobis solemnem facite; in hac, quantum potestis, vocibus ac votis sanctissimæ hujus matris gloriam declarate. Et omnes postremo quoscumque inveneritis claudos ac debiles, ad cœlestia auxilia captanda invitate. Peracta est igitur translatio pretiosissima beatæ Monicæ corporis nono die mensis aprilis anno gratiæ millesimo quadringentesimo tricesimo, regnante Domino nostro Jesu Christo, fidei nostræ auctore, qui cum Patre *etc.*

5° Legenda brevis et vera de beato Augustino venerabili episcopo (fol. 75r-78v).

Inc. *In civitate Hyponensi, provinciæ Africanæ, natale sanctissimi patris nostri....* Est compendium breve historiæ S. Augustini. In margine ad vocem *vera,* quæ legitur in titulo, manu seculi XVI adscripta sunt hæc verba : *fabulosa et mendax;* et deinde item in margine passim notantur errores undecim.

Subnectitur (fol. 78v-80v) narratio de coalitione omnium familiarum S. Augustini in unam, opera Innocentii IV et Alexandri IV, cum hac nota marginali : *somnia et nuga nugarum;* de habitu assumpto a B. Augustino post baptismum, cum hac nota marginali : *commentum falsissimum,* et paulo inferius : *fictitie.*

XLVII. Codex signatus nº 2376-81.

Foliorum 86 (quorum ultimum scriptura vacuum est), formæ minoris (0m, 22 × 0, 155), lineis plenis, exaratus seculo XV. Tituli minio descripti, item litteræ initiales, quarum nonnullæ sobrie decoratæ sunt, foliis aut aliis ornamentis albo colore intra crassiores earum partes insertis, tres vero (fol. 1r, 3v et 73v) ceteris ampliores magis ambitiose minio et cæruleo depictæ.

Manu ipsius librarii adjectæ sunt hæ notæ, videlicet fol. 78v (ad calcem prioris Passionis S. Eliphii) : *Per me fratrem Henricum captivum*, et rursus ad calcem alterius Passionis (fol. 85v) : *Per me fratrem Henricum captivum consummatum est hoc martyrium.* Præterea folio chartaceo insiticio in capite codicis duplici manu seculi XVII vel XVIII inscripta est altera hæc duplex nota : *Liber Monasterii S. Martini Maioris intra Coloniam* et *Scriptus per R. P. Henricum Zonsbeeck Coloniensem sub annum 1480. De eo Hubertus Stralensis in necrologio sui temporis.*

Magnam affinitatem habet iste codex vel saltem ejus maxima pars (fol. 1-73) cum priori parte codicis Gandavensis 289 (p. 4-126) (1), quibus nimirum omnia communia sunt, nisi quod Sermo Albini de S. Martino (2) in solo Gandavensi, et item Sermo Rathbodi (infra, 4º) in solo Bruxellensi legitur.

1º Sulpicii Severi scripta de S. Martino, videlicet Vita S. Martini cum Epistola dedicatoria ad Desiderium (fol. 1-17r), tres Epistolæ ad Eusebium, ad Aurelium et ad Bassulam (fol. 17r-23v) et Dialogi (fol. 23v-58v).

Edita apud Migne, P. L., tom. XX, p. 159-222, et in *Corp. Scriptorum ecclesiasticorum Latinorum*, tom. I (Vindobonæ 1866), p. 109-216.

2º De obitu, miraculis et translatione S. Martini (fol. 58v-61r).

Excerpta ex Gregorii Turonensis *Hist. Franc.*, lib. I, cap. 43 et *Mirac. S. Martini*, lib. I, capp. 4, 5, 6 (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 184-186 et p. 918-920).

3º De constructione basilicæ sancti Martini episcopi (fol. 61r-61v).

Editum apud Le Blant, *Inscriptions chrétiennes de la Gaule*, tom. I, p. 245.

4º Gemmatum opus Rathbodi sanctæ Trajectensis ecclesiæ famuli sancti Martini nomine coruscantis (fol. 61v-68r).

Narratio de Turonum civitate a Normannorum furore servata invocatione

(1) Cfr. *Analect. Bolland.*, tom. III, p. 181-183. — (2) Ibid., p. 182, 14º.

sancti Martini, edita apud A. Salmon, *Supplément aux Chroniques de Touraine*, p. 1-13 (Cfr. *Bibl. de l'Ecole des Chartes*, 3e série, tom. V, p. 388).

5° [Carmen de S. Martino] (fol. 68r-69v).

Eadem narratio seu potius declamatio, metro descripta. Inedita, ut videtur. Vid. Append.

6° [Versus quibus Turonibus exornantur monumenta in honorem S. Martini extructa] (fol. 69v-72v).

Editi apud Le Blant, tom. cit., p. 228-244, num. 166-183. — Sed in codice inscriptiones 171 et 172 in unam conjunctæ sunt, itemque 174 et 175 ac 182 et 183.

7° Sermo beati Martini de fide sanctæ Trinitatis (fol. 72v-73r).

Editus apud Migne, P. L., tom. XVIII, pp. 11, 12.

8° Passio S. Eliphii martyris patroni hujus monasterii (fol. 73v-78v).

Edita ex hoc codice in *Act. SS.*, ad d. 16 Oct., tom. VII, p. 812-815. Cfr. ibid., Comment. præv., num. 46 (p. 812).

9° Passio (altera) beati Eliphii martyris (fol. 79r-85v).

Passio auctore Ruperto, abbate Tuitiensi, edita apud Migne, P. L., tom. CLXX, p. 427-436.

Appendix ad cod. 2376-81.

DE S. MARTINO TURONENSI. (Cfr. eadem pag. 331, 5°.)

Martine, beate sacerdos,
Quem Christus ob ardua vitæ
Cœlestis ad æthera vexit
Meritorum culmine celsum,
En grex tuus, aspice, præsto est,
Tibi subditus ordine trino.
Mas, femina, sexus uterque
Hi vota * fidelia tendunt,
Nova per miracula tracti,
Fantes tua prælia nostris
Solemniter acta diebus.

Nam dum petulantia prolem
Genuit quam Gallia mater
Vitiisque immanibus aucta
Lues incentiva teneret,
Pervenit ad æthera clamor
Scelerum celeumata clangens
Quo se capitolia cœli
Graviter sensere moveri.
Vox attigit ista supernum
Mundo titubante senatum,
Qui protinus omnia regi
Censet referenda perenni.
Tunc rex ait : *Ite, feroces,*
Tela horrida sumite, gentes;
Gallos onerate periclis
Quos pessimus implicat error.

* *cod.* voto.

Æquam modo sentiat iram
Pietas quem fecit iniquum;
Homines ne prona voluptas
Impune per avia raptet.
Hæc jussa deinde sequuntur
Boreæ de parte Suevi,
Quos præscia carmina vatum
Quondam cecinere futuros.
Vocitans hos Francia Danos,
* *cod.* patrios. Patrio * cognomine dicit
Suevos et in arte duelli
Nimium pro tempore gnaros.
Hi dicta minacia primi
Capiunt ex ore Tonantis.
Opibusque animisque superbos
Adeunt denso agmine Gallos.
Flegos hinc inde necantes
Furiis incendia miscent,
Ut quod fuga dempserat ensi
Populans id sorbeat ignis.
Tunc sensit inepta juventus
Quod spreverat ante minarum.
Cum vulnera sæva videret
Nec præmia sanguinis ulla.
Jacet hic inhumatus arena,
Latet hic necatus in unda,
Pressatus at iste catenis
Luit inter vincula ferri.
* *cod.* lupos. Multos lupus * acer abhorret
Olidum temnendo cadaver;
Nec fœtida viscera corvus
Dignatur, ad integra tendens.
Deus, o Deus, aspice clades
Patitur quas gallica proles;
Paucisque per ampla relictis
* *cod.* hos. Tua jam clementia parcat.
Porro ut redeamus ad orsa,
Danus ferus omnia vastat,
Sequanæ Ligerisque per amnes
Classim quasi castra coaptans.

Sed dum redeuntibus annis
Semper nova damna redirent,
Jamjamque Neustria campos
Tribulis operiret ineptis,
Tandem legione globata
Adiit tua mœnia Danus,
Martine. beate sacerdos,
Quem Christus ad æthera vexit.
Urbs dicitur illa Turonos,
Cui dogmata clara dedisti;
In qua pretiosa tuarum
Fulget gaza reliquiarum.
Hanc hosticus impetus armis
Cingit, quatit, obruit, urget.
Crepitant saxa obvia saxis;
Emitur quoque sanguine palma.
Tunc quisque per oppida cursans
Ad certa pericula miles,
Paucos videt undique fratres,
Cum plurimus ingruat hostis.
Quid plura? Novissimus angor,
Spe cassus et irrita tentans,
Subita ratione palæstris
Sese melioribus aptat:
Precibus te flectere fusis,
Martine, beate sacerdos,
Famulis quo prævius assis,
Solito de more triumphans.
Ergo ad tua templa priores
Properant quos præmonet ordo.
Sequitur mox flebile vulgus,
Infans, anus ac veteranus.
Hinc psalmus et inde ululatus;
Hinc preces, lacrimæ inde fluebant.
Gemit hic, suspirat et ille.
Metus et dolor omnibus unus.
Ibi tum simul ore lugubri
Blaterant has * flendo querelas:
Martine, beate sacerdos,
Cur te placet esse soporum?
Aut quis tibi somnus inhæsit,
Dum nos mala tanta coartant?
Num victus es, aut ita lassus
Ne queas ut sternere Danos?
En cædimur, en spoliamur,

Capimur, strictimque ligamur:
Et tu, quasi nescius horum,
Hæc omnia negligis. Orans
Vigila, consurge, precamur,
Crucis ac vexilla prehende;
Et ut olim pondere pinus
Sic nunc sterne rebelles.

His questibus aure benigna
Mox annuis atque potenter
Tumuli consurgis ab antro,
Tua Danis robora monstrans.
Nam cum tua membra clientes
Raperent ex fauce sepulcri
Ferrentque ea turribus arma,
Totus simul horruit hostis.
Metus ilicet excutit artus,
Sanguis coeundo refugit;
Scotosis generata cerebro
Danos rotat orbe rotundo.
O mira potentia Christi,
Meritis o macte sacerdos:
Rutila non casside pugnas
Nec proteris ense Suevos,
Verum tuus agmina solus
Conspectus inertia reddit.
Globus omnis ut ebrius errat,
Te turris in arce locato.
Fugientibus ergo catervis
Capitum vertigo resistit.
Miseros sphera ludrica volvit
Gressu titubante caducos.
Hæc eminus aspicientes
Reparant sua prælia cives,
Portaque patente animosi
Simul exsiluere sodales.
Tum proxima rura cruoris
Maculant aspergine fusi;
Passim noniesque per agros
Centena cadavera sternunt.
Mox in sua mœnia læti
Repedant cum laude sonora,
Gratesque canendo rependunt
Parili modulamine Christo.
Sedenim tua protinus ossa
Martine, beate sacerdos,
Sic restituere sepulcro
Fuerant velut ante reposta.

His omnibus ordine gestis,
En grex tuus præsto est,
Famulans sub imagine trina.
Querulis te vocibus orat,
Quo sic tua mira loquentis
Placeant tibi famina plebis,
Ut te rogitante perennem
Valeant conquirere vitam.
Sit magnificentia Patri
Sublimis et ardua, Proli
Par gloria perpete seclo. Amen.

XLVIII. Codex signatus n° 2415-18.

Foliorum 76, formæ minoris ($0^m,225 \times 0,16$), lineis plenis atramento ductis, exaratus seculo XIV. Tituli minio descripti, litteræ initiales haud ineleganter rubris et cæruleis coloribus depictæ.

Folio insiticio in capite codicis inscripta est hæc nota manu seculi XV: *Liber monasterii Canonicorum Regularium Vallis Sancti Martini in Lovanio;* quæ et repetitur brevioribus verbis fol. 38v et iterum fol. 46v.

Præter opuscula quædam ascetica unum in eo codice continetur documentum hagiographicum, videlicet

Epistola beati Dionysii ad Timotheum de transitu beatorum apostolorum Petri et Pauli (fol. 70^r-76^r).

Edita supra, ex cod. 1900-5, p. 309-313 et apud Mombritium, t. II, ubi agit de apostolis Petro et Paulo, sed lectione sæpe a textu a nobis edito variante.

XLIX. Codex signatus n° 2475-81.

Foliorum 189 (præter duo insiticia in capite codicis), formæ minoris (0^m,20×0,14), litteris plenis, exaratus seculo XV. Tituli minio descripti, itemque litteræ initiales, quarum nonnullæ sobrie, sed satis perita manu ornatæ sunt.

In capite codicis (fol. insiticio 1^r) inscripta est hæc nota manu seculi XV : *Liber monasterii Canonicorum Regularium Vallis Sancti Martini in Lovanio ;* quæ repetitur brevioribus verbis fol. 101^v et fol. 189^v. Devenit postea codex ad Collegium *Societatis Jesu Lovanii*, quæ verba inscripta sunt manu seculi XVI, fol. 1^r.

Præter nonnulla opuscula ascetica, hæc tantum in codice leguntur documenta de S. Hieronymo :

Epistola de obitu beati Jeronimi per Eusebium ejusdem discipulum Damaso episcopo et Theodosio imperatori descripta (fol. 93^r-120^r).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 239-282. — Sed in cod. omm. cap. I-X cum init. cap. XI (usque ad *brevissime cupio reserare).*

[De miraculis S. Hieronymi] (fol. 184^v-189^r).

Fragmentum epistolæ Cyrilli, episcopi Hierosolymitani, editæ ibid., p. 289 sqq., scilicet capp. II, III.

L. Codex signatus n° 2493-98.

Foliorum 192 (præter insiticia quatuor in capite et tria ad calcem), formæ minoris (0^m, 21 × 0, 14), lineis plenis, exaratus seculo XV. Tituli minio descripti, litteræ initiales rubræ vel cæruleæ, nonnullæ minio et cæruleo satis perita manu depictæ et ornatæ.

Fol 1v in margine inferiori inscripta est hæc nota manu seculi XV : *Liber iste pertinet Bethleem monasterio prope Lovanium ;* quæ repetita est in fine totius codicis (fol. 195v). Præterea fol. 193v et 194r legitur mentio coronationis Lotharii III imperatoris instituta Leodii ab Innocentio III, R. P., dominica quarta quadragesimæ anni 1143, et indicantur viri genere illustres qui eo tempore clero Leodiensis ecclesiæ adscripti erant, inter quos occurrunt, præter Alexandrum episcopum, filium comitis Juliacensis, *filii regum legitimi novem, filii ducum* XIV, *filii comitum* XXIX et filii *baronum ac nobilium* septem, quorum singulorum nomina distincte recitantur. Denique fol. 195v descriptus est *Ordo beneficiorum in ecclesia sancti Lamberti Leodiensi.* Hæ notæ omnes etiam scriptæ sunt manu seculi XV, non tamen eadem quæ ipsum codicem descripsit.

1° Scripta Sulpicii Severi de S. Martino (fol. 2r-91r), quibus inserta sunt Gregorii Turonensis *Hist. Franc.* lib. I, cap. 43 et *Mirac. S. Martini,* lib. I, capp. 4, 5.

Eadem quæ recensita sunt primo loco supra in cod. 2376-81, (p. 330, 1°). Præmissa est hic (fol. 1v) laus Sulpicii Severi ex Gennadii libro de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 19 (Migne, P. L., tom. LVIII, p. 1072).

2° Vita et Passio beati Lamberti Tungrensis episcopi (fol. 96r-133v) (1).

Vita auctore Nicolao canonico Leodiensi, edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 602-617.

3° De translatione sancti Lamberti et miraculis ejus (fol. 133v-138r).

Narratio ordinata sicut in codice Gandavensi 562 *(Anal. Boll.*, tom. III, p. 214, 4°), nisi quod 1° illi præmissa sunt num. 57 et phrases secunda ac tertia num. 58 Vitæ S. Lamberti conscriptæ a Sigeberto Gemblacensi *(Act. SS.*, tom. cit., p. 600-601), scil. *His-transfixus est ;* 2° inter *major fuit* et *Sed quia* (cfr. *Anal.*, t. c., p. 216) inserta sunt hæc verba : *Alpaidis tamen pœnitentiam egit et monasterium construxit, in quo se pœnitentem reclusit.*

4° De vita et conversatione sancti Huberti ante episcopatum ejus (fol. 138v-140v).

Incipit : *Tempore quo Ebroini crudelitas...* Edita apud Joannem Roberti, *Historia S. Huberti* (Luxemb. 1621), p. 5-11.

5° Vita sancti Huberti decursu sui episcopatus, composita a Jona discipulo suo, postea episcopo, transmissa Walcando Leodiensi episcopo (fol. 140v-146v).

Non est ipsa Vita a Jona (qui discipulus S. Huberti non fuit) conscripta (ed. ibid.,

(1) Fol. 91v-95v vacua relicta sunt.

p. 20 sqq.) sed ejus compendium; cui et interpolata est (fol. 142[r]) narratio de fundatione Leodiensis civitatis diu post Jonæ ætatem conficta, his verbis:

Sanctus quoque præsul Hubertus sedem episcopalem ibi statuit, et de vico ignobili civitatem egregiam fecit. Civibus legem statuit; duas ecclesias solemnes ibidem instituit, Beati scilicet Lamberti et Sancti Petri apostoli. In monte etiam qui supereminet civitati, ædificavit ecclesiam in honore sanctæ Walburgis virginis : eo quod in illo loco beata virgo Oda, quæ requiescit in villa de Rode, filia regis Scotiæ, a nativitate cæca, ad memoriam sancti Lamberti lumen oculorum recepit. Civitati etiam beatus Hubertus nomen Leodium, quæ prius Legia vocabatur, imposuit; sextarium vini, bladi mensuras et diversorum mercimoniorum pondera disposuit, et monetam sui nominis impressione formavit. Sigillum civitatis, quod imaginem continet beati Lamberti martyris cum superscriptione tali : SANCTA LEGIA DEI GRATIA ROMANÆ ECCLESIÆ FILIA, fecit. Facta sunt hæc anno ab incarnatione Domini septingentesimo tertio decimo.

6° De prima translatione sancti Huberti (fol. 146[v]-148[v]).

Rursus ex lucubratione Jonæ (Roberti, op. cit., p. 56-62), nonnullis prætermissis vel in compendium redactis. Et subjungitur hæc brevis notitia de tempore et loco obitus et sepulturæ ejus :

Obiit beatus præsul Hubertus circa annum Domini septingentesimum tricesimum, tertio kalendas junii, qnamvis festivitas ejus recolatur tertio nonas novembris, quando scilicet sanctus Florbertus episcopus, filius ejus, præsente rege Francorum Karlomanno, anno a transitu ipsius sexto decimo, incorruptum corpus ejus de terra cum gloria elevavit. Obiit autem in Fura, villa Brabantiæ : qui locus obitus ejus distat a Leodio fere triginta miliaribus. Rogatu siquidem quorumdam nobilium quamdam basilicam dedicaturus Domino ibidem perrexerat. Et relatæ sunt exuviæ pastoris egregii ad civitatem Leodii et in basilica Beati Petri principis apostolorum, quam ipse beatus vir sua magnificentia construxerat, tumulatæ.

7° De translatione secunda corporis sancti Huberti, scilicet a Leodio usque ad locum qui Andagium nuncupatur (fol. 149[r]-151[v]).

Eodem modo desumptum ex Jona (ed Roberti, p. 63-71), at præsertim in fine admodum compendiatum.

8° Flores miraculorum beati Huberti episcopi et confessoris (fol. 151v-159r).

Referuntur hic ex miraculis 29 quæ edidit Roberti, op. cit., p. 72-112, miracula I, VI, XVIII et XIX, XXI, XXIII, XXIX, XV. — Sed inter hæc duo ultima quædam inserta sunt quæ apud Roberti non leguntur et ideo hoc loco in Appendice exhibere visum est. In fine refertur brevissime apparitio cervi qua S. Hubertus e liberiori vita conversus in recentioribus legendis passim refertur.

9° Vita sancti Servatii Tungrensis episcopi (fol. 160r-175v).

Vita fabulosa, contracta, ut videtur, ex prolixiori Jocundi lucubratione.

10° De excidio Galliæ quod prædixit (fol. 175v-178r).

Brevis historia invasionis Hunnorum in Galliam, quam scilicet prædixit S. Servatius (cfr. Greg. Tur., *Hist. Franc.* lib. II, cap. 5) et reliquorum quæ de Attila illorum rege feruntur usque ad hujus mortem, ac deinde restaurationis civitatis Tungrorum cum successione episcoporum usque ad S. Hubertum, qui Servatii corpus transtulit.

11° De translatione S. Servatii (fol. 178r-180v).

Narratio desumpta, omissis scilicet subinde nonnullis sententiis, ex ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 13 Maii, tom. III, pp. 217, 218, numm. 29, 30. — In cod. hæc addita leguntur : *Recolitur hæc translatio solemnis annue cum reportatione earumdem reliquiarum stupenda de Saxonia septimo idus junii mensis. Fama rerum Karolum attigit. Karolus impendio hilaratus secuti veris paschalem festivitatem Trajecto agere decrevit. Actumque est et in sacratissimæ noctis vigiliis*, etc., ut legitur tom. cit., p. 219, num. 34, usque ad *antea vinctus*.

12° Ex pluribus aliqua subsequuntur miracula S. Servatii confessoris (fol. 180v-183r).

Nimirum de templo Trajectensi ab incursantibus Danis miraculose servato (*Act. SS.*, tom. cit., p. 219, num. 34 extr.); de corpore S. Servatii Quedlinburgo Trajectum relato (ibid., num. 35); de milite ad vitam revocato (ibid., p. 225, num. 56-58); de sacerdote a S. Servatio in morte visitato (ibid., num. 59); de fratre Odæ sanctimonialis Nivellensis (ibid., num. 60). Tandem quædam referuntur de clave S. Servatii furto ablata, dein miraculo reperta ac in integrum restituta.

13° Vita sancti Materni primi Tungrensis episcopi (fol. 184r-192r).

Hæc Vita sequenti ratione concinnata videri potest. Exordium scilicet constat ex iis quæ leguntur in Vita SS. Eucharii, Valerii et Materni, auctore Goldschero (edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Jan., tom. II, p. 918 sqq.), num. 1-6 init. (usque ad *Treviros pervenerunt) :* quibus statim, suppressis quæ in eadem lucubratione narrantur num. 6-14 med., subjungitur conversio Trevirorum iisdem verbis quibus

refertur a Goldschero num. 14 med., et mentio generalis miraculorum a tribus sanctis patratorum, ut ibid. num. 16 init. (usque ad *omnes languores curabant).* Reliqua vero quæ de SS. Euchario et Valerio leguntur apud Goldscherum (num. 16 init.-21) contracta sunt his paucis verbis :

> Igitur beatus Eucharius primus Treverorum episcopus, provectæ jam ætatis factus, nocte quadam apparente sibi angelo decessum suum didicit imminere, et ecclesiam Christi beato Valerio commendavit. Deinde post felicem obitum beati Valerii pontificis Treverensis, sanctus Maternus tertius in urbe Treveri pontificalem suscepit apicem, a beato Valerio divina revelatione provectus.

Jam, quod ad ipsius S. Materni pontificatum spectat, pro iis quæ refert Goldscherus num. 22, longe plura de virtutibus illius ex aliis fontibus vel traditione tradit anonymus noster : quæ subjuncta Appendix mox integra exhibebit.

Sequitur relatio de morte Materni, iisdem verbis sicut apud Goldscherum, numm. 23 et 24 (præter ultimam phrasim de exequiis).

Denique ejus exequiæ seu potius contentiones circa corpus fuse describuntur apud anonymum : quam descriptionem, quum omnino desideretur apud Goldscherum, hic etiam in Appendice vulgandam duximus.

Appendix ad cod. nº 2493-98.

DE S. HUBERTO, TUNGRENSI EPISCOPO. (Cfr. pag. præc., 8º.)

Beati itaque Huberti speciali merito in sæpedicto monasterio habetur singulare quoddam privilegium probatæ virtutis, ut, si quis infectus morsu rabidi canis aut lupi aut cujuscumque insanientis animalis illo confugiens, immisso sibi auro ex stola sancti pontificis Huberti in vertice incisi capitis ritum ejusdem incisionis servaverit, sine dubio evadet periculum certissimæ mortis. Et ut per excessum vera probemus esse quæ dicimus, vidimus ipsi nostris temporibus duos juvenes de pago Hasbanico qui, infecti a quodam cane rabido, ne ad merita beati Huberti confugerent seducti sunt a quodam presbytero. Promisit enim eis quibusdam incantationibus et medicamentis mederi; acceptoque inde commodo, fecit eos cessare domi, confugientibus aliis ad patrocinium beati Huberti, qui videlicet ab eodem cane fuerant infecti. Quibus sanis domum regressis, prædicti duo juvenes furiis et doloribus vexati cœperunt insanire, ut lupi ululare, ut canes latrare; vixque a suis ad beati pontificis monasterium deducti ibidemque horribiliter expirantes videntibus et audientibus maximum incusserunt horrorem.

Ex dono Karlomanni regis habet ecclesia Andaginensis sancti Huberti quoddam psalterium ex toto auro scriptum. Hoc quandoque psalterium fuerat furatum et

apud civitatem Tullum venditum, quasi securius ibi celandum. Divina tamen dispositio restituit illud hoc modo. Mater domni papæ Leonis noni venale illud inveniens emit et eidem filio suo, tunc dicto Brunoni, ut in eo psalmos addisceret, dispensavit. Sed cum in alio quolibet psalterio plane legeret et facile quod legebat redderet, in illo tantum tales incurrebat offensiones, ut nimio videretur labore ab ipsa lectione penitus deficere. Volebat enim Spiritus sanctus, cujus electionis vas idem puer erat futurus, ne alicujus sacrilegii contagio vel ignoranter contaminaretur. Mirante vero matre sic filium suum in prædicto psalterio adversari, audivit vulgante fama fuisse illud ecclesiæ sancti Huberti prædictæ et cum multiplici anathemate per diversas regiones continuam ejus fieri quæstionem : nec diu morata devota femina ad monasterium præfati sancti venire festinavit, puerumque Brunonem secum deducens absolutionem hujus suæ ignorantiæ humiliter imploravit, et psalterium loco suo restituit. Obtulit etiam pro satisfactione librum unum sacramentorum.

DE EPISCOPATU S. MATERNI. (Cfr. supra, pag. 337, 13°.)

1. Assumptum itaque pontificatus officium beatissimus Maternus multis laboribus administrat, et super vires corporis et animæ diebus ac noctibus in divino servitio perstabat. Partem noctis minimam indulgebat somno; quod supererat tempus, in vigiliis, orationibus et lacrimis consummabat. Diem vero tam modico refocillabat cibo, ut potius videretur jejunus esse quam pransus. In iis etiam quæ gustabat, quid saperent nesciebat : tota quippe anima ejus, vires et sensus in contemplatione suspensi erant; unde quid comederet non sentiebat. Exhortatio ejus prudens et sufficiens ad confutandum omnis hæreticæ pravitatis errorem. Sermo suavis, eloquium omni caritate dulcoratum, quod indignationem non pareret, sed potius attentionem, docilitatem et benivolentiam provocaret. Talis erat sanctitate et moribus, quod in ejus corpore loqui, agere, vivere et inhabitare angelus crederetur. Unde quidquid fermenti veteris superstitionis ad sua perduraverat tempora in civitate Treverensi, suis ipse prædicationibus et multis signorum miraculis expurgavit.

2. Quodam autem tempore, dum acrius in profanos templi sacerdotes Dei verbum proponeret et non haberent quid illi coram populo responderent, quidam dictorum sacerdotum erroribus assentientes manus impias in sanctum Dei mittere et illum trahere et cædere cœperunt usque ad mortem. Et ecce quidam infirmus de turba clamavit : *Materne, serve Dei, roga Deum tuum ut sanet me.* Et ille : *Deus,* inquit, *meus salvet et sanet te.* Qui sanatus continuo et erectus cœpit Jesum Christum benedicere, commendare pontificis sanctitatem et populi infidelis duritiam exprobrare. Ad miraculum hujus facti pluribus in civitate conversis, liberatus est vir Domini sanctus a morte et illi a mortis perpetuæ damnatione.

3. Cœpit denique beatus pontifex Maternus per civitates et regiones veram fidem quæ in Christo est prædicare et cunctos ad viam salutis assidua admonitione

provocare, magnis virtutibus quotidie crescere, signis ac miraculis longe lateque clarescere; et quanto quotidianis incrementis fidelium multitudinem plus augeri conspexerat, tanto diligentius injunctum sibi ministerium regulariter ordinare studebat. Adiit igitur divina sibi revelante gratia duas civitates contiguas, Agrippinam scilicet Coloniam et Tungrim, quam dicunt Octaviam. Contra has pugnaturus beatus præsul Maternus, vexillo crucis armatus et cupidus pro Christo mori, omnium se odiis et gladiis exposuit. Tandem post multas quas ab idolorum pontificibus perpessus est persecutiones, pondere veritatis et cœlestium splendore signorum omnes ad Christum convertit. Cum ergo beatus Maternus Agrippinenses et Tungrenses ad fidem Christi convertisset, iis tribus civitatibus, Treverensi, Coloniensi et Tungrensi, pontificali jure præsedit : in quibus singulis angelo ducente miraculose fertur uno eodemque Natalis Domini die missarum officia celebrasse.

DE EXEQUIIS S. MATERNI. (Cfr. supra, pag. 337, 13°.)

1. Cum igitur in urbe Coloniensi beatus Maternus, revelantibus sibi sanctis collegis suis Euchario et Valerio, diem scisset, ut præfertur, imminere sibi postremum, de statu ecclesiæ ac successoribus omnia diligenter et provide ordinavit, summa rogans affectione omnes qui aderant quod corpus suum post obitum Treverim delatum, si Deus annueret, sanctorum antecessorum corporibus coaptatum jungeretur, ut quibus in hac vita cor unum erat et anima, eosdem una jungeret sepultura. Divulgato igitur ejus obitu, Treverenses et Tungrenses, coactis in unum suo populo et vicinis, Coloniam in armato exercitu concurrunt, sancti viri corpus devotis precibus et minis cum omni instantia postulantes. Et cum multa esset altercatio inter eos, Agrippina Colonia defendebat apud eos non fuisse mortuum, si non ibi voluisset habere sepulcrum. Treverenses autem dicebant quod non Coloniensibus, non Tungrensibus, sed solis Treverensibus a beato Petro apostolo erat missus. Tungrenses plangebant quod novella ipsorum erat ecclesia et ad pristini erroris perfidiam reditura, si sancti corporis fieret solatio destituta. Seniores vero civitatum istarum et clerus, qui cum ipsis advenerant, ad concordiam pro viribus laborabant, metuentes ne calor inconsultus animorum manum mitteret ad gladium et quod pio conceptum erat proposito, impietatis insania turbaretur, si pro unius sancti morte generale immineret exitium et strages multitudini universæ.

2. Multis igitur inventis modis qui facere ad sedandam discordiam videbantur, nullus videbatur congruere, multitudine de exercitibus una semper reclamante. Tandem cum circa hæc plurima variarent, Colonienses hoc dederunt consilium quod sanctum corpus cum debita diligentia et honore conditum dignam apud eos acciperet sepulturam, incineratum vero post aliquot annos divisum tribus præfatis civitatibus secundum bonorum virorum arbitrium traderetur, ne quos vivus dilexerat ut filios, videretur in morte desolatos et orphanos reliquisse. Bene

placuit Tungrensibus hoc consilium; Treverensibus autem id displicuit, nec ad id aliquatenus potuerunt induci. Dicebant enim hoc dolo et fraude Colonienses dicere et quod malernum pro Materno vellent dare. Immo stultum esse referebant et fatuum, si dimidium facerent quod de jure suum erat totum. Cum itaque in hanc formam Treverenses induci non possent, Tungrenses dixerunt : *Dilectissimi, quare contendimus? Nos omnes fratres sumus, hujus patris nostri per regenerationem filii. Fraterna dilectione hucusque invicem nos dileximus et antiqui fœderis indissolubili vinculo constringimur alligati. Non metiamur vires corporum, non armorum potentiam; sed invocemus divinæ voluntatis arbitrium, quæ fortior et potentior nobis est et cui resisti non potest.* Et his dictis tacuerunt. Rogati ut procederent et dicerent si quid eis Dominus revelasset, adjecerunt : *Ponatur beatus Maternus, pater noster, in navi, et ipsa cum corpore relinquatur. Sit ejus gubernator sola divinæ miserationis moderatio. Et si illa ducente ad ripam Coloniensem redierit, Colonienses corpus habeant; si cum cursu aquarum descenderit, Tungrenses sancto corpore et munere divino gaudeant; si vero ascenderit, Treverenses divina eis opitulante gratia et miraculo et sacri corporis thesauro læti existant. Et sic cessante discordiæ periculo dilectionis integritas et sancta fraternitas in debita permanebunt sinceritate, nec aliquid fiet contrarium ordinationi divinæ.* Ad hæc verba Treverorum exercitus inflammatus: *Non habemus*, inquit, *hodie nisi verba et irridenda consilia. Pro nobis est justitia, sint et arma. Arma dent quæ justitia negat.* Dum sic fremerent in exercitu, sacerdotes eorum, viri sancti, convocare cœperunt senatores et principes civitatis suæ, modis omnibus persuadentes quod se totos committerent voluntati divinæ. Non esse pugnandum armis; sed nec est dubium quin vir sanctus sepulturam elegerit apud eos. Tungrense consilium divina inspiratione datum esse. Sanctum virum non solum velle civitatem Treverensem suo illustrare sepultura, sed etiam præsenti miraculo Coloniensibus et Tungrensibus declarare quanta Treverenses affectione diligeret et amore.

3. Convenientibus tandem in hanc formam omnibus, cum summa admiratione rei dubius expectabatur eventus. Processuri fine proposito, hic stupescimus et hæremus. Quis enim non miretur et stupescat de magna Dei misericordia? Quid est homo nisi cinis et vermis? Et quæ illius merita, ut ipsius cineres tanta gloria Dominus magnificare dignetur in terris? Sane nave deposita in medio flumine, ipsa vere cœlesti agitata remigio, contra cursum aquæ ascendebat per milliare magnum illius terræ. Sequebantur Colonienses et Tungrenses in lacrimis; Treverenses vero in voce exaltationis Jesum Christum et beati patris sui merita collaudabant. Emenso autem spatio quod diximus, ad ripam per se navis applicuit, ubi continuatis hinc exultatione et gaudiis, illinc planctu, clamore et lacrimis per unius horæ spatium, ecclesiam ædificare constituerunt, quam ex eo quod evenerat nominaverunt ecclesiam flentium. Ibi, Coloniensibus et Tungrensibus ad propria redeuntibus, Treverenses sanctum corpus cum hymnis et laudibus deferentes, illud juxta corpora Eucharii et Valerii posuerunt, sepulturam ipsius cum honore quo decuit exhibentes. Procedebat autem a corpore sancti

viri odor miræ suavitatis et gratia sanitatum, ita ut multi a suis languoribus curarentur.

4. His ita gestis, amissi sancti patris dolor Colonienses et Tungrenses de die in diem vehementius affligebat, adeo ut rupto fœdere quod eos alligaverat ab antiquo, extraneorum se amicitiis et auxiliis copularent et loca media in præda et devastatione perirent. Super quo tractatu habito diligenti, sicut Domino placuit, talis inter has civitates conventio turbationi finem imposuit, ut sanctus ille prædictus beati Petri principis apostolorum baculus divideretur et partem superiorem, quæ manu teneri consuevit, Colonienses acciperent, Treverenses vero virgam baculi integram retinerent. Cum autem Tungrenses ipsius baculi saltem aliquam partem supplicarent sibi dari, nec ad hoc Treverenses possent induci, de consilio prudentium ita provide ordinatum fuit, ut Tungrensibus daretur beati Materni baculus, quo ipse uti consueverat in officio pastorali. Acceptam habuerunt et gratam prædictarum civitatum præsules et rectores ordinationem istam; et ad pristinæ dilectionis fœdera redeuntes, illa novis obligationibus et nexibus confirmari statuerunt. Et ita factum est.

5. Sedit autem beatus Maternus in episcopatu Treverensi annis quadraginta, annis sane totidem quot diebus ipse ante jacuerat depositus in sepulcro. Successit illi Navitus, ejus discipulus, quem propriæ vitæ sanctitas et magistri electio in extremis commendabilem et probatum reddiderunt officio pontificali. Consummatis igitur quæ de hoc viro sancto Treverorum gesta et digna patrum memoria colligenda et tradenda per se litteris postulabant, videlicet quomodo divina gratia beati Materni labores honestavit, adornavit tempora, obitum mirificavit, ne nimis videar affluere, his quæ dicere proposui finem ipsa præsenti brevitate imponimus. Id autem indubitatum omnes habeant, quod multa per hunc sanctum virum acta sunt quæ tamen scripta non sunt, quædam etiam perdita cum scripto sunt. Miraculorum quæ per eum operatus est Dominus multus est numerus, laboris ejus indefessa virtus, profectus indeficiens, sed sufficiens et proficiens ad salutem, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

LI. Codex signatus n° 2529-32.

Foliorum 236, formæ minoris (0^{m},21 × 0,14), lineis plenis, exaratus seculo XV. Tituli minio descripti, itemque litteræ initiales, nullis ornamentis.

Folio insiticio in capite codicis inscripta est hæc nota manu seculi XVI : *Hic est liber domus Capellæ Beatæ Mariæ juxta Augiam.*

1° Vita beati Silvestri papæ (fol. 1^{r}-32^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed in codice quædam subinde omissa sunt.

2° S. Gregorii Magni dialogi quatuor (fol. 33^r-125^v).

Editi apud Migne, P. L., tom. LXXVII, p. 150 sqq.

3° Vita almi confessoris Francisci edita a fratre Bonaventura doctore seraphico (fol. 130^r-236^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Oct., tom. II, p. 742-798.

LII. Codex signatus n° 2720-22.

Foliorum 159, formæ minoris (0^m,25 × 0,16), lineis plenis stylo plumbeo ductis, exaratus seculo XIII. Tituli minio descripti, itemque litteræ initiales, quæ sobrie et atramento decoratæ sunt, duæ vero (fol. 1^r et fol. 139^v) magis ambitiose variis coloribus et prior etiam auro distinctæ, sed rudi arte.

Præter sermones sacros continentur in eo codice :

1° Gesta Salvatoris Domini nostri Jesu Christi inventa a Theodosio imperatore in Jherosolima in prætorio Pontii Pilati in codicibus publicis (fol. 139^v-154^v).

Edita apud Fabricium, *Codex apocryphus N. T.*, p. 238 sqq. — Sed in codice non paucæ notari possunt variantes lectiones, et præmittitur hæc præfatio :

Factum est in anno xviiii imperatoris Tiberii Cæsaris Romanorum et Herodis filii Herodis regis Galilææ, anno xviiii principatus ejus, viii kl. aprilis, quod est xxi die mensis martii, consulatu Rufini et Rubellionis, in anno iiii ducentesimæ olympiadis, sub principatu sacerdotum Joseph et Caiphæ et quanta *(sic)* post crucem et passionem Domini, historiatus est Nichodemus acta a principibus sacerdotum, et reliquis Judæis mandavit ipse Nichodemus litteris hebraicis.

2° Notificatio qualiter Tiberius Cæsar pro ipso Jherosolimam direxerit (fol. 154^v-159^r).

De hoc tractatu ita Henschenius (1) : *Multa displicent in eo tractatu, fortassis ab aliquo ex relatione S. Methodii mox danda similive historia depravato, ejusdemque generis cum tractatu præcedenti ejusdem codicis, cui illum compilator ut appendicem in titulo conjunxit.*

(1) *Act. SS.*, tom. I Feb., p. 450, num. 4.

LIII. Codex signatus n° 2740.

Foliorum 120, formæ minoris (0^{m},205 × 0,14), lineis plenis stylo plumbeo ductis, exaratus seculo XIV. Tituli minio descripti, litteræ initiales minio vel cæruleo, nonnullæ sobrie ornatæ, prima vero omnium (fol. 1^{r}) magis artificiose et quidem admodum perita manu.

Tabella tegumento exteriori in capite codicis affixa (omnino eadem ratione qua codici 581 ; cfr. supra pag. 251) exhibet hunc titulum, manu seculi XIV : *Actus fratrum Predicatorum. In Korssendonck.* Ejusdem ætatis sunt notæ quæ leguntur in folio insiticio in capite codicis : *Liber Canonicorum regularium [in Korssendonck] prope Turnhout partium Brabantiæ* et in fine totius scriptionis (fol. 120^{r}) : *Scriptus ac finitus per manus fratris Adriani Pauli de Antverpia.* Manibus vero recentioribus, seculi XVI et seculi XVII, debentur notæ quæ inscriptæ sunt foliis interius tegumento agglutinatis, videlicet in capite codicis numeri *X. 5* et *167,* ad calcem vero : *Mathias a Bakell Turnoutanus. Anno 1602,* et recentiori etiam in folio insiticio verso : *Canonici Regulares de Corssendonck me utuntur.*

Continentur in eo codice, ut inscriptione supra citata indicatur :

Actus Fratrum Prædicatorum.

Liber videlicet Gerardi de Fracheto *De vitis fratrum,* de quo cfr. quæ diximus in codice Gandavensi 534 (1). Jam si conferatur codex noster cum editione R. P. Cormier prelo, ut aiunt, autographico expressa, quæ recens prodiit Massiliæ (1875, in-4°, pp. 256), imprimis advertitur omnino diversam in codice reperiri divisionem partium et capitum : nam quum totus liber Gerardi in editione P. Cormier, sicut in Duacena et in codice Gandavensi, quinque partibus contineatur, in codice distinguuntur partes non minus viginti sex, præter ultimam, qua refertur *Chronicon Ordinis,* quod vulgo Gerardi lucubrationi adnectitur. Propius deinde inspicientibus facile constat in codice descriptas tantummodo esse editionis Cormerianæ partes IV (cod. part. II-XVIII) et V (cod. part. XIX-XXVI) et præterea ex parte I cap. 1-5 (cod. part. I), non paucis (in hac prima parte) prætermissis vel in compendium redactis. — *Chronicon Ordinis* integrum subjicitur ut in editione Cormeriana, sed illi subjuncta non sunt *Addita post compilationem prædicti libelli* et alia quæ in ea editione leguntur, p. 231-251.

(1) *Analect. Boll.,* tom. III, pp. 209, 210.

LIV. Codex signatus n° 2750-65.

Magna ex parte palimpsestus, foliorum 186, formæ minoris (circiter 0m,23 × 0,15), lineis plenis, exaratus variis manibus et quidem diversorum temporum, ita tamen ut documenta hagiographica, quæ mox recensebimus, scripta sint seculo X, præter Vitam S. Hieronymi, quæ debetur manui seculi XI. Tituli litteris capitalibus et fere minio sive toti sive ex parte descripti sunt; minio etiam designatæ pleræque litteræ initiales documentorum, nullis tamen ornamentis insignes, præter duplicem, exordio scilicet Vitæ S. Severini itemque S. Mauri (post prologum et indicem capitulorum).

Cujusnam monasterii fuerit codex, nulla nota ei inscripta indicatur; sed Stabulensem fuisse non improbabiliter inde colligi potest quod nonnulla diplomata continet (fol. 81v-89v) ad monasterium istud et ad Malmundariense spectantia. Præter hæc diplomata (de quibus videsis Pertz, *Archiv.*, tom. VII, pp. 841 et 835, ubi codex *Chartularii Malmundariensis* titulo insignitur), exhibet S. Ephremi homiliam de futuro judicio, Reginonis opuscula de arte musica, S. Gregorii M. expositionem in Canticum Canticorum, et duplicem homiliam in festivitate Omnium Sanctorum, ac denique nonnulla hagiographica, quorum jam recensio sequitur.

1° Vita sancti Hugberti episcopi (fol. 78r-82r).

Exordium Vitæ auctore Jona, editæ apud Joannem Roberti, *Historia S. Huberti*, p. 11 sqq., scilicet a cap. 1 *(Post gloriosum...)* usque ad med. cap. 5 *(... a sanguinis humectatione vene ac nervis)*, in octo vel novem lectiones distributum.

2° Vita seu transitus sancti Gregorii papæ urbis Romæ, mense martio (fol. 89v-104v).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 130-137.

3° Vita S. Hieronimi presbyteri (fol. 105r-111v).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 175-184.

4° Vita S. Severini Coloniensis episcopi et confessoris (fol. 138r-153v).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 23 Oct., tom. X, p. 56-63.

5° Vita beatissimi Mauri monachi... (fol. 154r-186v).

Vita auctore S. Fausto, edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1039-1050.

LV. Codex signatus nº 2848.

Foliorum 182, formæ minimæ ($0^{m},17 \times 0,12$), lineis plenis graphide ductis, exaratus seculo XIV. Tituli minio descripti sicut et litteræ initiales, nullis ceterum ornamentis insignes, præter duplicem, exordio scilicet prologi et exordio Vitæ post indicem capitulorum, haud ineleganter decoratum.

Summo folio 1r inscripta est hæc nota manu seculi XVII : ***Bibliothecæ Martinianæ Lovanii.***

Totum codicem complet

Vita religiosæ virginis Coletæ, Ordinis sanctæ Claræ, matris ac reformatricis ejusdem Ordinis.

Vita auctore Petro a Vallibus, edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 6 Martii, tom. I, p. 539-587. Cfr. ibid. Comment. Præv., num. 4 (p. 533).

LVI. Codex signatus nº 2864-71.

Foliorum 182, formæ minoris ($0^{m},18 \times 0.13$), lineis plenis stylo plumbeo ductis, exaratus seculo XV. Tituli minio descripti sunt, sicut et litteræ initiales, nullis ornamentis.

Folio insiticio in capite codicis inscripta est ex parte recta numerus **6** et ex parte versa hæc nota manu seculi XV : *Liber monasterii sancti Pauli in Zonia sive Rubeævallis : reddatur ei*, et rursus fol. 177r : *Liber monasterii Rubeævallis in Zonia prope Bruxellam.* Præterea fol. 77r, in fine Vitæ B. Angelæ : *Explicit anno Domini* M.CCCC.IX. *circa festum Omnium Sanctorum per manus fratris Arnoldi dicti Cortle.*

1º Vita beatissimæ Angelæ de Fulgineo (fol. 1r-77r).

Hæc Vita, res narratas quod spectat, convenit cum Vita edita in *Act. SS.* ad d. 4 Jan., tom. I, p. 186 sqq. ; sed inspecta narrationis serie colligitur codicem pertinere ad eorum familiam qui referunt Vitam priorem, conscriptam a fratre Arnoldo (cfr. tom. cit., p. 186, num. 1). Unde forte aliquando in *Analectis* nostris edenda erit.

2º Vita fratris Rogerii (fol. 80r-94r).

Fratris Rogerii, quem decessores nostri inter prætermissos ad diem 15 septembris reponendum consuerunt, meminit Arturus a Monasterio hac eadem die in *Martyrologio Franciscano.* Ex Vita, nunc primum in Appendice ad descriptionem hujus codicis typis vulgata, desumpsit Waddingus ea quæ de viro virtutibus insigni

tradit in *Annalibus Minorum* ad ann. 1287, quo creditur vita functus. Quod tamen aliunde constare oportet: nam de anno emortuali silet Vitæ auctor. Nostra ætate cl. v. Adrianus Leclerc in celebri opere cui titulus *Histoire littéraire de la France*, tom. XXI, p. 591, fatetur sibi Vitam Rogerii manuscriptam ad manum non fuisse : unde tam de ipso venerabili viro quam de Vitæ auctore scripsit iis nixus quæ apud Waddingum et alios Ordinis Seraphici historiographos leguntur.

Quod si quis inquirat cur Rogerii Vita, nondum solemni judicio inter sanctos relati, *Analectis* nostris inseratur, facilis erit responsio. Neque enim historia venerabilium virorum qui et in vita et post mortem eximia sanctitatis fama celebrati sunt, a re hagiographica omnino aliena videri debet, quum præsertim his temporibus non raro factum sit ut per sententiam quam dicunt confirmationis cultus Sancta Sedes jam eis cœlitum honores tribui siverit. Itaque et inter *Acta Sanctorum* non raro hujusmodi documentis a majoribus nostris locus datus est. — Et idem judicium esto de subsequenti Vita Ven. Elisabethæ de Erkenrode et de libello *De viris illustribus Viridis vallis* (infra cod. 2926-28).

3° Vita Elisabeth sanctimonialis in Erkenrode, Ordinis Cisterciensis, Leodiensis diœcesis (fol. 94^v-109^v).

Vita auctore Philippo, Clarævallensi abbate, gallico sermone edita Leodii anno 1650, nondum tamen, ut videtur, secundum primigenium textum vulgata. Unde eam hic in Appendice exhibendam duximus. De venerabili Elisabetha sermo fuit in *Act. SS.* ad d. 19 octobris, inter prætermissos.

Appendix ad cod. 2864-71.

DE VENERABILI FRATRE ROGERIO, O. S. FR. (Cfr. pag. præc., 2°.)

Incipit prologus de vita fratris Rogerii.

1. " Unice (1) sibi caro in Domino Jesu, suo fratri, reverendo patri [Raymundo " Petri (2)], frater Rogerius, ejus totus servusque indignus, Dei sui beatificam cari- " tatem. — Manu propria scribo tibi, frater carissime, neque id quod tibi, care, " communicat familiaris caritas Dei mei, ad aures perveniat alicujus. Hoc enim " firmiter tibi præcipio, quod superbiam non reputes seu imperium dominandi, " sed cautelam potius subsistendi: ne modo aliquo vel ratione ulla quæ tibi " scribo seu ullum scriptum ipsum alicui manifestes. Unanimiorem enim habeo

(1) Exorditur hæc relatio sic ab epistola statim post rubricam PROLOGUS. — (2) Hoc nomen quod hic omnino omittitur in codice, invenitur infra num. 10.

“ te præ ceteris : quare hoc potius duxi [1] revelandum, et quia animam tuam talibus divinis operationibus, scilicet ex Deo, didici fore promptam. Hoc est ergo quod tuæ dilectæ indico caritati. Noveris quod in nocte Epiphaniæ Domini, septem diebus recens post festum sancti Silvestri, cum frater quidam quem nosti minime vigilia fatigatus quiesceret, astitit ei quondam Montispessulani lector, laudabilis memoriæ frater Bertrandus. Cui frater, ac si de itinere venisset, gratanter ac lætanter occurrens eum gratissime salutavit et ei se osculo caritatis sociavit. Intuens in eum postea quem tamquam peregrinantem itinerantem susceperat, utique certissimo lumine judicavit ita quod certus de ejus beatitudine inter alia tamquam ab eo qui eum certum poterat reddere fiducialiter et gaudens quæsivit, pro se seu sibi desiderans quod in eo cernebat : *Frater Bertrande,* inquit, *et ego quando moriar?* Cui, sive ad quam vocem : *Certissime,* respondit, *hoc anno,* inquit, *morieris, ante tempus beati Silvestri. — Quomodo?* dicebat, *his diebus? Nondum enim diu fuit festum beati Silvestri.* Ad quam vocem ipse : *Certissime ita erit,* inquit, *quia ante festum beati Silvestri morieris.* Adjecit etiam frater quærere, dicens : *Dicatis mihi, frater Bertrande, estne diffinitum penes Deum me fore salvandum?* Cui ipse : *Communi,* inquit, *sanctorum judicio decretum est te fore salvandum seu vita æterna dignissimum.* Cui postea videbatur quod pararet se frater Bertrandus ad celebrandam missam. Qui cum aspectui ejus subtractus esset, adductus est frater, licet qualiter ignoret, in templum Dei, in quo super altare Dei, quod miræ erat pulchritudinis, vidit sanctos secundum ordinem astantes. De quorum medio unus præcipuus seu excellentior surgens, præcinxit se stola seu pallio admirabiliter : qui Deo humiliter supplicans et reverentissime se inclinans accepit, fratre cernente, hostiam sanctam et eam sanctis omnibus ministravit ; in quibus hostiis quibuslibet [2] frater prædictus quasi credebat corporaliter videre Christum suum. Postquam autem expletum esset sanctorum ministerium, venit unus a dextris altaris et quæsivit conditiones fratris ab eodem. Cui cum humiliter respondisset, accepit sanctus hostiam sacram et legit superscriptionem ejus. Qua lecta : *Ista,* inquit, *est pro te ;* quod sic per illum sanctum ministratum est fratri, sicque cum sanctis communem cibum accepit. Visione autem disparente, ad quasdam moniales infirmas in Christo visus est sibi mitti, ubi eis verbum Domini prædicaret. Visionem autem auditam mente pertracta, ut ex ea tenebrarum mearum illumines densitatem. Quod etiam tibi præcepi, ne vel rem vel scriptum alicui ostenderes, non credas propter hoc visionem mihi hujusmodi accidisse ; sed nolo talium novus auctor seu seminator videri. Valeas ab eo. Amen. „

2. Primo, sicut ipse dicebat, per revelationem intravit. Statim autem ita totaliter est conversus, mutatus, ut vere pro eo posset dici quia hæc mutatio dexteræ Excelsi. Videtur autem Dominus processisse sive egisse cum eo sicut cum angelis, eo quod non multo post conversionem suam adeo graviter tentari permissus est quod, sicut ipsemet dixit bis vel ter confessori suo, et semper

[1] *cod.* dixi. — [2] *cod.* quilibet.

tremens et pavens ex recordatione sola, quod non posset esse major sub Deo tentatio. Divino autem consilio vicit homo ille (ille enim erat modus ejus loquendi, cum de se loquebatur), vicit, inquam, illam tentationem. Post cujus victoriam, sicut ipse dicebat, tanta ei gratia et in tanta copia collata est quod nunquam deinceps potuit peccare mortaliter. Nam, sicut ipse dicebat, quam cito videbat tentationem, vel motum mentis vel in modico inordinatum, tam cito extinguebatur : quod etiam confessor suus bis probavit. Hoc etiam, scilicet quod deinceps non peccaret mortaliter, fuit pluribus aliis revelatum. Verum ipsam tentationem noluit, licet multum rogatus, indicare. Dixit etiam quadam vice, dum confiteretur generaliter et vellet dicere de insufficientia contritionis: *Confiteor*, inquit, *non plene me satisfecisse Deo secundum exigentiam peccatorum meorum. Scio tamen quod quadam vice habui tantum dolorem de peccatis meis, quod post illum dolorem certissimo lumine cognovi quod Deus dimittebat vel parcebat omnium peccatorum pœnam et culpam.* Unde ex hac contritione tanta et ex hoc quod dicebat non esse majorem tentationem sub cœlo, arguebat confessor ejus quod illa tentatio fuit de desperatione.

3. Confessio ejus erat adeo frequens, licet vix aliquis in die aliquid reprehensibile in ejus factis, dictis et cogitationibus posset [1] juste judicare, quod frequenter viginti vicibus in die et [2] amplius, ut frequentius autem x confitebatur, ita ut omnes confessores suos fatigabat aliquando, licet omnes de domo ejus essent confessores. Unde, cum quadam vice diceretur sibi a confessore suo quare hoc faciebat, respondit quasi molestus : *Et quomodo*, inquit,... [3] *quæ Deum habeat sustinere vel ad punctum* [4] *quantumcumque leve in conscientia sua?* Erat etiam confessio ejus purissima, sicut patet tam per jam dicta quam etiam per hoc quod adeo intime perscrutabatur omnes actus suos; et ita subtiliter quod etiam valde subtiles fratres vix eum poterant ... [5], etiam postquam fuisset eis confessus quinquaginta vicibus. In illis enim quæ ab aliis reputarentur sancta, inveniebat peccatum. Frequenter enim idem peccatum sive delictum, licet modicum, nedum frequenter in multis confessionibus sed etiam in eadem confessione quater vel quinquies replicabat, quærens circumstantias vix alteri perceptibiles. Confitebatur etiam aliquando generaliter quinquies vel septies in anno ; et nitebatur confiteri omnibus modis, confiteri omnes motus mentis inordinatos quos unquam habuerat pro quacumque re. Et quia aliquando videbatur sibi impossibile hoc fieri posse, sicut et erat, etiam in quolibet homine, tristabatur multum, timens etiam ne confitendo offenderet. Semper quasi omnia confitebatur cum conditione, dicens : *Si feci hoc, si offendi Deum meum*, et hujusmodi. Et licet ista frequenter et libenter confiteretur, dicebat tamen se mirabiliter affligi in recordatione peccatorum suorum, in tantum quod aliquando cogebatur dicere quod, si Deo placeret, nunquam vellet recordari de peccatis suis confessis. Vix enim per mensem unum poterat redire in statu suo post confessionem suam generalem.

[1] *cod.* possit. — [2] *vox suppleta.* — [3] *supple v. gr.* possit anima quæ. — [4] *addit codex* ad. — [5] *deest verbum.*

4. Sensus suos diligentissime custodiebat. In omnibus enim quæ agebat, præmittebat mentis elevationem ad Deum; et ordinabat omnia ad Dei honorem antequam inciperet, sicut et ipse dicebat et hortabatur ad faciendum : et confessor centies [1] forte vel amplius cognovit tum per inceptionem horarum tum etiam per confessionem et per quædam alia. Si enim dicerent ambo horas in horto et frater post *Pater noster* inciperet *Deus in adjutorium,* silebat ille per multum tempus, in quo elevabat mentem ad Deum, antequam responderet *Domine ad adjuvandum.* Quadam etiam vice cum dedisset sibi quamdam bonam disciplinam, valde accusavit se confessori suo quia in tota illa disciplina ex nimio zelo dederat unum ictum sine præelevatione mentis et ordinatione ad Deum. Aliquando etiam ejus confessor vidit quod, cum cogebatur precibus fratrum ad faciendum aliquid quod sibi non videbatur esse faciendum, ut comedere aliquando in forestaria, etiam cum esset in porta, tardabat ingressum quousque elevasset cor et ordinasset ad Deum. Ipsum [2] faciebat, si audiret aliqua non bona de aliquo ab alio quem non posset fugere, vel esset utile scire : rogabat silentium donec elevasset cor et ordinasset ad Deum, quod vel ut eum defenderet vel ut eum corrigeret, si defendi non posset, hæc audiret; et in multis aliis et pene in omnibus hæc cognovit. Aures sibi custodiebat, quod non nisi bona verba audire volebat; immo dicentes arguebat vel fugiebat : unde et propter hoc in forestaria frequenter legebat, vel faciebat legi dum comedebat, et etiam post et ante. Oculos quanta sollicitudine custodiebat, satis potest perpendi ex hoc uno quod dixit quadam vice, cum iremus ambo simul. Invenimus enim juxta domum fratrum quamdam dominam quæ multum erat familiaris fratrum et benefactrix; propter quam etiam et ipse pluries eam in propria domo visitaverat et ego secum ter vel quater, et cum qua pluries ad portam locutus fuerat ecclesiæ. Cumque dominam obviantem salutasset, dicendo : *Deus det vobis suam pacem,* et sic transisset, quæsivit a me si illa domina erat talis. Cui ego dixi : *Non cognoscis eam? — Non,* inquit, *quia nunquam vidi eam in facie.* Et ego : *Quomodo ergo cognovisti eam? — In vestibus,* inquit, *monialibus sociæ suæ cognitus sum eam esse. Forte,* inquit, *tres anni sunt quod non vidi mulierem in facie, etiam matrem meam, quando ivi ad eam.* Cum tamen mater sua esset sancta mulier et senex. Tunc ego miratus valde, tum quia pluries videram eum loquentem cum multis et pluries prædicantem eis; tum etiam quia sciebam eum adeo in illo periculo securum quod non credo aliquem in mundo vix ei similem suo tempore fuisse; tum quia, ut dictum est, supra confirmatus est ut nec ultra potuit peccare mortaliter ; tum quia, sicut ipse dixerat mihi, stando cum mulieribus castior efficiebatur. Adeo abominabatur eas, quod nullo modo poterat cum eis diu stare; immo aliquando ex nimia abominatione, cum consulebant eum, præcipitanter [3] recedebat ab eis, dolens multum quia non poterat sustinere, eo quod oportebat eum pro eisdem verbis iterum ad eas redire, sicut et ego oculis meis vidi. Nec mirum, cum etiam formam pro-

[1] *cod.* sentiens. — [2] *cod.* ipse. — [3] *cod.* præcingens earum.

prii corporis imaginans sic tristis ex multa abominatione efficeretur aliquando quod nullo modo poterat consolari, nisi cum cogitabat Jesum Christum fuisse hominem. Unde etiam de hoc pluries a me quæsivit consolationem. Præterea in duodecim annis quibus steterat in Ordine, non potui perpendere per confessionem unum motum mentis inordinatum de facto mulierum, licet pluries generaliter fuit mihi confessus. Dixi ergo sibi tunc : *Cum sciatis vos in facto mulierum sic securum, unde est quod tantum timetis aspicere eas?* Et ipse respondit : *Frater*, inquit, *in potestate hominis est vitare occasionem peccati; et ideo quamdiu facit homo quod in se est, et Dominus facit quod in se est. Impossibile est enim quod Dominus unquam deserat mentem quam possidet, nisi homo habeat culpam, et dum vitat omnem occasionem peccati. Ex quo autem tu exponis te periculo per occasionem quam poteras vitare, et maxime in tali tentatione, ad quam multum declinat homo ex corruptione naturæ, confidens de viribus suis, cum tamen non posses resistere per te, jam ex tunc Dominus non obligatur te* [1] *defendere, sed potest sine omni injustitia tuis viribus in quibus confidisti te dimittere. Et propterea,* inquit, *mens quæ Deum diligit ita tarde declinaret scienter ad venialissimum peccatum de mundo sicut ad mortalissimum.* Illud vero non infrequenter [2] audivi ab ipso, quod scilicet ita vitaret venialissimum sicut mortalissimum, nec adhuc intelligo quare hoc.

5. Quantum autem custodierit linguam suam, satis potest perpendi ex pœnitentia sive ex præcepto quod dedit mihi pro verbis otiosis. Quadam vice, cum verbum otiosum protulissem, injunxit enim mihi quod pro quolibet verbo otioso statim dicerem et flexis genibus *Miserere mei Deus,* psalmum totum, et *Credo in Deum* et *Pater noster* et *Salve Regina* et *Ave Maria.* Sed quantumcumque [3] ostendi me iratum, de hoc noluit me absolvere in tota vita sua, licet pluries rogaverim eum et essem confessor suus, nisi tantum de hoc quod non tenerer statim dicere flexis genibus. Præterea, ne aliquo modo posset falsitas in ejus verbis cadere, vix dicebat aliquid quin apponebat ibi " forte. „ Timebat etiam et cavebat sibi aliquem hominem vocare aliquo nomine vel cognomine, si non esset in eo secundum veritatem : ut, sicut consuetudo est, vocare medicos vel rectores et doctores puerorum magistros, nisi fuissent licentiati ad magisterium.

6. In cibo autem et in vigiliis satis communis erat; satis communis etiam erat in lectis et vestimentis, secundum exteriorem hominem. Secundum autem interiorem hominem in cibo erat valde singularis et occultæ virtutis. In quolibet enim bolo elevabat mentem ad Deum et benedicebat eum, et per talem mentis abstractionem nitebatur non sentire saporem cibi. Et frequenter, quando non poterat, dimittebat ex toto cibum, sicut pluries cognovi et ab eo audivi. Unde recolo quod quadam vice, cum ivisset per tres leucas et multum famesceret, fuerunt sibi appositæ de bonis ficubus et quas multum diligebat. De quibus dum comedisset duas, dimisit omnes alias. Cum ego vehementer quærerem quare

[1] *cod.* se. — [2] *cod.* non frequenter. — [3] *cod.* quandocumque.

dimittebat et instarem ut eas comederet, dixit mihi submissa voce quod nimis sapiebant sibi et ideo dimittebat. Idem vidi alia vice de piscibus : displicebat enim multum sibi et dolebat quia non erat ausus facere abstinentiam. Habebat enim et de hoc magnam voluntatem, et facillimum erat sibi ut dicebat; sed propter hoc dimittebat, quia propter abstinentiam multum remittebatur spiritus ejus a devotione, sicut ipsemet dixit mihi quadam vice, cum per septem dies tentabat facere abstinentiam. Unde videtur mihi quod Dominus commutaverit in edendo et dormiendo laborem et præmium quem alii acquirunt et habent in abstinendo et vigilando. Dixit enim mihi quadam vice quod majores labores quos habebat ille homo, erant ire comestum et dormitum. Sic enim dicebat cum de se loqui volebat.

7. Nunc sequitur de ejus devotione, quam possumus commendabilem ostendere multipliciter. Et primo quidem dicimus quod fuit profunda et altissima in cogitatione; secundo autem, quod fuit ferventissima in amore; tertio, quod assidua in frequentatione; quarto, quod gratissima in discretione; quinto, quod efficacissima in operatione; sexto, quod securissima in ostensione; septimo, quod Deo acceptabilis in remuneratione. Quod enim fuerit profunda et altissima in cogitatione, patet lucide per Considerationes suas, per totum, sed maxime in tribus locis. Primo ubi dicit : " Si præsens Deus, mundus „ etc. Unde etiam quadam vice, cum legerem in illam Considerationem, tanto fervore ex sola recordatione repletus est quod non potuit ultra audire, sed totus fremens et alte suspirans dixit : *Vellem,* inquit, *si Domino placeret et possem dare, centum millia mundos dedisse, quod Dominus ostenderet tibi ubi erat ille homo, quando fuit positus in tali statu, quomodo* [2] *quasi per totam diem illam vix fecerit nisi plangendo suspirare.* Patet etiam per aliam quæ incipit : " Excessus introitus „ etc., et per ultimam quæ dicit : " O qui es quod qui non es. „ Ipsemet etiam dicit ibi [1] quod vix unquam aliquis majora sensit ; et quædam alia similia. Recolo etiam quod quadam vice, cum loqueremur de fratre Ægidio, inter alia verba cum ego dicerem magnum quid esse raptum fratris Ægidii, ipse respondit et dixit quod facillimum quid erat rapi elevate. *Scio,* inquit, *hominem qui aliquando centies in uno Matutino fuit raptus ad altissimos intellectus divinorum et forte in quolibet versu. Et ille,* inquit, *infinities restitit raptui, et aliquando tantam vim oportet ei facere ut recedat a Deo suo et fugiat, quantam aliquis fecit ut appropinquet ei.* Cum ego miratus quærerem quare, dixit quod Quia Dominus adeo aperit illi homini sinus gratiæ suæ et benignitatis, quod certissimo lumine cognoscit quod, si figeret oculum in his quæ videt, in perpetuum non rediret. Cum ego magis miratus quærerem quod periculum, etiam si nunquam rediret, et dicerem quod ego exponerem me bene tali periculo, dixit quod magnum valde. *Sicut,* inquit, *ille status securior status est qui posset esse in hoc mundo, nec citra illum reputo aliquem vere securum, ita et periculosior qui possit esse, nisi tantum crescit discretio quantum crescit devotio. Estne ergo discretio quod servus vilissimus acce-*

[1] *cod.* illi. — [2] *vox suppleta.*

dat ad oscula et amplexus tanti regis et quantumcumque vocatus? Ponat, inquit, *me cum filiis, et tunc secure accedam. Quamdiu enim servus sum, in statu quo adhuc ab eo æternaliter separari possum* [1], *debeo fugere ejus amplexus et oscula quantum possum.* Dixit etiam mihi quod quadam vice in missa fuit adeo alte raptus et assumptus quod videbatur sibi quod esset Deus. Unde etiam istud cum multo timore narrabat, et etiam tunc præcepit mihi quod nunquam in vita sua dicerem vel narrarem alicui.

8. Quadam quoque altera vice, cum per tres dies vel plures in hebdomada sancta tenuisset quod frequenter et suspirans valde pluries in die diceret illum medium versum psalmi " Infirmata est in paupertate virtus mea, " et ego quæsivissem ab eo bis vel ter quare diceret nec vellet mihi respondere, tandem victus precibus respondit cum multo fervore : *Et nonne bene infirmata est virtus animæ quæ non potest sustinere Deum suum?* Et cum ego dicerem non me intelligere quæ diceret, dixit : *Nonne bene,* inquit, *infirma et debilis virtus animæ cui Dominus adeo aperuit sinus dulcedinis suæ quod, non valens sustinere præ nimietate, oportet eam clamare et dicere : Domine, recede a me, quia non possum sustinere abundantiam dulcedinis tuæ?* Et hoc dicto, cognoscens quod intellexeram, recessit. Dixit etiam quadam vice, cum rogaretur a me et ab aliis apud Belliquadrum (1) ut loqueretur aliquid de Deo, ipse quasi renuens dixit quod homo perfectus dedignatur loqui de Deo. Cumque ego admirans me non intelligere dicerem hujus verbi veritatem, maxime cum beatus Gregorius dicat quod sancti homines adeo esuriunt loqui de Deo quod aliquando etiam nolentes prorumpunt ex multo impetu fervoris in verbis, et dicunt multa secreta beneficia Dei eis exhibita: tunc exposuit quod dixerat Dominus. *Adeo,* inquit, *magna sunt et alta illa quæ homo perfectus cognoscit et sentit, quando adeo deponit ea et humiliat ut in verbis ponat, cum omne verbum nihil sit et omne lingagium deficiat totaliter a magnitudine illorum ineffabilium?* Dicebat etiam quod pro nihilo sibi erant Scripturæ et omnes sancti, quando cogitabat magnitudinem Dei. Satis ergo ex prædictis patet, qui bene ea advertit et intelligit, quam altissime a Deo illuminatus fuit.

9. Sequitur ergo nunc videre quomodo ejus devotio fuit ex multo fervore et amore ardentissimo. Hoc autem patet dupliciter : scilicet per zelum quo fervebat contra malum et desiderium quo flagrabat in bono. Erat enim durus valde in correctione et quasi inflexibilis, sed non [2] nisi cum veritas exigebat. Unde recolo quod quadam vice, cum daret uni fratri disciplinam durissimam, ita quod in quolibet versu de *Miserere mei* fere tres ictus percutiebat valde, et tam gardianus quam alii fratres, qui ex solo aspectu tremebant, compatientes fratri, flecterent genua coram ipso, rogantes eum ut parceret nec ita dure percuteret, maxime cum videretur fratribus quod culpa fratris non exigeret tantam pœnam; cumque videns hoc : *Surgatis,* inquit. Cumque non surgeremus sed rogaremus, adjecit: *Si angelus,*

[1] *suppletum ex conjectura.* — [2] sed non *add. ex conject.*

(1) Beaucaire, département du Gard.

inquit, *de cœlo staret sicut statis, non dimitterem unum ictum. Moyses,* inquit, *pro peccato populi ad Dominum precibus allegavit, sed offensam Dei ad populum non precibus sed gladio allegavit. Sic,* inquit, *et ego scio quod teneor orare semper ad Dominum pro ipso; sed offensam Dei non precibus ad ipsum sed verberibus allegabo.* Et sic totam disciplinam complevit. Accedebat etiam quid relatione dignum, sicut ipse dicebat mihi, et ego etiam de aliquibus vidi, quoniam omnes quos tam dure corrigebat, ut vix ab iis qui viderant crederentur esse corde placato longo tempore, infra breve tempus, scilicet tres vel quatuor dies, veniebant ad eum gratias reddere valde placati, quia eos ita dure corrigebat.

10. De desiderio autem ejus et fervore circa æterna bona satis fidem possunt facere Considerationes ejus, si quis bene advertat. Dicit enim quod verus amor non habet verecundiam, et quædam similia. Sed maxime potest cognosci ex incomparabili desiderio quod erat in ipso moriendi. Intolerabilis enim erat sibi vita. Unde accidit quadam vice in hebdomada sancta in illo anno quo mortuus est, cum stetisset per tres dies ita inflammatus quod non poterat stare inter fratres vel cum fratribus in ecclesia vel in mensa, sed circuibat per totam diem in horto, clamans continue et cum magnis suspiriis, submissa tamen voce: *Quando moriar, Domine? quando moriar?* confessor suus, scilicet ego, frater R[aymundus] P[etri], volui omnimodo scire quid erat hoc quod ita se tanto tempore absentabat a fratribus in illis sanctis diebus, et maxime cum esset prælatus mihi, scilicet custos. Ivi ergo versus eum, ut scirem causam. Cumque frater Rogerius videret me venientem, occurrit et ipse mihi tamquam homo qui esset ebrius, totam faciem habens adeo rubeam et inflammatam quod quasi videbatur ignis exire de facie ejus, et oculos habens quasi alienatos, et sic terribilis in facie quod non fui ausus loqui sibi nec etiam in faciem respicere; sed dimittens sic, viam transivit Frater Rogerius clamans et plangens, dicendo mihi : *Frater Raymunde, quando moriar?* Et hoc frequenter replicabat, cum tanta mentis afflictione et tædio vitæ ut videbatur quod intolerabile esset sibi vivere. Cumque transisset me et ego vadens post eum sensissem audaciam, dixi: *Pater, quare desideratis tantum mori? Jam scitis vos quod terminus vitæ vestræ valde proximus est.* Non erant enim usque ad diem mortis assignatæ per revelationem novem menses. Hoc audiens cœpit clamare: *Absit,* inquit, *ut vivam tanto tempore. Nullo modo possem sustinere.* Cumque ego dicerem ei quare non posset sustinere, conversus ad me clamavit, dicens: *Et quis,* inquit, *potest sustinere quod tantus ignis ardeat in tam vili materia? Quis posset sustinere quod anima conjuncta Deo habitet in tam vilissimo luto?* Cumque ego respondens dicerem ei: *Pater, vos vivendo et quotidie serviendo Deo additis ad coronam vestram et meremini;* ipse tamquam iratus, conversus ad me clamavit et dixit: *Et quare,* inquit, *vivet homo amplius, ex quo venit ad talem statum quod omni motu cordis fertur in Deum et non videt nisi Deum, et non cogitat nisi Deum, et non desiderat nisi Deum nec sentit? Quare,* inquit, *vivet amplius?* Et hoc dicto, videns quod cogebatur nimis relevare se ab incomparabili ardore suæ devotionis et fervoris, dixit mihi: *Ite,* inquit, *ite,* signum manu faciens, ut ab eo recederem. Quod et feci. Ipse autem reversus longe, ubi erat ante, circuibat clamans

semper : *Quando moriar ?* Elapsis autem tribus diebus mutavit planctum suum, et per alios tres dies ibat plangendo, dicens : *Infirmata est in paupertate virtus mea*, sicut supra dictum est. Frequenter etiam secum dicebat illud verbum quod dicebat David in morte sua : *Tota salus mea Deus et universa voluntas mea, nec est quidquam in ea quod non germinet.* Frequenter etiam dicebat submissa voce illum versiculum psalmi : *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.*

11. Signa sui fervoris erant ista : rubor maximus faciei et suspiria duplicia seu geminata, cum corporis et capitis inclinatione. Et hoc faciebat ubique et sine verecundia, etiam aliquando in mensa. Aliquando in missa ex nimio fervore ita movebat se, quod quasi videretur quod esset casurus in terram, in tantum etiam quod sibi servientes parabant manus ad sustinendum ; et multi fratres ex illo motu timebant sibi servire. Post missam autem statim infremebat dentibus dum exuebatur, et stridebat, et manus quodam rigore constringebat, nec aliquid poterat dicere vel loqui : sed cito exuens vestimenta sacerdotalia et dimittens non plicata fugiebat, ita quod quasi crederetur insanus vel amens factus ab aliquibus qui non cognoscerent eum et devotionem ejus ; et abscondens se stabat sic longo tempore suspirans valde. Dixit etiam aliquando : *Ille homo*, dicebat de seipso, *quando celebrat, ipse nescit quid faciat ; quidquid enim agit in signis ibi vel dicit in verbis, totum dispensatorie fit per eum, quia anima ejus tunc unitissima est Deo.*

12. Patet etiam fervor ejus per responsionem quam fecit mihi quadam vice. Dixi enim quadam vice : *Pater, quia vos dixistis mihi vos ita confirmatum in gratia quod nunquam poteritis peccare mortaliter, et ulterius quod nunquam habebitis vanam gloriam de aliquo, ita secure loquor vobis sicut facerem cum viro sancto jam beato. Dicatis ergo mihi pro Deo unde est quod homo tantæ devotionis et fervoris tam magni quanti vos estis, nunquam enim me recolo vidisse vel audivisse vobis similem, unde, inquam, est quod vos nunquam ploratis nec habetis lacrimas, cum omnes devoti homines soleant in his maxime commendari et abundare et de his prædicari ?* Tunc cum quadam verecundia, quia se interrogatio mea [1] multum laudabat, dixit : *Multum,* inquit, *videtur mihi demissa devotio devotio lacrimosa. Non est,* inquit, *animæ perfecte Deo conjunctæ. Non enim est conveniens quod rusticus,* id est corpus, *admittatur ad mensam regis. Anima,* inquit, *abstracta sola debet esse cum Deo suo, ita quod nihil sentiat ; nesciat quid sit illud. Unde,* inquit, *aliquando, scilicet tempore novitiatus, habui illam devotionem lacrimosam plus quam vellem. In tantum enim habebam quod non poteram servire in missis ; et licet frequenter arguerer in capitulo de hoc, scilicet ita involuntarius et coactus serviebam, ita magnificabatur Deus in corde meo ex quo missa incipiebatur, ex consideratione quam habebam de ejus adventu in altari, considerans ejus nobilitatem et altitudinem et innumerabilem sanctorum et angelorum societatem, meamque et astantium indignitatem, et dicens in corde meo : Modo statim veniet Dominus Deus creator omnium, talis et tantus, et similia, quod quando debebat corpus Christi a sacerdote*

[1] interr. mea *ex conj.* ; *cod.* in mensione.

elevari, quod vel ego recederem et fugerem ne viderem, vel cogebar ita alte clamare et plorare, ita quod tam sacerdos quam astantes magis intendebant in me quam in ipso Domino qui elevabatur; et ideo, quia vidi quod utrumque istorum erat periculum et occasio scandali, scilicet tunc fugere ab altari et recedere quando alii magis appropinquant in missis [1].

13. Erat et assidua ejus devotio in frequentatione, ut patet in continua celebratione. Quasi enim quotidie celebrabat, licet ivisset per tres vel quatuor leucas vel plures; et tamen non celebrabat nisi vocatus per internam inspirationem. Surgebat etiam ad matutinum quotidie, etiam cum erat forensis vel minutus; et dicebat quod nihil tantum timebat in introitu Ordinis sicut surgere ad matutinum, et in nullo sensit [2] tot consolationes a Deo sicut in matutinis. Dicebat etiam se non habere penuriam nisi temporis. Dixit etiam mihi, cum narrasset mihi revelationem sibi factam de morte, sicut inferius continetur: *Credis*, inquit, *tu quod ille qui scit se hoc anno moriturum melioret vitam suam propter hoc vel nitatur melius vivere? Non*, inquit, *melioraret de tanto:* ostendens festucam unam. *Et scis*, inquit, *quare? Quia, ex quo cognovit Deum suum, semper fecit quidquid visum fuit sibi vel dictavit sibi conscientia quod magis placeret Deo.* Propter continuam etiam mentis intentionem in Deum frequenter non advertebat præsentia. Unde quadam vice cum gardianus fecisset sibi tunicam habitus de optimo panno de meliori in duplo quam aliis, portavit eam fere per octo dies, quod non adverterat eam non esse de communi panno. Ipse advertens sic esse, statim exuit eam nec postea voluit eam portare, reprehendens me valde quia non dixeram ei a principio. *Ego enim credebam*, inquit, *quod omnes haberent de tali panno;* cum tamen major pars conventus essent induti de longe dissimili panno, propter suam modestiam et honestatem et continuam devotionem. In tertio anno sui introitus fuit factus magister monachorum in Monte Pessulano, ubi erant tunc plus quam viginti monachi, et in quarto anno fuit custos Avinionensis.

14. Fuit etiam devotio sua gratissima in discretione, et propter devotionem non dimittebat communia; nec ex hoc erat minus affabilis vel caritativus forensibus vel aliis. Unde quadam vice, cum duo fratres de Hispania venirent ad studium Bononiense et esset circa festum beati Martini tempus grave et pluviosum, cum stetissent propter gravitatem temporis in conventu Tarasconis (1) jam fere per octo dies et vellent recedere eo quod claruisset tempus, ipse invitavit eos ad remanendum adhuc amplius, ita importune ac si statim venissent. Cumque accepto commeato recessissemus ab eis ad dicendum completorium, dixi ego sibi cum qua conscientia poterat eos ita importune invitare ad remanendum, cum cognovisset bene quod ipsi ituri erant. Respondit: *Frater*, inquit, *sciant ipsi quod suum est; quia ego propter eorum stultitiam non debeo dimittere quod meum est. Meum enim est*, inquit, *ostendere eis et facere omnem caritatem et omnimodam voluntatem ad deserviendum*

[1] *deest aliquid in cod., nisi intelligendum sit* id dico *post* ideo. — [2] *cod.* sentiit.

(1) Tarascon, départ. des Bouches du Rhône. — In codice scribitur *Carastonis.*

nec moram eorum esse tædiosam mihi aut fratribus: et hoc non debeo dimittere; et eorum est non acquiescere precibus meis, sed facere et exequi obedientiam suam, cum viderint expedire. Dicebat etiam, sicut et ipse faciebat, quod non semper esset exequenda devotio, etiam si Deus continuaret eam. Sicut Deus faciens quod in se est, continue offert [1] tibi devotionem, tamquam ostendens se, quantum est ex parte sua, propter petentem [2] et voluntarium seipsum dare tibi et semper esse tecum, sic et tu, rememorans statum tuum et naturæ fragilitatem, debes facere quod tuum est, scilicet providere necessitatibus tuis et cum dolore et verecundia recedere a tuo, et ire vel comestum vel dormitum vel ad alias necessitates. Unde ipse dicebat frequenter se scire quemdam hominem cujus omnes majores labores in hoc mundo erant ire comestum vel dormitum; et hoc volebat dicere de seipso. Inde est quod propter discretionem tantum sustinebat et vigilabat quantum poterat utile sibi esse et promotivum ad mentis elevationem in Deum, et non plus. Unde dicebat, sicut superius dictum est, quod periculosissimus status est status contemplationis, nisi tantum crescat discretio quantum crescit devotio.

15. Fuit etiam devotio ejus efficax in operatione. Et primo respectu sui, eo quod sua devotio eum diligentissime custodiebat ab omni peccato. Sed tamen notabiliter præ aliis fratribus sibi cavebat de septem peccatis. Detestabatur ea valde in aliis. A dilectione alicujus rei temporalis, a temerario judicio alterius conscientiæ et falso verbo, a detractione, a dubio conscientiæ ne quid [3] faceret in dubio, a participatione excommunicatorum et ab odio sibi detrahentium, tales enim per omnem modum amplius diligebat, a scandalo; et de omnibus istis sunt multa exempla singularia, quæ longum esset enarrare. Respectu etiam aliorum erat mirabilis virtutis et efficaciæ, ut patet in prædicatione. Prædicabat ferventissime, ut nedum verba essent ignea, sed etiam in facie videretur terribiliter et etiam aliquando horribiliter inflammatus. Nec prædicabat tamen aliquid quod non haberet in se. Hoc audivi ab ore unius [4] pluries. Accidit autem quadam vice quod prædicavit fratribus in capitulo, in vigilia sancti Francisci, de hoc themate: " Factus sum tamquam vas perditum, " et cetera; et tantam virtutem et efficaciam habuerunt verba sua in cordibus fratrum et adeo inflammata fuerunt, quod instantissime rogaverunt totus conventus ut eumdem sermonem verbo ad verbum repeteret post prandium. Quod ad multam instantiam fratrum et mei facere concessit. Non tamen fecit, præpeditus aliquibus negotiis. Credebant enim et desiderabant fratres per omnem modum sentire illam devotionem et inflammationem mentis quam senserant primo, si illa verba repeteret. Cum autem confessor ejus pluries expertus fuisset verba fratris Rogerii multam habere virtutem et efficaciam: videbatur enim sibi quandocumque audiebat eum loquentem, maxime cum legebat, quod verba ejus quasi manu tangendo agerent in corde ejus et illuminabatur et inflammabatur: propter quod admirans frequenter tentabat si ea legendo per se ita saperent, sicut cum audiebantur ab ipso. Cumque pluries expertus

[1] *cod.* non offert. — [2] *legendum forsan* promptum, paratum et voluntarium. — [3] *loco* ne quid *cod.* negotio (nego). — [4] ejus?

fuisset illum sensum devotionis et illuminationis esse a virtute et ardore legentis, eo quod alias non sentiret, nisi cum ipsum audiebat legentem, quæsivit ab eo unde poterat hoc esse quod verba ejus haberent tantam efficaciam in audientibus, narrans ei quomodo sic acciderat et quod pluries tentasset secum legendo. Loquebatur enim sibi etiam de ipso, commendando eum, ita secure sicut faceret cum uno sancto, propter hoc quia nunquam habuit vanam gloriam, sicut ipsemet pluries dixerat sibi. Ad quod ipse frater respondit [1]: *Ipse*, inquit, *homo qui in omni actione præmittit mentis elevationem ad Deum et omnia ordinat ad Deum, in omnibus invenit Deum suum.* Cumque ergo quærerem quomodo debeat fieri ista mentis elevatio vel ordinatio, respondit: *Frater*, inquit, *quando tu vis legere, antequam librum aperias debes cor tuum ad Deum dirigere, et dicere ei: Domine, iste vilissimus servus, indignus omni bono, vult ingredi ad thesauros tuos: placeat tibi ut introducas eum et des ei, vel mihi, in his verbis sanctissimis te cognoscere, ut te diligam* [2]*; et tantum da mihi cognoscere quantum dabis diligere, quia nolo te cognoscere nisi ut diligam. Talis*, inquit, *mens in prima libri apertione invenit Dominum suum et occurrit ei.* Unde quia hoc ipse faciebat semper, ideo quam cito aperiebat bibliam vel alium librum, tam cito infundebatur tanto lumine quod quasi semper de primo verbo quod ei occurrebat dicebat: *Vide mirabile verbum,* et faciebat sibi signa sua nota vel puncta ita spisse quod fere totum marginem [3] implebat de talibus notis, et frequenter in talibus locis quod alius homo etiam multum illuminatus nihil tale videret ibi notandum.

16. Studium suum fuit maxime in principio in libris Dionysii; et dicebat se fuisse valde illuminatum per illa scripta. Studebat etiam quasi quotidie in biblia, ita quod semper audiebat lectionem mensæ; vel postea, si non audisset in refectorio, legebat totum vel faciebat sibi legi: propter quod optime sciebat bibliam. Studebat etiam frequentissime et diligentissime in libris Augustini et maxime in libris de Trinitate et in libro Confessionum. Hos enim et libros Dionysii semper portabat secum et commentum Hugonis super Dionysium. Accidit quadam vice quod frater Rogerius prædicaverat die dominica in sero in domo Fratrum; et post sermonem adeo fuit inflammatus divino igne quod per totam cœnam non fecit nisi prædicare et loqui verba divina in mensa. Et post cœnam sentiens sibi aperire sinum divinæ veritatis, retentis tantum secum tribus fratribus, gardiano et me confessore et quodam alio, omnes alios mandavit recedere, et clauso ostio respiciens semper in cœlum cœpit, ac si legeret in libro, ita alta et profunda mysteria a seculo inaudita disserere, manifeste ex divina infusione, quod non credo quod vivat sub cœlo qui illa posset plene retinere vel etiam intelligere. Et hoc accidit sibi bis, ita quod ipsemet post illa verba tantum mirabatur de eo quod acciderat; et dicebat mihi: *Quid dicerent modo fratres, si audirent ista verba? Dicerent quod græcum loquor.* Materia autem istorum verborum, ut nobis videbatur qui astabamus ei, erat de divina irradiatione in mentibus supercœlestium spirituum et de invitatione eorum ad Deum, ad ardentem amorem. Fuerunt autem

[1] *cod.* respondet. — [2] *cod.* diligant. — [3] *cod.* merginem.

illa verba tantæ virtutis et efficaciæ ex ferventissimo ardore quo illa dicebat, quod unus de astantibus, cum audisset illa verba fere per duas horas, non potuit modo aliquo amplius sustinere. Videbatur enim sibi quod deberet crepare per pectus, sentiens infra se tamquam aliquis intra seipsum inclusus vellet ipsum dirumpere et exire per pectus. In tanta ergo anxietate et periculo mortis positus, cum vehementer sudaret et nesciret quid faceret, eo quod timeret recedere ab ipso sine sua voluntate et per omnem modum plangeret, si verba dicerentur sine ipso, ex alia parte timeret, si remaneret, mortis periculum, quod pro certo videbat sibi ex hoc imminere, clamavit ei et dixit : *Pater*, inquit, *pater, nos debemus surgere ad matutinum, et est magna nox. Terminetis verba vestra.* Quod ipse vix in tertia vice perpendens, cum magna violentia quam sibi fecit terminavit verba sua.

17. Fuit etiam devotio sua securissima in ostensione, eo quod non poterat habere vanam gloriam. Immo dicebat mihi quod, si esset melior homo de mundo, ipse vellet quod totus mundus sciret hoc, et clamaret : Frater Rogerius est melior homo de toto mundo. *Clarissimum enim,* inquiebat, *est mihi nullum hominem quidquam boni habere a se nec suis meritis. Abscondam ergo*, inquit, *in me donum Dei et laudem ejus ? Immo*, inquit, *totus mundus sciat et videat laudem ejus, qui sic vilissimum vermem voluit nobilitare.* Unde cum quadam vice, cum ipse commendaret quemdam fratrem de humilitate, ipso fratre præsente, hæc enim virtus super omnia sibi placebat et detestabatur contrarium, et ipse frater negaret se humilem ex humilitate, frater Rogerius valde arguit eum de hoc, dicens : *Vade*, inquit, *miser ; quare tegas donum Dei in te ? Nonne bene sciunt omnes quod a te nihil boni potes habere ? Non facias*, inquit ; *sed omnes sciant dona quæ dedit tibi, ut laudent Dominum in te.* Credebat enim quod omnes essent salvi de vana gloria sicut ipse.

18. Fuit etiam sua devotio acceptabilis Deo, ut patet in remuneratione multiplici. Et primo in præsenti, assecurando eum de purgatorio. Quæsivit aliquando a me quot [1] missas dicerem de eo, si moreretur. Cumque ego dicerem ei quod tantum tres, sicut pro alio fratre, respondit : *Illas tres secure pone in thesauro Ecclesiæ.* Cumque quærerem quid erat ponere in thesauro Ecclesiæ, dixit : *Ut dicas pro omnibus fidelibus defunctis.* Accidit enim quadam vice, cum esset in oratione, quod fuit raptus per hunc modum. Videbat se esse in quodam templo admirabilis pulchritudinis, quod dicebatur templum Trinitatis. Et dum esset ibi, vidit quemdam angelum descendentem de cœlo. Qui cum appropinquasset ad terram, volabat circumcirca per aerem, semper dulciter respiciens fratrem Rogerium. Cumque unam revolutionem fecisset in circuitu, cœpit ejicere fumum tantum quod totam terram et totum templum implevit fumo, ita quod ipsius angeli pulcherrimi non poterant videri nisi summitates alarum. Hoc facto, idem angelus circumvolando et ascendendo receptus est in cœlum. Statim autem in ictu oculi et frater Rogerius assumptus est in cœlum, non intus cœlum, sed extra stans; et mirabatur valde secum quomodo in corpore ponderoso poterat ita stare sine aliquo sustentamento. Cumque aliquantulum stetisset, factum est

[1] *cod.* quod.

quoddam ostium magnum in cœlum juxta eum. Dicebat quod in tanto gaudio erat anima ejus quando ista videbat, quod nullo modo potest dici vel exprimi. Et semper in quolibet novo accidebat, duplicabatur; in tantum quod in fine fuit adeo multiplicatum quod nulla mens posset in vita hac tantum sustinere, nisi dispensative ageretur in ea. Facto igitur illo ostio in cœlo, cœpit attente considerare et respicere si aliquis veniret. Et dum respiceret, vidit beatum Petrum apostolum ponentem caput extra ostium et respicientem undique huc atque illuc cum quadam auctoritate et vultus gravitate, tamquam si ex aspectu suo vellet dicere : *Faciatis viam et detis locum et reverentiam illi magno regi qui venit.* Quo facto, reversus est intus. Post Petrum autem venit beatus Paulus et fecit similiter sicut fecit beatus Petrus, ita quod ex aspectibus eorum frater Rogerius conjecit Dominum nostrum Jesum Christum esse venturum, et ex multa reverentia stetit valde timidus. Post paululum autem vidit duos illos apostolos, scilicet Petrum et Paulum, adducentes cum admirabili reverentia, unus ex parte una et alius ex altera, Dominum Jesum Christum, sicut ducitur a ministris in processione sacerdos; et transeuntes ante fratrem Rogerium ibant. Frater autem Rogerius incepit currere post eum, et clamabat fortissime : *Domine, quis es? Domine, quis es?* Non tamen poterat aliquo modo, licet multum conaretur, levare faciem ad videndum eum[1] super genua Christi, et hoc ex multa reverentia et timore. Cumque diu cucurrisset post ipsum sic clamando, Christus vertit se, et statim ipso converso frater Rogerius fuit ad pedes ejus, cum indicibili gaudio clamans : *Domine, quis es?* Et Dominus Christus respondit ei : *Ego sum qui sum.* Et addidit : *Unde venis, fili?* Et signavit se signo crucis et dixit ei : *Dimittantur tibi peccata tua. Persevera in gratia mea et eris mecum in æternum.* Tunc frater Rogerius sumpsit audaciam et cum magna violentia vix unico ictu oculi respexit eum in facie. In quo aspectu adeo facies Christi fuit in mente ejus impressa, quod quandocumque recordabatur de illo aspectu semper quasi videbatur sibi ipsum habere præsentem. Et his peractis, restitutus est in statum suum. Narravit autem ista mihi et quibusdam aliis confessoribus suis cum tanto fervore et ardore spiritus, quod quasi videbatur esse in illo statu in quo erat, quando vidit hæc.

19. Verum nedum de se, sed etiam de aliis datum est: meruit cognoscere quod essent[2] in bono statu. Unde narravit mihi quod quadam vice apparuit sibi quidam frater mortuus, qui dicebatur frater Berigarius Bertrandi (1); quem et novi et fui cum eo conventualis Narbonæ. Noverant autem se mutuo antequam intrarent Ordinem. Cumque inter alia quæreret ab eo Rogerius quomodo erat ei : *Bene,* inquit, *quia salvus sum; et ego novi et ostendam tibi de omni homine cognoscere utrum si sit in statu salutis.* Cumque ego quærerem ab eo quæ erant illa signa, respondit quod spiritualia erant nec poterant de facili ostendi. Unde noluit dicere mihi.

[1] *videtur hæc vox redundare.* — [2] quod essent *add. ex conj.*

(1) Ille idem qui supra in Prologo vocatur " quondam Montispessulani lector, laudabilis memoriæ frater Bertrandus. „ Cfr. Wadding, loc. cit. (ed. Romanæ, tom. V, p. 164).

Rogavi autem eum ut statim diceret mihi si illa videbat in me, et noluit mihi dicere; sed dixit mihi quod niterer bene vivere et semper proficere in melius. Item nota quod quadam vice in festo duorum martyrum, et sicut credo erat festum Cosmæ et Damiani, cum esset in matutinis: tunc enim ut frequentius recipiebat a Domino majora beneficia et spirituales illuminationes; unde et propter hoc ita libenter surgebat ad matutinum, quod etiam quando erat minutus volebat surgere, et etiam si ivisset per tres aut per quatuor leucas. In illo igitur festo, cum esset in matutinis, et ego eram immediate juxta eum, diceretur que tertius nocturnus, ad illum psalmum, " Benedicam Dominum in omni tempore, „ et illum versum, " Immittit angelus Domini, „ et cetera, apparuit quædam lux ante eum, rotundæ formæ, de quantitate unius magni canistri et clara sicut lux splendidæ lunæ; quam et ego qui eram ante eum et multi alii XVII viderunt, et mirati fuimus valde. Cumque stetisset satis parum, quantum scilicet potuit durare sequens versus, scilicet " Gustate et videte, „ etc., paulatim transiens chorum ex transverso et ascendens per parietem, cum esset in summitate disparuit. Ipse autem frater Rogerius dum hæc fierent stabat pedes, et tenebat caput suum adeo informatum, quod ejus facies erat aperta totaliter, sicut fratres tenent quando sunt mortui. Et non loquebatur neque aliquid dicebat; sed erat raptus et stabat quasi dormiens. Tunc ego respexi eum, cogitans mecum an ipse vidisset; et vidi quod facies ejus erat ita aperta quod nullomodo potuit videre sicut nos videmus. Unde propter hoc, circa nonam, cum essemus ambo in dormitorio et ipse fuisset confessus, quæsivi ab eo si ipse viderat illam lucem quæ in choro apparuerat. Tunc ipse quasi subrisit, sicut ipse qui melius viderat quam omnes, et sciebat quod pro ipso venerat, et dixit: *Quid fuit illud? quid fuit?* Et ego respondi : *Ego nescio, et ideo quæro a vobis.* Et ipse suspirans valde, dixit: *Aliqui,* inquit, *fuerunt ibi qui altissime senserant de Deo suo.* Et postea quæsivit a me an ego sensissem tunc aliquid. Cumque respondissem ego quod non, miratus est valde. Cumque instarem quærendo quid fuerat, dixit mihi quod angelus.

20. Item nota quod post mortem suam apparuit cuidam sanctæ mulieri quam ego cognosco, et ipsamet narravit mihi. Apparuit autem sibi tamquam exiens de quodam pelago et abysso ineffabilis gloriæ; et venit indutus quadam veste in media parte rubea et in alia parte alba, et per medium illius vestis transibat quædam linea in latitudine palmi, tota plena linguis aureis. Cumque venisset ad eam, statim flexis genibus cœpit conqueri de seipsa, dicens: *Pater frater Rogeri, habebit Dominus misericordiam de illa vilissima creatura quæ sic offendit? Ego feci hoc et hoc et illud;* et ita confessa est ei omnia peccata sua. Diligebat enim eum valde dum vivebat, et libentissime audiebat eum prædicare; et ego enarraveram ei multa de fratre Rogerio. Illa autem nocte per totam noctem continue steterat illa mulier in continuis genuflexionibus, orans beatam Virginem pro necessitate magna ejusdem. Ipse autem apparuit ei post tertiam horam. Cumque enim de consuetudine illa mulier habebat quolibet die sabbati communicare et tunc esset sabbatum, adeo erat accensa et inflammata quod non erat ausa accedere ad sacram communionem, timens ne ejus inflammatio perpenderetur. Cum igitur

sic stans coram fratre Rogerio fuisset confessa peccata sua, frater Rogerius fecit absolutionem, dicens: *Misereatur tui,* etc. Qua facta, venit beatus Johannes evangelista, quasi exiens de eodem pelago gloriæ, portans calicem in manu et corpus Christi intra, et communicavit eam. Postea simul recesserunt. Statim autem mulier, arrepto itinere in fortitudine illius cibi et in illo fervore spiritus, ivit ad sepulcrum beati Rogerii, quod distabat a loco in quo erat bene per x leucas; et, cum sit debilissima mulier, in tantum quod vix posset ire per leucam quin pauset bis vel ter in via, ex multo ardore spiritus fortificata totam viam illam ivit ab hora nona diei sabbati usque tertiam diei dominicæ. Et cum nunquam tenuisset illam viam, sine omni ductore recto itinere illuc venit, dicens etiam quod, quando fuit juxta villam Usteciæ (1), per duas leucas videbatur sibi quod non tangeret terram. Unde etiam pro hoc miraculo quolibet anno visitat sepulcrum ejus.

21. Item nota quod eodem anno quo frater Bertrandus denuntiavit mortem fratri Rogerio, in festo sequenti Paschatis idem frater Bertrandus apparuit ei apud Usteciam, et apparuit tamquam in specie corporis glorificati: prima enim vice apparuerat ei indutus sicut Frater Minor; et erat cum eo quidam alius sanctus. Cumque frater Rogerius videret eum, ex desiderio gloriæ quam videbat in eo cœpit clamare et dicere: *Frater Bertrande, eritne verum quod promisisti mihi?* Et ille: *Itaque erit ut dixi; sed adhuc est aliquid purgandum a te postea.* Frater Rogerius quæsivit ab eo de quodam fratre an esset salvus; et ipse respondit quod sic. Postea quæsivit de alio, et ipse respondit quod sic. Postea quæsivit de tertio, et tunc frater Bertrandus dixit ei: *Quare,* inquit, *quæris de fratribus? Quia fratres omnes salvantur, illi qui moriuntur in Ordine et sub regula beati Francisci.* Postea hic dictis disparuit; et hanc etiam visionem ipsemet mihi narravit, valde coactus ad multas preces. Et postea dixit mihi: *Licet,* inquit; *dico tibi ut pro certo habeas quod hoc anno moriturus sum.*

22. Unde etiam post duos menses migravit ad Dominum, bene per tres menses et dimidium ante tempus assignatum. Adeo enim desiderabat mori, quod quasi intolerabilis erat sibi vita. Ideo Dominus Deus, quem ex toto corde diligebat, voluit satisfacere desiderio ejus.

Explicit vita fratris Rogerii. Benedictus Dominus Deus in æternum. Amen.

DE VENERABILI ELISABETH DE ERKENRODE. (Cfr. supra, pag. 347, 3°.)

Vita Elizabeth sanctimonialis in Erkenrode, Ordinis Cisterciensis, Leodiensis diœcesis.

1. Quoniam, ut legitur in Ecclesiastico XLII°, Gloria Domini plenum est opus ejus, et in Tobia: Opera Domini revelare honorificum est, et ad ipsius gloriam et honorem, qui est gloriosus in sanctis suis, et ad ædificationem legentium et

(1) Uzès, départ. du Gard.

audientium, inter cetera opera Domini, quæ juxta prophetam sunt universa bona valde, idem [1] Dominus noster, innovans signa, immutans mirabilia, his diebus unum opus mirabile in persona cujusdam pauperis et innocentis virginis operatur, quale eum nec legimus nec audivimus operatum fuisse in diebus nostris aut in diebus antiquis. Quam quidem Domini gloriam quia vidimus et audivimus, non possumus non loqui.

2. Porro in provincia Leodiensi prope quoddam famosum et solemne monasterium virginum, filiarum beati Bernardi primi Clarævallensis abbatis, quod vocatur Erkenrode, per sex aut septem leucarum distantiam a Leodiensi civitate remotum, est [2] quædam puella nomine Elizabeth, in cujus virginea puritate misericors et miserator Dominus, mirificans misericordias suas, fidei nostræ manifestissima documenta necnon et passionis suæ miracula multipliciter et mirabiliter suscitavit, ut incredulos ad fidei firmitatem, peccatores ad pœnitentiam, ingratos ad gratiam, duros et obstinatos ad pietatis et devotionis affectum accersat [3] et invitet, immo quasi cogat invitos. Quæ quidem mirabilia Domini opera cum audissem, ego frater Philippus de Claravalle, circa partes illas officium visitationis exercens, non credebam narrantibus, donec ipse veni et vidi oculis meis, et probavi quod dimidia pars mihi non fuerat nuntiata. Audita siquidem videre volui, visa scrutari : scrutata revelare et confiteri honorificum duxi, juxta sententiam Raphaelis, sciens et prudens quod rem difficilem aggredior et quod ultra vires est negotium. Mirabilis enim facta est scientia visæ rei, et non potero ad eam; sed conceptum sermonem omnino retinere non potero nec explicare ex toto. De multis igitur pauca decerpens, juxta meæ parvitatis arbitrium teste conscientia notabiliora et mirabiliora describam, ab iis incipiens quæ oculata et sic indubitata fide percepi, post hæc adnectens quæ ab aliis multis et fide dignis accepi : ut sic auditæ rei fidem coadjuvet certitudo visorum et per majora visa credibiliora reddantur audita minora.

3. Sciendum igitur est quod præfata puella manifestissime stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore suo portat : in cujus scilicet manibus et pedibus necnon et latere absque simulationis ambiguo aut fraudis scrupulo evidentissime patent plagæ recentes, frequenter et maxime sextis feriis sanguinis irriguum evomentes. Vulnera membrorum rotunda sunt, lateris est oblongum : ut illa clavorum, hoc lanceæ significent impressuras. In persona etiam ejusdem virginis, tamquam purissimæ et quadam singulari prærogativa dilectionis electæ, sponsus virginum, forma præ filiis hominum speciosus, præter [4] stigmata supradicta septenis horis singulis diebus, in Matutinis scilicet, prima, tertia, sexta, nona, vesperis et completorio, mirabili modo repræsentationem suæ beatissimæ et beatificæ passionis ostendit. Media siquidem nocte surgit ad confitendum mirifice principia passio-

[1] *ita L * ;* item *B.* — [2] *ita L ;* erat *B.* — [3] *codd.* accersiat. — [4] *add. ex L.*

* Textum codicis Bruxellensis (quem signamus littera *B*) emendamus ope codicis 135 Academiæ Leodiensis (quem signamus littera *L*).

nis Dominicæ, videlicet quomodo captus extitit et distractus et impiorum manibus crudelissime pertractus. Illud tamen non æstimo prætermittendum, quod tam hac quam aliis horis antequam surgat rapitur, et in eodem statu in quo rapitur non modico spatio ut imago quædam ligni aut lapidis sine sensu et motu et flatu tota rigida perseverat, ita quod de ipsa nihil tangi aut moveri potest, nec etiam minor digitus, quin tota machina moveatur. Post quem raptum, quasi ad se reversa, surgit et exit de lecto velociter, et incedit per cameram suam mirabili et composito gressu, angelica ut creditur manu ducta. Tanta enim a puerilibus annis ætatis suæ, videlicet dum adhuc esset quinquennis vel circa, corporis et membrorum imbecillitate tenetur, quod nec instante immo nec extante domus in qua degit incendio sine alieno adminiculo inde posset exire, prout hoc in tota vicinia notorium habetur et indubitatum. Illa etiam divini flagelli ab infantiæ quinquennalis innocentia usque ad hanc quam nunc attigisse dicitur vicennalem continuata castigatio et sic propriæ carnis mortificatio, integræ virginitatis seu virgineæ integritatis ipsius validissimum exhibet argumentum; immo, nisi fallor, infallibile perhibet documentum. Verum hæc magis ea quæ audivi respiciunt quam quæ vidi. Hæc tamen propter propositum hic incidenter inserui, ut per hæc lectoribus et auditoribus innotescat quod motus et gressus ipsius virginis inferius prout fieri poterit describendi, non ex ipsius sed potius ex quadam divina et occulta virtute procedunt.

4. Media igitur nocte, ut dictum est, raptu consueto præcedente consurgit, mirabiliter fortis ad exercitium tolerantiæ, laboris et pœnæ, quæ antea, ut supra dictum est, quantum ad statum corporis erat prorsus impotens et penitus imbecillis. Postquam vero surrexerit, sicut semper est induta tunica lanea ad carnem et superinduta candido lineo vestimento aliquantulum super terram ultra talares terminos et mensuram virgineæ longitudinis defluente, incedit honestissime per cameram suam et sine intermissione eundo et redeundo utraque palma crebro ordine se percutit in maxillis, clara exinde et concordi sonorum constantia resultante : et sic diu loco psalmodiæ quasi in tympanis et cymbalis benesonantibus primi nocturni vigilias solemnizat. Postmodum vero, quasi pro lectionibus, in suis gestis texit exordium Dominicæ passionis, videlicet quomodo captus fuit et terribili quadam crudelitate tractatus. Tunc est videre qualiter ipsa nunc dextera manu ante pectusculum suum vestes proprias apprehendens seipsam trahit ad partem dexteram, nunc sinistra manu[1] similiter ad sinistram. Aliquando vero recte in antea, quasi ex tractus violentia, per varias vicissitudines impetu quodam præcipiti localiter se transfert, ac si ab aliis nequissime et violentissime traheretur, sicut de homicidis aut latronibus fieri consuevit, ut repræsentet illud : *Tamquam ad latronem existis,* etc. Subsequenter autem videres quomodo ipsa extentum dextrum brachium et manum in pugnum collectam quasi ex sævientis animi motu vibrat. Terribilibus oculis intuetur ; oculis ac manibus, signis et nutibus horrores[2] exprimit et terrores. Post quæ statim seipsam percutit, nunc ita

[1] (ante-manu) *add. ex L.* – [2] *ita L ;* (motu-horrores) motibus errores *B.*

fortiter in maxillam quod ad aliam partem totum corpusculum suum versus terram ex pondere percussionis inclinat, nunc in occipite, nunc inter scapulas, nunc in collo. Et tunc in anteriorem partem seipsam præcipitanter impellit, vel mirabiliter curvato corpore caput allidit ad terram. Nonnunquam etiam capillos nuper attonso capite satis breves, a parte frontis violenter arripiens, immotis pedibus tractu mirabili capite terram ferit. Sic etiam a dextris et a sinistris se capiens per capillos, hinc et hinc inaudito et inexplicabili modo seipsam manuali tractu exagitat et inclinat. Genas etiam proprias, quas antea nunc palma nunc pugno crebris percussionibus impugnabat, interdum contractis digitis ac si ipsas vellet effodere, comprehendit, illud propheticum Isaiæ L^mo repræsentans : *Corpus meum dedi percutientibus et*[1] *genas meas vellentibus*, etc. Nuncque[2] etiam versus oculos proprios brachium plicat et primum digitum post pollicem rectum et extentum, aliis ad interiora palmæ contractis, crebris et alternis vicibus eisdem oculis applicat, quasi vellet ipsos effodere vel forare. Hæc autem supradicta frequenter repetit et morose. Ex prædictis igitur apparet quod novo et inaudito modo simul et semel in se personam exhibet Domini patientis et persecutoris seu carnificis sævientis : personam Domini, dum patitur; persecutoris, dum pulsat, trahit, aut percutit aut minatur. Et sic in persona Domini propheticum illud signatur impletum : *Collegit furorem suum in me, et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis. Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. Aperuerunt super me ora sua, exprobrantes percusserunt maxillam meam : satiati sunt pœnis meis*, etc. His vero et aliis similibus frequenter et inenarrabiliter actitatis, quasi completo primo nocturno, compositissime et modestissime se supinam provolvit ad terram, quasi a laboris importabilitate respirans et suspirans ad supernum et spirituale solatium. Carnis viribus penitus destituta, spiritu pergit ad Deum spirituum omnis carnis, ut[3] in libro Num. (1) dicitur, et in Isaia xv° (2) : *Dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem roburque multiplicat.*

5. Post mediocriter diutinæ quietis et extasis intervallum fortis et alacris ad celebrandum secundum sub præmissa forma nocturnum tamquam bene et plene confortata consurgit. Loco psalmodiæ, ut supra scribitur, nova tympanistria carnem ponens pro cithara, genas pro tympano, jubilum pro psalterio, palmas et digitos pro plectro, modulationis organicæ instrumento ejusdem secundi nocturni vigilias novo psallendi genere solemniter prosequitur et devote, iterato subjungens figuras et signa et modos incipientis Dominicæ passionis[4] sub forma superius annotata. Quibus expletis, versus orientem vultu converso, stans recta, apertis oculis nihil videns, immo nec sese sentiens : mirabilis et ultra quam scribi aut narrari posset devotæ orationis, vultu, signis et gestu corporis insignia[5] protestantur : vultu, quem ultra capacitatem humani ingenii devotum exhibet et attentum; signis, quia vultui suo

[1] *ita L ;* et cet. *B.* — [2] Quandoque *L.* — [3] *cod.* Unde. — [4] *add. ex L.* — [5] *ita videtur legendum ;* in signa *ambo codd. Vel legendum* protestatur.

(1) Locus est Num. xxvii, 16. — (2) Immo xl, 29.

nec non et pectori et toti anteriori parti corporis variis et decentissimis modis imprimit signa crucis. Primo avertit se a vertice usque ad pectus in directum et transversaliter ab aure usque ad aurem, ducendo digitos et rectissimas protrahendo lineas per superficiem faciei. Deinde a superiori parte frontis usque versus umbelicum, recte et per medium pectoris transversaliter ducens manum. Item a capite quantum potest manum subtus extendere versus pedes, corpore stante recto, correspondente linea transversali, rectissimas exprimit formas crucis. Gestu etiam corporis devotam orationem insinuat, modo stans recta manibus junctis et oculis apertis elevatis ad cœlum, modo declinando se modestissimo et honestissimo motu versus terram absque genuum flexione; aliquando etiam flectendo genua, manibus semper junctis et ante faciem constitutis et oculis mediocriter erectis ad cœlum. In omnibus autem istorum statuum morulis quas non multum diu nec multum breviter sed mediocriter interponit, stat sicut statua, sicut rigens; et quotiens tangitur vel summitas digitorum seu extremitas cubiti vel quæcumque pars ejus, tota simul movetur, ac si non esset in ea vitalis spiritus, ut supra memini me scripsisse. His autem orationum figuris longe gratiosius et mirabilius quam scribere aut cogitare sufficiam adimpletis, modo supradicto ad terram sese reclinans longe diutius quam in aliis extasibus jacet in raptu. In hoc etiam raptu et in aliis inter os et nares ipsius aliquotiens vidi levissimam plumam poni, ita quod, si per labia aut per nares vel levissimus flatus exiret, statim plumam ejiceret : quæ tamen ita stabat immota per totum illius extasis intervallum, nisi forte eam aliquis antea removeret. Quo quidem intervallo satis morose completo, hilariter et expedite consurgens et ut supra dictum est seipsam percutiens et incedens, matutinas Laudes celebri maturitate sive matura celebritate [1] persolvit, orationes subjungens et omnia devote consummans juxta traditam supra [2] formam.

6. Denique raptu interposito simili suprascriptis, cum in omnibus super dispositis juxta ipsius assertionem nihil angustiæ sensit aut doloris, nunc primum finito raptu ad se reversa et propriæ infirmitati et sensibilitati reddita, ultra quam exprimi valeat aut describi incomparabilibus angustiis affligitur et torturis. Prius enim nihil [3] sentiens solemnizavit memoriam Dominicæ passionis : nunc autem in suis doloribus quasi ipsi compatiens dolores exprimit patientis, ac si illud oraculum Jeremiæ ipsi sui loquerentur dolores : *O vos omnes qui transitis*, etc. Tunc non potest procedere, quin immo nec surgere super pedes; sed super terram volvitur et rotatur. Frequenter etiam duris percussionibus caput collidit ad terram, et quasi continue caput, manus et brachia, etiam totum corpus lacrimabiliter et inenarrabiliter exagitat et distorquet. Tunc, si loqui valeret, vere diceret illud propheticum quod Domino patienti adscribitur : *Circumdederunt me dolores mortis*, etc. Frequenter etiam inter pœnas gemitus et singultus quasi mortales emittit, quasi fuerint ei dolores non solum ut parturientis, quin potius ut morientis. Qui etiam, quantum fas est credere, graviores quam morientis apparent. Audeo dicere quod inter omnes morientes quos vidi

[1] (s. m. c.) *ita L ;* celebritatem *B.* — [2] *ita L ;* sibi *B.* — [3] *add. ex L.*

seu in mortis angustia constitutos, nullos memini me vidisse tantis ac tam asperrimis doloribus cruciatos. Igitur juxta prophetam : *Contriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas* [1], considerantes tam puram virginem, tam Deo proximam et innocentissimam creaturam septies in die tam terribiliter flagellari. Quia, si in viridi hæc fiunt, in arido quid fiet? Septies, idcirco dixi, quia per singulas horas hujusmodi sustinet passiones. Post hæc autem, id est cum jam quantum ad illam horam imminet terminus tormentorum, quasi ex toto deficiens et penitus exinanita ab illa intolerabili pressura quiescit et brevibus temporis [2] intervenientibus intervallis singultus ad instar morientis emittit. Deinde vero ac si ipsum spiritum exhalaret rapitur, et ex toto quiescit a laboribus et torturis; et toto illo tempore satis mediocriter longo raptu in rigore membrorum et pallore vultus exsanguis, in omnimoda carentia sensus, motus et flatus nihil aliud in ea quam cadaver exanime repræsentari videres. Postremo Dominus qui mortificat et vivificat, post tempestatem tranquillum faciens, ipsam, redeunte spiritu, quasi redivivam restituit et mirabili quadam ex jubilo mentis proveniente honesta et verecunda vultus hilaritate festivam. Pressuræ non meminit nec contra veri et severi magistri flagella obmurmurat. Nulla in facie ejus vestigia turbationis aut tribulationis apparent; sed potius exterioris vultus clara gratiositas interiorem mentis jocunditatem denuntiat et affirmat. Cor enim gaudens exhilarat faciem, juxta proverbium Salomonis.

7. Statim offertur ei tabula quædam optime depictam habens imaginem Domini crucifixi; quam apertam et discoopertam ambabus tenens manibus, devotissime contemplatur dulcissimum Dominum. Et crebro commemorat hæc verba, frequenter ingeminans: *Here, soete Here,* id est *Domine, dulcis Domine* [3]. Purissimis labiis, in quibus diffusa gratia manifeste relucet, sæpe Dominicæ pedes imaginis dulciter osculatur. Inter hæc larga, profunda, jocunda et amorosa suspiria cum aliqua serena commotione pectoris et gutturis necnon et labiorum susurrio dulcisono ex intimo cordis arcano producit. Postmodum in eamdem imaginem cum tota mentis intentione figit mentem oculorum; et paulo post, gustatis ut creditur inenarrabili dulcedine Domini taliter patientis et passionis inæstimabili fructu, statim more solito rapitur et rigescit; et de consideratione imaginis ad contemplationem veritatis elabitur, eodem tenore retinens tabulam quo eam tenuit ante raptum. Quandoque junctis labiis pedibus crucifixi, collo et capite sic ut ad osculum occurrant parumper elevatis a terra, et sic rigens, manet immota toto reliquo corpore pavimento cohærens. Aliquando etiam eadem tabula super pectus versus faciem inclinata, nonnunquam cum aliqua distantia vultui superposita [4], secundum diversos modos tenendi tabulam in principio raptuum singulorum et in ipsorum raptuum spatiis, eadem tabula puellaribus digitis ita fortiter tenetur quod, cum ipsa tabula ab aliquo trahitur aut quasi conamine eam eripiendi concutitur aut movetur, nunquam discohæret digitis, sed movetur secundum modum tabulæ

[1] (pecc.-hyp.) *ita L ;* et cet. *B.* — [2] *ita L ;* temporibus *B.* — [3] (freq.-Dom.) Zuete Hyere, id est douce Siere *L.* — [4] *ita L ;* supposita *B.*

totum corpus. Denique revertens spiritus de patria spiritualium gaudiorum corpus vivificat, mentem lætificat, vultum exhilarat et gratiosa claritate [1] perlustrat. Et sicut in aspectu imaginis suspiriis et aliis inauditæ devotionis insigniis superius memoratis cum aliquo, ut videtur [2] intuentibus, perceptæ [3] dulcedinis incremento non modico temporis spatio perseverat. Inter horum vero solemnia jubilorum vultus ejusdem virginis nunquam est in diversa mutatus, sed in [4] consideratione imaginis fixe manet, ita quod nec hominem nec aliquid aliud præter tabulam intuetur. Nec aliquos alloquitur nec alloquentibus dat responsum; sed totæ reliquiæ cogitationis totaliter agunt diem festum Domino, non admittendo contrarium aut diversum. His omnibus longe solemnius et mirabilius quam meæ parvitatis stilus exarare sufficiat consummatis, eadem tabula a se prius composita et clausa, tradita alicui sibi assistenti personæ, extendit brachia ad matrem suam et sorores minores se ministrantes eidem. Quæ scilicet mater et sorores eam susceptam et elevatam a terra deferunt in cubile, illic reclinantes, eamdem claritatem vultus, caritatem cordis, jocunditatem mentis, spiritualium verborum dulcedinem sibi mirifice ministrantem. In verbis tamen est rara: quæ quidem verba non sonora sed serena quadam et dulci arrisione dulcorat cum verecundia virginali. Sic ergo nocturnis et matutinis Laudibus mirifice consummatis, totum tempus quod superest usque ad primam horam diei in lætitia et exultatione, in gratiarum actione et laudibus Salvatoris expendit, non oblita patriæ quam frequentat, in qua secundum Isaiam inveniuntur gaudium et lætitia, gratiarum actio et vox laudis.

8. Amodo ad describendas alias horas est brevius procedendum, quoniam plura superius exposita aliis conveniunt horis: quæ per singulas horas ita plane et plene repeti non oportet; sed cum opus fuerit, erit ad præcedentia recurrendum. Prima siquidem hora surgit, raptu, ut supra dictum est, præcedente; et statim stans recta, mira agilitate et velocitate post tergum projicit ambas manus, et sinistræ manus articulos ad dextrum cubitum et dextræ manus articulos applicat ad sinistrum, ita deambulans per cameram brachiis suis junctis a tergo ac si latro publice deprehensus ligatis manibus ad judicium vel ad supplicium duceretur: toto illius horæ spatio repræsentans qualiter Dominus noster ab Anna ad Caipham, a Caipha ad Pilatum, a Pilato ad Herodem, ab Herode iterum ad Pilatum non sine vinculorum ignominia ducebatur. Satis enim est credibile, ni fallor, quod detestabilis ille populus a vinculorum angustia, a latronum opprobrio nostro non parceret Redemptori, ad quem tamquam ad latronem exierat, quem cum tanta instantia latronum perire supplicio postulabat, tam improbe, tam frequenter ingeminans " Crucifige, crucifige. " Quem etiam suspendi postea in latronumque perire supplicio in edito procuravit [5]. Quot autem signa violentiæ et injuriarum indicia sic a seipsa virgo vinculata figuret, nec memoria ad tenendum nec ingenium suppetit ad dictandum. Postquam autem mediocriter temporis spatio per cameram sic incesserit, mirabili totius corporis flexione, brachiis semper junctis et dorso adhæren-

[1] *codd.* caritate. — [2] *ita L ;* videre *B.* — [3] *ita L ;* perceptis *B.* — [4] *add. ex L.* — [5] *ita L ;* procurant *B.*

tibus : absque manuum vel alio quolibet visibili adjutorio, composito tamen, non præcipiti, sed mediocri et lento motu seipsam supinam deponit ad terram, subtus dorsum brachia juncta tenens, et sic aliquamdiu tota rigens quiescit in raptu. Post hæc vero manus exerit[1] de sub dorso et ita duris et densis palmarum percussionibus proprium pectus tundit ut omnes intuentes stupeant et mirentur, et supra[2] humanam arbitrentur esse virtutem quomodo una eademque persona, etsi sexus, ætatis, sanitatis et complexionis prosperitate gauderet, tot et tam veloces et ponderosos ictus sibi ipsi inferre valeat et sufferre. Quid enim horum mirabilius vocem ignoro, circa tam imbecillem et fragilem creaturam : aut quod sic feriat aut quod sic ferat. Deo tamen, apud quem nihil est difficile aut impossibile, hoc totum arbitror attribuendum, præsertim cum præfata puella, ut supra dictum est, cum sibi redditur aut relinquitur virtute careat corporali. Post hujusmodi vero mirabilem et miserabilem disciplinam, absque suæ vel alienæ manus adminiculo mira agilitate sursum erigitur in momento, incedens per cameram ut supra, brachiis et manibus retro junctis. Item aliquando sistit gradum et recte stat ut statua, tota rigens. Et sic illam horam primæ aut incedens aut stans aut jacens aut se percutiens alternis vicibus solemnizat, subjungens orationes. Quas sequuntur angustiæ, tortiones et dolores. Deinde raptus et post raptum apprehensio et consideratio tabulæ, consolatio, gaudium et exultatio, raptuum iteratio et ad lectum translatio, et cetera omnia quæ in fine Matutinarum plenius et planius sunt descripta.

9. Horam vero tertiam et alias sequentes sub simili forma incipit, prosequitur et adimplet, excepto quod in tertia, incedendo et stando, signat et figurat qualiter Dominus noster extitit ad columnam ligatus : brachia ante pectus jungens, summitates digitorum cubitis supponens, elongans a pectore brachia sic conjuncta, quasi signato et vacuo relicto spatio pro columna : sic innuens, ut plus potest, quomodo eadem columna dulcissimi Domini nostri ligatis brachiis firmiter cingebatur, ut super beatissimum dorsum ejus peccatores quanto indeclinabilius, tanto firmius et fortius fabricarent. Cetera omnia quæ ad hanc horam[3] pertinent, perficiuntur ut supra.

10. In sexta vero hora et nona et Vesperis, exceptis illis temporis spatiis quibus sub forma suprascripta jacendo se percutit, in sui corporis dispositione semper exhibet formam crucis. Sed, ut hæc plenius intelligantur, sunt aliquantulum planius exponenda. In singulis igitur tribus horis, statim post raptum, qui semper horam ex more præcedit, de lecto velociter egrediens, pedem pedi et vulnus vulneri superponit : stans recta, manibus et brachiis in formam crucis extensis, oculis apertis nihil videns nec sentiens, sic aliquamdiu manet immota. Et si quando tangitur minor digitus dextræ manus, digiti alterius manus una cum tota mole corporis eadem motus qualitate movetur. Postquam vero aliquamdiu ita steterit in eadem dispositione pedis et corporis, absque manuum appositione seu appodiatione, non ruendo præceps sed corpus retro flectendo se[4] supplex

[1] *ita L ;* erexit *B.* — [2] *ita L ;* super *B.* — [3] *ita L ;* formam *B.* — [4] *add. ex conj. ; deest in codd. B et L.*

supinam ponit ad terram, sic jacens in extasi et in cruce. Paulo post, ut supra dictum est, diu fortiter et valde velociter percutit pectus suum, ita quod, sicut a quibusdam de nostris perspicacius attendentibus tam numerando quam æstimando potuit comprehendi, aliquando geminis et continuis ambarum palmarum percussionibus centies pectus tundit. Et in singulis horis diei sexies aut septies, et aliquando pluries, repetit hæc flagella. Quibus finitis, quia non potest incedere, cum pes semper sedeat super pedem, pro incessu pedum jacendo et, modo quem explicare nequeo, volvendo se super pectus et dorsum et latera, locum mutat. Et tunc super [1] pedem qui solus adhæret terræ, sine alterius pedis aut manus adminiculo surgit alacriter et stat recta. Quod quantum sit mirabile, notet lector. Tunc iterato se in figuram crucis extendit. Et quandoque solo pede, ut dictum est, terræ innitens, a parte unius lateris versus terram totum corpus inclinat : et ita stans diu stat in pendulo sic ad alterum latus fortiter inclinata puella, et ultra vires viriles uno vulnerato pede sustinet pendens corpus. Et hoc facit, si bene memini, circa finem horarum in quibus repræsentat effigiem crucis, depositionem ipsius Domini de cruce tunc significans, ut videtur. Ceterum post multas maneries repræsentationum crucis Dominicæ et multas percussiones virginis cruciatæ, subjiciuntur devotissimarum orationum inexplicabiles modi, quos non ut volui, sed ut valui, supra descripsi. Sed scio quod plene respondere non valuit facultas aut scientia voluntati [2]. Post hæc vero, in ultima videlicet statione, in qua scilicet stans [3] in figura crucis finem Domini repræsentat, videres quomodo pallida et exsanguis caput suum nunc in antea, nunc ad dexteram, nunc ad sinistram partem inclinat, ac si illud evangelicum nobis exponeret : *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Et paulo post, emissis singultibus et gemitibus inenarrabilibus, quasi emittens spiritum, super dexterum humerum caput inclinando reponit, illud insinuans : *Et inclinato capite emisit spiritum.* Post modicum vero temporis intervallum seipsam mere provolvit ad terram. Quod autem dico et supra dixi " seipsam provolvit, exagitat et inclinat „ et his similia, ad id quod extra videtur refero : quamvis hæc non sua, sed aliena virtute, ut supra memini, facta credantur. Post hæc autem succedunt dolores, angustiæ, consolationes et lætitiæ, et alia quæ in fine Matutinarum superius sunt expressa. Hæc autem tribus horis quibus Dominus in cruce creditur pependisse, scilicet sexta, nona et vesperis, crucis insignia in virginis innocentis membris et corpore demonstrantur.

11. In hora vero completorii in sui corporis gestu seu positione figurat Dominicam sepulturam, tam in sedendo quam in stando, præter horas quibus se percutit super anteriorem partem corporis sui, tenens brachia cancellata, in palmarum percussionibus et raptibus et orationibus et ceteris superius expositis totam illam horam continuans et consummans.

12. Adhuc autem, ut præcedentia clarius elucescant, notandum est quod prædicta puella in Matutinis et aliis horis ad quas mirabiliter celebrandas eam

[1] *ita L ;* semper *B.* — [2] *ita L ;* volutari *B.* — [3] *add. ex L.*

ad surgendum excitat nescio quod horologium infallibiliter temperatum, modo repræsentat signis et gestibus Dominicam passionem, modo vero gemitibus et tormentis, tam corde quam corpore, suam exhibet compassionem. Post hæc, quasi lætitiam resurrectionis et fructum passionis annuntians, in vultu et aspectu, et licet rarissimo tamen gravissimo et gratissimo [1] affatu, cordis exprimit jubilationem.

13. Illud etiam hic arbitror inserendum, quod ego et socii mei, abbates et monachi, in nocturnis et aliis quibusdam horis vidimus sanguinem per ipsius oculos exeuntem et vestem lineam qua superinduitur guttis inde fluentibus intingentem. Item per manuum et pedum vulnera sanguis, nobis videntibus, pluries ebullivit. De latere etiam ipsius quadam sexta feria, hora nona, per aperturam vestimenti sui, factam circa mamillam, sanguinem non omnino rubeum, sed quasi admixtum aquæ, vidimus defluentem. Et vestimentum laneum quod adhæret carni, vidimus eodem sanguine inquinatum. Necnon et partem lateris circa vulnus illud evangelicum insinuasse videtur, quod de aperto latere exivit sanguis et aqua. Et illud Isaiæ, LXIII° : *Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea et indumenta mea inquinavi,* etc. Nam non solum indumentum exterius quod tegit [2] carnem virginis, sed etiam indumentum interius, quod est caro virginis, in manibus scilicet, pedibus et latere, sanguine aspersum conspeximus et intinctum. Maxillas etiam sanguine ab oculis decurrente vidimus non modicum maculatas. Item aliquotiens per interungues et carnem, nobis intuentibus, fluxum sanguinis evomit extremitas digitorum : quod forsitan in persona Salvatoris nostri contingere potuit ex angustia et angustiosa brachiorum et manuum ligatura.

14. Item quomodo stabat juxta crucem Domini dulcissima Mater ejus nobis in dicta feria figuravit, ponens manum sinistram subtus maxillam, ad illam partem caput et collum inclinans, et tenens subtus maxillam dextram dextram manum : forsitan quasi ad instar Filii lanceati ab illa parte, scilicet dextera, pertransiret gladius a sancto Simeone promissus. Ubi enim dolor, ibi manus. Unde ab illa parte significabat manus appositione [3] dolorem gladii cordis, a qua parte transivit materialis gladius ad viscera Redemptoris; sinistra vero manus caput languidum, immo velut emortuum, sustentabat. Statum etiam beati evangelistæ Johannis nobis sub alia figura monstravit, ambas manus scilicet junctas, digitis intermixtis et super palmarum exteriora plicatis, a parte sinistra inclinato capiti [4] submittendo.

15. Cum igitur virgo nostra carne vapulet [5], corpore crucietur et mente lætetur : exterius sustineat crucem, interius possideat lucem, cum nunquam de flagellorum pugna pro carnis captivitate desperet, sed potius spe majoris fructus quadam mentis [6] exultatione uberius ad majora toleranda suspiret, *quid vidimus in Sunamite* [7] *hac nisi choros castrorum?* Certum est enim quod castrum ad

[1] et gratissimo *add. ex L ; deest in B.* — [2] *ita L ;* tetigit *B.* — [3] *ita L ;* apponere *B.* — [4] *ita videtur legendum ; codd.* capite. — [5] *ita L ;* vapuletis *B.* — [6] *ita L ;* inter *B.* — [7] *cfr.* Canticum cant. VI *et* VII, *ubi de* Sulamite.

pugnam pertinet; sed chori lætitiam repræsentant. Sunamitis enim interpretatur " misera „ seu " captiva. „ Et cum [1] puella nostra in miseria carnis afflictæ animam jam quasi cum Christo regnantem et cœlesti jocunditate fecundam in obsequium Christi ex perfecta humilitate et propriæ parvitatis reputatione captivet, vere demonstrat in corpore pugnam carnis, in facie choros mentis. Et vere, ni fallor, chori castrorum videri, id est notari possunt in ea, quia victoriosissimæ [2] passionis Christi triumphalibus armis et angelicis choris interdum, ut creditur, comitata, inimicos nostræ salutis expugnat, terribilis ut castrorum acies ordinata. Illud etiam prætermittendum non duxi, quod ex virgine et cruce totius humanæ generationis salus et vita processit. Quem igitur non delectet videre vel saltem mente recolere et tenere repræsentationem tam copiosæ virtutis, tam gloriosæ salutis [3] : virginem scilicet in cruce et crucem in virgine contemplando [4] ?

16. Quod si quis forsitan infirmitatem sexus muliebris abhorret in designatione seu exhibitione tam gloriosæ victoriæ, tam admirandæ virtutis, tam copiosæ salutis, attendat quod Dominus noster figuram victoriæ crucis suæ in liberatione populi sui et [5] inimicorum subversione in hoc sexu antiquitus præsignavit, ut Debboræ historiæ, Esther et Judith protestantur. Item in exitu Israel de Ægypto certum est cum fratribus præfuisse et præcinuisse Mariam. Item sexus iste in persona dulcissimæ virginis Dominæ nostræ, Dei genitricis Mariæ, particeps extitit victoriæ Filii patientis. Non solum quia gladius Unigeniti ipsius animam pertransivit, sed quia suum est sive de suo quod vicit, quod mortem nostram moriendo destruxit, quod vitam nostram resurgendo a mortuis reparavit. Unde ipsi Virgini Matri veraciter dici potest : " Hæc caro de carne tua. Hæc *viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto,* de tuis dulcissimis visceribus processerunt. „ Hinc quod, cum ageretur de miraculis procedentibus [6] ex divinitatis virtute, audivit a Domino Mater ejus : *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea :* innuens tunc horam esse venturam in qua sibi et ipsi communis esset carnis [7] victoria morientis. Unde in Ambrosiano Patris præsentans vultibus victricis carnis gloriam, et per Isaiam Dominus loquens de passionis suæ pressura, signanter dixit : *Torcular calcavi solus et de gentibus non est vir mecum.* Non enim dixit " mulier „ aut " homo „, qui est communis generis, sed " vir „ non est mecum : ne Virgo cujus fructus premebatur in prelo crucis, a torcularis pressura et fructu videatur excludi. De hoc enim scriptum est : *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda.* Hinc " vinum germinans virgines „ exprimitur [8] et emanat, in quo laverunt virgines [9] stolas suas. Cum igitur figura veræ et æternæ redemptionis seu liberationis populi in sexu muliebri præcesserit [10] et veritas redemptionis ex Virgine Matre processerit [11] cum victricis participio passionis, cum virgo filia Juda, id est Ecclesia,

[1] *ita L ;* est *B.* — [2] *ita L ;* victoriosissima *B.* — [3] *ita L ;* virtutis *B.* — [4] *ita L ;* contemplandos *B.* — [5] *ita L ;* etiam *B.* — [6] *ita prius ; perperam corr.* præcesserunt. — [7] *ita L ; deest in B.* — [8] *ita videtur legendum ; B et L* exprimit. — [9] *add. ex L ; deest in B.* — [10] *ita L ;* præcesserat *B.* — [11] *ita L ;* processit *B.*

hujus torcularis cujus vinum germinat virgines [1] obtineat ubertatem, non abhorret, ut videtur, a tramite rationis, si Sponsus virginum et corona, ad honorem gloriosissimæ Virginis, Matris suæ, in persona præfatæ virginis magnalia victoriæ suæ repræsentat et passionis suæ insignia manifestat. In sexu etiam virili, videlicet [2] in persona beati Francisci, dudum revelavit idipsum : ut sic uterque sexus non solum ex testimonio Scripturarum, sed ex vivis exemplaribus conditionis humanæ in cruce Christi inveniat quod honoret, veneretur, revereatur, imitetur, amet, et nihil excusationis prætendere possit [3] homo, quantumcumque illitteratus aut simplex, quem intemeratæ Virginis partus redemit, ut dicat : " Non possum legere aut intelligere tam profunda mysteria, quia nescio litteram „ vel " quia liber [4] clausus est „ cum non in membranis aut chartis, sed in membris et corpore memoratæ nostræ puellæ, scilicet vivæ et apertæ Veronicæ, suæ salvationis vivam imaginem et redemptionis animatam historiam sicut litteratus ita valeat legere idiota.

17. Illud etiam sciendum, quod in prædictæ virginis corporeis motibus et gestibus suprascriptis nihil indecens, nihil quod intuentium oculos offendere possit occurrit. Incedendo enim per cameram, quamvis nihil videat et vestes ejus defluant super terram, nunquam offendit pedibus, nunquam cespitat aut vacillat. Item deponendo se ad terram, aut surgendo, aut dum jacet seipsam totius corporis volutatione localiter transferendo, ita semper proprio vestimento obvolvitur et velatur, ut nihil incompositum, nihil prorsus appareat inhonestum.

18. Hæc circa descriptionem horarum ad præsens scripsisse sufficiat, multis de contingentibus prætermissis, aut propter defectum memoriæ aut propter difficultatem materiæ, quam stilus refugit imbecillis. Ceterum, antequam ad alia procedamus, ne forsitan interim lectorum aut auditorum mentes admiratio detineat in suspenso, quæ videlicet nos, abbates et monachos, ad videndum præmissa in domum virginis introduxit opportunitas per tot horas et detinuit per tot moras : sciendum est quod cuidam venerabili et religioso, sanctæ et honestæ conversationis, claræ et integræ opinionis et magnæ auctoritatis viro, abbati scilicet Sancti Trudonis, de Ordine S. Benedicti, ejusdem virginis, vicinæ suæ et secundum carnem cognatæ, dudum fuit a loci Diocesano cura sive custodia commendata. Qui tamquam alter Johannes virginis curam assumpsit. Cameram honestam aptari et oratorium competens et devotum, iis quæ ad celebranda divina conveniunt decenter et sufficienter ornatum, fabricari fecit ibidem; ita quod dicta capella ab ipsa camera subtili est distincta cancellari clausura, in cujus clausuræ medio est ostium per quod patet ad interiora capellæ, et de cubili virginis liber transit intuitus ad altare. Hic itaque pater venerabilis, carissimus noster in Christo, nobis in præmissis semper astitit, et noster extitit pædagogus, et puellarium sermonum fidelis et certus interpres. Ceterum de horis superactum [5] est.

[1] *codd.* virginis. — [2] *add. ex L ; deest in B.* — [3] *ita L ;* posset *B.* — [4] liber *add. ex L ; deest in B.* — [5] supra dictum *L.*

19. Nunc veniamus ad Missam, quam præfata virgo audit libentissime, quando habere potest copiam sacerdotis. Cujus celebrationi [1] studio miræ devotionis intenta [2], summis desideriis ad aspectum Dominici corporis aspirando suspirat. Statim vero cum elevatam aspicit hostiam consecratam, in ipso visionis momento totum corpus a renibus et [3] supra ex transverso lecti motu transfert mirabili, extensis brachiis hinc et inde crucem faciens, de se ipsa illud apostoli repræsentans : *Quotiens manducaveritis panem istum et biberitis hunc sanguinem, mortem Domini annuntiabitis*, etc. Sic enim in se crucem exhibens et plagas ostendens, mortem Domini annuntiare videtur. Et sic tota rigida manet in raptu, ita quod brachia, caput et collum [4] cum scapularum parte lecti terminos prætereunt et excedunt : et sic quantum ad illam partem corporis suspensa est in aere sine motu, quamdiu missarum solemnia celebrantur. Vultus autem virginis, aliquantulum sursum erectus, semper dirigitur ad altare, ac si per medium ostii aspicere videretur hostiam salutarem. Reliqua vero pars corporis, videlicet a renibus usque ad plantas, in suo situ remanet et ad longum lecti protenditur sicut ante. Finita vero missa et deposita casula a sacerdote, et ad se revertitur dicta virgo et in statu suo reponitur consueto. Ita recta jacet in lecto sicut jacuerat ante raptum.

20. Si vero tunc sacram communionem accipere debet, statim versus altare se vertit et elevatur a suis sororibus et a matre prædictis, retro appodiata vestibus vel gemino cervicali, sic manens nec jacendo nec recte sedendo; sed, quasi inter jacere et sedere medium statum tenens, junctis manibus, cum devotissimis suspiriis, spirituali aviditate et quandoque cum lacrimis sui Salvatoris et sponsi pie præstolatur adventum. Cum vero sacerdos adhuc indutus alba eidem Dominicum corpus offert, occurrit toto spiritu, totis votis; et in ipso momento quo os aperit [5] et hostiam accipit, ejusdem puellæ spiritus Spiritum Domini suscipiens, suscipitur a suscepto et rapitur in instanti: ita quod statim clauso ore et junctis labiis stat quieta. Nec unquam apparere potest quod sacramentum in ore teneat aut masticet, aut humectet [6] saliva, aut deglutiat aut in ore deducat. Nec movet dentes aut labia sive fauces. Quippe, ut dictum est, occurrens regi et sponso, spiritus virginalis statim ad spirituum patriam, ut ita dixerim, sanctorum vadit. Eadem vero puella sic rapta rigida perseverat non modico temporis intervallo. Et cum amoventur cervicalia vel alia prædicta elevati corporis fulcimenta, nihilominus perseverat immota in eadem positione corporis et membrorum, in qua erat quando corpus Domini suscepit. Postmodum vero ad se reversa, caput ad consuetum locum reclinat, et apparet vultus ejus valde speciosus et clarus et ultra quam dictare aut dicere sufficio gratiosus. Et tunc divinæ dulcedinis suavitate refecta et cœlesti dulcedine delectata, corporeos videtur abhorrere aspectus et humanos nunquam attendit affatus; et quantum audet sine præjudicio verecundiæ videri refugit et videre. Et sic in silentio et in stabili [7] mentis jubilo continuat illud tempus, usque

[1] *ita L ;* celebrationis *B.* — [2] *ita L ;* incensa *B.* — [3] et *add. ex L ; deest in B.* — [4] (cap. et coll.) *ita L ;* et collum caput *B.* — [5] *ita L ;* aperiat *B.* — [6] *ita L ;* humectat *B.* — [7] (i. s.) ineffabili *L.*

dum surgat ad celebrationem horæ sequentis. Et est sciendum etiam quod nunquam communicat, nisi confessionem faciat ante missam.

21. Quæ quidem confessio, ut a prædicto abbate cui confiteri ipsa consuevit, audivi, magis laudis quam criminis esse videtur. Multum tamen seipsam arguit pro eo quod non ita persistit in laudibus Salvatoris et gratiarum actionibus ut deberet. Item super eo quod quandoque, ut timet, plus debito contristatur super ingratitudine et damnatione humani generis, quia homines Dominicæ passionis et suæ salvationis beneficia non agnoscunt.

22. Porro, quia de confessione fecimus mentionem, scire volumus audire volentes quod servientes nostri, videlicet pedites qui custodiunt equos nostros, semel assistebant, orationum suarum suffragia petituri. Tunc unus ex eis, Theutonicus seu Brabantinus, qui noverat linguam ejus, flexis genibus supplicavit eidem ut pro ipso et sociis assistentibus Dominum precaretur. Tunc illa respondit : S*i vos vultis acquiescere consilio meo, libenter orabo pro vobis.* Quibus hoc promittentibus se facturos, statim illa subjunxit : *Confitemini ergo peccata vestra et agite pœnitentiam : et libenter orabo pro vobis. Alioquin de hoc me non intromitterem, quia laborarem in vanum.* Cum vero diligentius intueretur eosdem, unum ex eis, juniorem, simplicem et satis elegantem et bonæ indolis adolescentem, fecit ad se specialiter accersiri, et ipsi per interpretem dici fecit ut quam citius posset conversus fieret Claræevallis, vel alterius domus Ordinis nostri, in qua suæ conversationis locum invenire valeret. Et hoc ipsi modis omnibus consulebat. Cujus consilio idem adolescens libenter acquiescere se promisit. Quod et factum est : quia non multo post, ad preces ipsius puellæ, eumdem puerum misimus ad domum nostram et eum fecimus conversorum nostrorum collegio sociari. Cum vero præfatus abbas, ejusdem virginis gardianus, ab ipsa peteret me præsente quare eumdem puerum inter ceteros elegisset et ad ingressum Ordinis invitasset, juxta morem suum benigne et subridendo respondit quoniam ipsum in statu salvandorum esse cognoverat, et, si tunc discederet, cito sibi pateret patriæ cœlestis ingressus. Et propter hoc desiderabat ejusdem pueri statum religionis remedio et [1] religiosorum consortio roborari. De eodem puero postea compertum est quod frequenter et diligenter ad confessionis remedium recurrebat, et quotienscumque poterat missarum solemniis devotus aderat et intentus. In simplicitate autem et obedientia et innocentia socios suos, prout perpendi poterat, excellebat. Tertia vero die postquam hæc peracta sunt, præfatus puer Theutonicus qui pro se et sociis suis orationes virginis postulaverat, iterum visitavit eamdem. Quæ multis præsentibus in ipso momento quo eum videre cœpit, in hujusmodi verba prorupit : *Adhuc non es confessus. Stulte egisti, quia confiteri detrectes. Quare differs? Quare dissimulas? Inimicus callidus est, et ignoras articulum mortis tuæ.* At ille rubore suffusus inde recessit. Et sequenti die in civitate Leodiensi confessus est cuidam fratri qui potestatem summi Pontificis dicebatur habere, et absolutus est ab eo, ut post hæc asseruit idem puer. Hæc autem publice facta sunt et in occulto nihil; et quæ vidimus, hæc testamur.

[1] (relig. rem. et) *add. ex L ; deest in B.*

23. De iis quæ ab aliis audivimus, quia jam incipit crescere libellus in librum, breviter est agendum. Narravit mihi et sociis meis præfatus abbas quod in die Parasceves anno MCCLXVI° prædicta puella in [1] quodam intervallo horarum, id est inter duas horas, quando more solito quiescere solebat a [2] pœnis, cœpit dolere caput suum, et non potuit illud super pulvinar in eodem statu diutius retinere; sed per varias vicissitudines volvebat hinc inde. Quod cum adverterent mater et sorores prædictæ, accenso lumine, caput virginis propius et attentius intuentes, viderunt et assistentibus ostenderunt in circumferentia capitis virginalis ad modum coronæ quasi spinarum puncturas, guttis sanguineis rubricatas, spineam coronam Domini figurantes. Item anno supradicto in die beati Barnabæ in domo ejusdem virginis nobis retulit idem abbas quod die præcedente, id est in vigilia dicti festi, hora vespertina venit ad domum virginis. Et illa, finitis Vesperis suis, ab eodem abbate petivit cujus festum esset in crastino. Ipse autem abbas qui jam equitando dixerat Vesperas feriales, non advertens nec sollicitus de festo, per sui negligentiam capellani, respondit nullum fore festum in crastino. Cui illa : *Certe; immo jam in paradiso de quodam magno domino agitur magnum festum.* Quo audito et Kalendarii inspectione comperto, sancto debitum persolvit officium vespertinum.

24. Quadam vero die, petente eodem abbate ab ipsa quomodo seu qua virtute tot et tam gravissimas pœnas poterat sustinere, respondit: *Parum patior respectu cujusdam virginis cujus nomen Maria, quæ manet in quadam villa Flandriæ quæ dicitur Insula. Ipsa enim longe acrius et vehementius flagellatur quam ego.* Et tunc incepit dictæ Mariæ describere passiones, ac si ipsam vidisset pluries in angustia tormentorum : quam tamen nunquam viderat, nec de ipsa quidquam audierat ab aliquo mortali, ut creditur. Nec etiam abbas aliquid de dicta Maria sciebat, nec ad illas partes super hoc aliquis rumor ascenderat, quia loca dictarum virginum ab invicem multum distant. Adjecit etiam de illa Maria quod frequenter concurrentibus earum raptibus mutuo se videbant, et quod optime cognoscebat eamdem, dicens quod illa erat sapientissima puella et quod ipsa habebat spiritum sapientiæ et consilii. Et multum de ipsius patientia et sapientia revelavit : quæ cognovimus esse vera. Nam et ipsam frequenter visitavimus, per eam villam Insulam [3] causa visitationum nostrarum transitum faciendo. Dominus autem rex Franciæ ipsam aliquotiens visitavit, et ipsi valde honestam fabricari fecit capellam. Et de hoc satis ad præsens.

25. Altera autem die quidam nobilis et potens vir theutonicus, eidem puellæ et omnibus de domo prorsus ignotus, cum sua familia virginis domum intravit. Ad cujus ingressum virgo turbata eidem militi et assistenti sibi turbæ sic ait : *Domini, pro Deo, si est aliquis inter vos excommunicatus, recedat et non loquatur nobiscum, ne forte sui periculi nos participes efficiat.* Dum autem hæc diceret, ad eum nobilem oculos dirigebat. Quibus auditis, idem nobilis, confusus et absque responsionis aut cujuscumque sermonis prolatione [4], recessit. De cujus excommunicatione per

[1] *ita L;* inter *B.* — [2] *ita L;* in *B.* — [3] (villam Insulam) villam de Insula *L.* — [4] *ita L;* probatione *B.*

familiam ejusdem nobilis constitit in instanti. Ecce quomodo in spiritu statim cognovit excommunicationis flagitium, et prudenter præcavit excommunicati alloquium, et per consequens participationis contagium declinavit. In quo facto virtutem et auctoritatem clavium Ecclesiæ fideli testimonio et fideli compendio commendavit. Hoc autem fideliter nobis retulit idem abbas, quod nec ipse noverat nobilem prænominatum.

26. Quis autem fructus proveniat de virginis passione et de iis quæ divina virtus mirabiliter operatur in ipsa, novit idem Dominus, cujus, juxta Scripturæ testimonium, vacua non sunt opera, sed perfecta. Eadem vero puella petentibus ab ipsa an vellet liberari a pœnis quas patitur ultra vires, tale consuevit dare responsum : quod non est aliquis tam flagitiosus peccator, tam incredulus, tam perversus, tam perditus, quin libenter sufferret similia vel majora, si sentire posset consolationes et fructus exinde sequentes, quemadmodum ipsa sentit. Intelleximus etiam per quamdam fide dignissimam personam, quam propter secreti commendationem prodere non audemus, quod sæpedictæ virginis innocentis orationes, passiones, supererogationes multa millia animarum a vinculis peccatorum et pœnis purgatorii liberarunt. Quippe cum fide et dilectione tam singularis innocentiæ gratia sufficeret ad salutem : tot, tanta et talia supererogata merito aliis debent proficere, ne sint frustra; quin immo cum fœnore multo redduntur, maxime illis qui compatiuntur virgini patienti et pro quibus afficitur dicta virgo.

27. Pro omnibus autem afficitur et omnibus vult salutem. Omnes ad confessionem et pœnitentiam exhortatur. Contra ingratos invehitur, et ad laudes Salvatoris et gratiarum actiones invitat. Ipsius totus in talibus fervet zelus. Semel autem, sicut nunc hæc scribendo mea mihi quantum ad hæc prius sopita memoria repræsentat, eadem puella febris quartanæ violentia ultra alia ordinaria tormenta miserabiliter tunc afflicta, ad me dirigens oculos, sicut potuit hunc explicuit sensum verbi : *Domine abbas Clarævallis, multum debetis esse attentus in laudem Dei et prædicationem nominis ejus, et dirigere animas ad salutem.* Hæc et alia similia prosequendo, erectis sursum oculis rapitur in instanti ; et totum corpus rigidum et tunc motivo seu movente spiritu destitutum, a tremore et febrili dolore cessavit.

28. Postmodum vero jam spiritu reverso, cum apud nos de humilitatis materia tractaretur, petivit ab interprete nostro, Clarævallensi monacho theutonico sibi noto, cujusmodi sermo tunc inter nos haberetur. Quo respondente : *De humilitate fit sermo,* statim ipsa subjunxit simplicibus verbis : *Si de humilitate vultis addiscere, eatis ad scholas dulcissimæ Dominæ nostræ, virginis Mariæ, dulcissimi Domini nostri Jesu Christi dulcissimæ genitricis. Ipsa enim summa est gloriosæ humilitatis magistra.* Dum vero de humilitate et gloria Virginis gloriosæ, prout per interpretem intelligere potuimus, mirabiliter et solito magis alacriter loqueretur, supervenit præfatus abbas, curator illius. Qui, intellecto quod de Domina nostra loqueretur, cœpit ridere et dicere nobis quod ipsa puella, quando incipit loqui de gloriosa Virgine, nonnunquam in quosdam prorumpere consuevit excessus ; nec loquentem quempiam de ipsa Domina libenter audit, nisi ipsam appellaverit virginem Mariam vel Reginam gloriæ seu Dominam paradisi vel hujusmodi : nec

tamquam sufficientem laudatorem admittit, nisi ipsius appellationi adjiciat titulum *Matris Domini.* Hinc enim pendet summa gloriæ laudis ejus.

29. Ceterum de cetero breviter cetera perstringamus. Scire volentibus innotescat quod interiori puritati ejusdem virginis exterioris munditiæ puritas attestatur. Sicut enim, secundum commune testimonium sibi convenientium [1], prohibuit linguam suam a malo et labia sua ne loquerentur dolum, ita de ore ipsius nec saliva nec sputum, nec de naribus ejus aliqua emunctionis materia aut humor aliquis emanavit. De cibo autem et potu ipsius, expertus hoc scribo. Semel hora debita, si bene memini, inter sextam et nonam, attulit mater ejus eidem modicum lactis in quadam scutella : et tunc quidam socius et coabbas noster de Valle Clara coclear lacte plenum applicuit ori ejus. Quo cocleari tribus interpolatis hiatibus satis ut videbatur difficulter exhausto, fastidire cœpit et quasi abhorreret [2] cibum oblatum. Et statim oblatum est ei poculum vini lymphati; et cum gustasset, noluit bibere. Et bona conscientia audeo dicere quod plus bibendo semel hausisset de gurgite vel de fonte columba, quam puella de cypho. Ad hoc enim, ut creditur, manducat et bibit, ut hominum satisfaciat voluntati, magis quam suæ voluptati vel etiam necessitati. Et si quando aut fructus arborum aut carnes aut pisces apponuntur ori ejus, tunc sugendo attrahit aliquid de subtili substantia, nihil incorporando [3] de materia grossiori. Et notandum est quod ipsa aut parentes aut familia domus suæ ad accipiendum aliquod munus aut donum aut quodcumque exenium quacumque importunitate seu intantia flecti non possunt. Satis enim habent, ut asserunt; contenti facultatibus quas Dominus dedit ipsis. Miræ enim simplicitatis sunt et innocentiæ, ut in hoc et propria consideratio et fide digna relatio nos instruxit.

30. Nostra igitur virgo, cujus tota vita miraculum, immo quæ ipsa tota miraculum, ut ex suprascriptis apparet, non solum Christum et [4] ipsum crucifixum in suo corpore, sed etiam Christi corpus mysticum, id est Ecclesiam, effigiat et exponit. Ecce enim in horarum distinctione repræsentat ritum universalis Ecclesiæ divinitus institutum et a psalmista prævisum dicente : *Septies in die laudem dixi tibi ;* in stigmatibus et pœnis fidem astruit passionis ; in jubilo et jocunditate post pœnam, resurrectionis ; in raptibus, ascensionis ; in rubore et revelationibus et spirituali vita, Spiritus sancti missionis. De sacramento autem altaris et confessionis et tunc de desiderio salutis omnium et dolore ingratitudinis et absortionis [5] absolutionis humani generis, satis supradicta declarant. Quam inexcusabilis es, o homo, si te ad robur fidei et caritatis affectum et devotionis studium tam viva et tam manifesta non excitant argumenta ! Adhuc super prælibata materia multa scribenda supersunt ; sed necessitas occupationum et propria corporis imbecillitas necessario claudit stilum. **Explicit.**

[1] conviventium *L.* — [2] *ita L ; in B etiam prima manu, sed, litteris punctis deletis, legendum nunc indicatur* abhorret. — [3] *ita L ;* incorperando *B.* — [4] *ita L ;* sed *B.* — [5] *intellige* quod sortem suam participem non faciant.

LVII. Codex signatus n° 2896.

Foliorum 63, formæ minimæ (0^m, 158 × 0,114), lineis plenis ductis stylo ferreo, exaratus seculo X. Tituli totius Vitæ et indicis capitulorum capitalibus litteris minio descripti sunt. Singulorum etiam capitulorum (quorum tituli repetiti non sunt sed tantum numeri minio designati), prima verba capitalibus litteris et subinde minio expressa sunt. Originem codicis nulla nota indicat. Totum complet

Vita sancti Mauri confessoris et monachi.

Vita auctore Fausto, edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1039-1050. — Folio exciso post fol. 12, finis indicis Capitulorum cum initio Vitæ desideratur.

LVIII. Codex signatus n° 2921-22.

Foliorum 68, formæ minoris (0^m, 175 × 0,125), lineis plenis stylo ferreo ductis, exaratus seculo X. Tituli litteris capitalibus minio (una linea tituli primi colore viridi) descripti sunt. Minio etiam designatæ litteræ initiales utriusque documenti in codice contenti et etiam prologi prioris, atramento in exordio singulorum capitum, nec ullis ornamentis decoratæ.

Folio 1^r inscripta est hæc nota manu seculi XVII : *Liber monasterii Stabulensis.*

Duo exhibet codex itinera Terræ sanctæ, videlicet Arculfi episcopi (fol. 1-52^v) et De locis sanctis quos perambulavit beatus Antoninus martyr (fol. 52^r-68^v).

Utrumque ope hujus codicis et aliorum editum a cl. T. Tobler inter *Itinera et Descriptiones Terræ sanctæ lingua latina sec. IV-XI exarata,* sumptibus Societatis illustrandis Orientis Latini monumentis. Genevæ 1877. (Nota in editione citata designari nostrum codicem quasi sit n° 292. Lege 2921-22.)

LIX. Codex signatus n° 2926-28.

Foliorum 97, formæ minimæ (0^m, 155 × 0,11), litteris plenis stylo violacea tinctura imbuto ductis, exaratus seculo XV. Tituli minio descripti, litteræ initiales minio vel cæruleo : et exordio quidem singulorum librorum trium non ineleganter decoratæ, ceteræ nullis ornamentis.

Folio 1r inscripta est hæc nota : *Viridis vallis in Zonia 1614;* et folio 97v : *Aub. Miræus vidit 1622.*

Totum fere codicem complet tractatus

[De viris illustribus monasterii Viridisvallis] (fol. 8r-90r).

Hujus tractatus *Liber secundus* (fol. 33-68) totus est *de vita* [et] *miraculis fratris Johannis Ruusbroec, devoti et primi prioris Viridisvallis* (fol. 32v) ; *tertius* vero (fol. 69-90) *de vita fratris Johannis de Leuwis, alias dicti de Affliginio, Boni Coci Viridisvallis* (fol. 68r). In fine totius lucubrationis, manu seculi XV, diversa ab ea quæ codicem descripsit, adscripta est hæc nota (fol. 90r) : *Explicit tractatus seu liber tertius, et sic finis totius operis de origine monasterii Viridisvallis et de gestis patrum et fratrum in primordiali fervore ibidem degentium, quæ edidit frater Henricus ex Pomerio, quondam professus in eodem monasterio, magister in artibus et clericus egregius. Est exclusus sed inclusus Henricus ex Pomerio. Vera salus fratribus Viridis sit vallis.* Secundum aliam notam inscriptam fol. 7v manu seculi XVI, fertur “ *Vita B. Joannis Rusbrochii* (nihil hic de duobus aliis libris) *scripta ab Henrico Pomerio, Canonicorum Regularium Priore in Viridi Valle, qui vixit paulo post tempora Rusbrochii, et obiit anno Christi 1469. Vitam a Pomerio conscriptam fusius in compendium redegit Surius et operibus Rusbrochii præfixit.* „

Porro quæ supererant in codice folia scriptura vacua, videlicet in capite folia 1-7 et ad calcem 90v-96r, adhibuit quidam extremo seculo XVI describendo lucubrationem, cui titulus : *Planctus venerabilis fratris Wilhelmi Jordani, canonici regularis Viridisvallis, super obitu fratris Johannis de Speculo, alias de Cureghem, ejusdem cœnobii devotissimi diaconi.* Hic titulus repetitus est in fine (*Explicit planctus*, etc.), subjunctis his verbis : *Qui obiit anno Domini* M°. CCCLVIII, *ipso die beati Matthæi evangelistæ.*

Nobis visum est integrum codicem, quo et piorum virorum memoria et insignis monasterii Viridisvallis primæva historia adeo illustratur, in *Analectis* vulgare (1).

LX. Codex signatus n° 2939-44.

Foliorum 260 (præter sex insiticia in capite codicis), formæ minimæ ($0^m,15 \times 0,11$), lineis plenis, exaratus seculo XIV. Tituli minio descripti, sicut et litteræ initiales, nullis ornamentis.

Penultimo foliorum insiticiorum inscripta est hæc nota manu seculi XV : *Liber ecclesiæ S. Remacli in Stabulaus;* et ultimo : *Liber monasterii Stabulensis.* Præ-

(1) Vide *Analect. Boll.*, tom. IV (1885).

terea folio agglutinato interius tegumento numeri 76bis (manu sec. XVIII) et (typis recentioribus) 11. e 6.

Continentur in eo codice a fol. 188ᵛ-216ᵛ brevicula Vitarum SS. Georgii martyris, Mathiæ, Matthæi, Vincentii levitæ, Christofori, Decem millium martyrum, Christinæ, Eufemiæ, Barbaræ, Pauli, Teclæ, Theodori, Erasmi, Quiriaci, Eulaliæ, Adriani, Joannis. — Deinde a fol. 216ᵛ ad finem, Evangelium de Nativitate S. Mariæ cum Evangelio infantiæ Domini, quæ edita sunt apud Fabricium, *Cod. apocr. N. T.*, tom. I, p. 1 sqq. In cod. non paucæ notari possunt lectiones variantes.

LXI. Codex signatus nº 3391-99.

Hujus codicis, qui est formæ mediæ ($0^m,315 \times 0,22$), columnis binis, lineis plumbea graphide ductis, certa ætas definitur notula fol. 185ʳ post Vitam sanctarum Undecim millium virginum adjecta, quæ talis est : *Finita anno Domini MºCCCCºLXXX.*

Constabat olim foliis 242; nunc initio desiderantur folia 15. Tituli Vitarum ut plurimum, capitulorum vero identidem, minio scripti sunt, non aliter ac litteræ initiales paragraphorum ; quarum tamen duæ vel tres (videsis ad finem Vitæ S. Elisabeth viduæ) cæruleo colore ductæ sunt. Litteras ad Vitarum initium positas violaceo, bis terve viridi colore adhibito, ornavit haud imperita manus, ipsis litteris addens volumina quæ totam columnæ marginem transcurrunt.

In margine superiori folii 16ʳ (quod nunc primum est codicis), hæc manu recenti stylo plumbeo scripta leguntur : *Beth. Lov.* Quibus significatur codicem fuisse olim Canonicorum regularium cœnobii Bethleem prope Lovanium.

1º Legenda beatissimi Sebastiani martyris (fol. 16ʳ-31ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Jan., tom. II, p. 265 sqq. — Passione descripta, hæc adduntur ab eadem manu, tanquam ultima paragraphus :

> Baldewinus, abbas S. Dionysii sacrique palatii archicapellanus, Romam mittens, a papa Eugenio corpus sancti Sebastiani accepit et Suessionis in basilica S. Medardi collocavit. Ibi dum adhuc inhumatum in loco in quo allatum est jaceret, tanta signorum et virtutum gratia in nomine ejusdem martyris emicuit, ut a nullo mortalium vel enumerari vel enarrari possint. Quorum quædam tanti stuporis esse dicuntur, ut humanam fidem excedant, nisi certum esset Deum, pro quo idem martyr passus est, omnia facere posse. Hæc translatio facta est tempore Ludovicii Pii,

Karoli Magni imperatoris filii, anno XI regni sui, ab Incarnatione vero Domini DCCCCIIII° *(sic)*.

2° Vita ac passio S^tæ Barbaræ virginis et martyris [una cum translationibus et miraculis ejus] (fol. 32^r-60^v).

Hæc omnia fuerunt olim typis mandata, ut patet ex sequentibus quæ præfixa leguntur cuidam apographo ejusdem Passionis descripto ex codice Rubeævallensi (quod apographum nunc in Bibl. Regia Bruxellensi sub num. 8964 inter collectanea Bollandiana asservatur: *S. Barbara, auctore Joanne de Waekerzeele augustiniano. Habentur hæc omnia, excepto prologo et miraculo ultimo, in libro bibliothecæ Bruxellensis in 4°, corio vulvo, in quo varia antiqua impressa, sine anno; in principio est Puteani Virgo Bellifontana. Idem opusculum nos* (scilicet socii Bollandiani) *habemus impressum integre cum titulo et prologo cum legenda S. Catharinæ.*

De hac legenda S. Barbaræ cfr. etiam opus Nicolai Muller S. J.: *Acta S. Barbaræ virginis et martyris, patronæ morientium,* in quo et nonnulla ipsius legendæ excerpta et fere omnia miracula in codice relata, ordine tamen inverso repeiuntur.

Prologus in Vitam ac Passionem in cod. sic incipit:

Viro cuidam devoto. spectabili ex prosapia oriundo, viro inquam magnæ bonitatis, majoris honestatis ac maximæ caritatis quidam, licet indignus, sacræ paginæ professor salutem et osculum pacis... *Desinit:* Et si quid minus bene dictum in eo reperitis, meæ adscribite simplicitati; bene dictum vero divinæ imputetis bonitati. Ab ea est enim omne datum optimum et omne donum perfectum, descendens a Patre luminum. Cui sit honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Ipsa legenda (Vita et Passio) sic incipit:

Veridica evangelii sanctione comperitur caput triumphantis et militantis matris Ecclesiæ nostræ, Dominum universorum Christum, hoc verbum protulisse, ne animos fidelium ferirent durius jacula non prævisa: Trademini a parentibus... *Desinit:* cantansque canticum novum in exultatione et gaudio. Voce infatigabili apud hunc Agnum dignetur pro nobis intervenire, ut maculis omnibus expiatos suo nos vellere velit induere, et quos redemit sanguine suo non sinat juri subjacere alieno. Ad laudem et gloriam nominis sui, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Miracula sic incipiunt: Promere cupiens laudes excellentissimæ virginis et martyris Barbaræ, sponsæ Christi beatissimæ, occurrit menti...

Prima Translatio incipit: Benedictus Dominus Deus Israel, qui sic dignatur visitare populum suum christianitatis charactere insignitum, ut æqualitate quadam pares omnes faciat in sanguinis perfusione sui lateris pariter et aquæ, nec personarum est exceptor, sed abundantia suæ pietatis piissimæ et caritatis largitor gratiarum. Is vero suum ad libitum ire cernens mundum per abrupta vitiorum infidelitatemque succressere, permaxime circa partes Ægypti, cogitavit in infidelitate perseverantes delere in iniquitatibus suis... *Desinit:* Qui ob hoc obliti victoriam, solum de thesauro spirituali gratulabantur invento, quem, videlicet tam

beatæ et inquerulosæ virginis Barbaræ corpus, Romam usque devotissime deduxerunt, ubi in loco, qui dicitur cimiterium beati Calixti, quo plurimorum sanctorum corpora requiescunt, decenter cum gaudio et honore exhibito collocatum fuit.

Secundæ translationis historiam videsis in Appendice.

3° Legenda sanctæ virginis Veronæ, cujus corpus sepultum est prope Lovanium, in via media inter Lovanium et villam quæ appellatur Fura (fol. 60ᵛ-63ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Aug., tom. VI, p. 526-529.

4° Vita beatæ Ragenuflæ virginis apud Inchordiam quiescentis (fol. 63ᵛ-65ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Julii, tom. III, p. 696-699. — Prologus in cod. deest.

5° Vita beatæ Hermelendis virginis (fol. 65ʳ-67ᵛ).

Vita prolixior et, ut videtur, minus sincera quam ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 29 Oct., tom. XII, pp. 849, 850. Cfr. Comment. præv., numm. 3, 4.

6° Passio sanctæ Victoriæ virginis, quæ est decimo Kalendas Januarii (fol. 67ᵛ-68ᵛ).

Edita in *Analect. Boll.*, tom. II, p. 157-160. — Sed in cod., omissis num. 1-4 ac fere toto num. 5, incipit : Eo tempore quo sancta Victoria, virgo Christi, apud territorium Tribulanum pro fide sua et castitate servanda destinata esset exilio, extitit in civitate Tribulana draco pessimus... — Nota pontificem Capitolii hic vocari *Jovianum;* nomen vero comitis scribi *Thaliarchum*... Inventæ sunt autem in illo anno virgines novem... ita ut infra paucum tempus amplius quam LXIII fuerint in conversatione ejus... (Comes) percussit eam gladio in corde et fugit, timens populum civitatis. Habuit autem luctum de ea per septem dies tota civitas. Venientes autem sacerdotes Christi...

7° De sanctis martyribus Yppiodo *(intellige Epipodio)* et Alexandro (fol. 69ʳ-70ʳ).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 22 April., tom. III, p. 8-10; scilicet num. 8-14.

8° Vita et mores beatissimæ Elyzabeth viduæ (fol. 70ʳ-94ʳ).

Vita auctore Theoderico de Apoldia, edita apud Surium, ad d. 19 Nov.

9° Vita et conversatio beati Germani, episcopi Pariseorum (fol. 94ʳ-99ʳ).

Vita auctore Venantio Fortunato, edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Maii, tom. VI, p. 778-787. — Sed in cod. desunt num. 7, finis num. 10 (*Accidit ut puella*...) et numm. 11. 12, 16, 20-35, 37-39.

Post Vitam legitur hæc nota : *Item in exemplari habentur adhuc* XL *miracula*

quæ Dominus per sanctum virum in vita sua dignatus est operari; quæ hic brevitatis causa prætermissa sunt. Et statim sequitur sine titulo :

10° [Translatio ejusdem] (fol. 99r-102v).

Fragmentum historiæ translationis auctore monacho S. Germani de Pratis, editæ tom. modo cit., p. 788 sqq.; scilicet num. 1-9. — Cod. ita desinit :

> Sed et alius quidam, Bituricensis... *(cfr. ibid. num. 10 init.)*... membrorum, ad sepulcrum viri sancti veniens sanatus est. Item plura et alia miracula Dominus operatus est meritis et intercessionibus sanctissimi Germani confessoris. Unde fere LX et ultra miracula habentur in exemplari, quæ hic causa brevitatis omittuntur. Quæ autem mirabilia contigerunt in ejus sanctissimi corporis secunda translatione et reportatione, et de aliis mirabilibus, quis sufficienter enarrare sufficiat?

11° Vita S. Vincentii Madelgarii, ducis Hiberniensis et Hannoniæ comitis (fol. 102v-111r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 14 Julii, tom. III, p. 668-677. — In cod. num. 12 om. præter init. usque ad : *instituunt promovendum;* item ultima pars num. 13 (*Felix inquam proles...*) om.; num. 14 om. præter secundam phrasim (*Erant enim sorores... nuncupata*) et ultimam (*Ceterum libellus*).

12° De miraculis ejus (fol. 111r-112r).

Miracula edita ibid., p. 678 sqq., sub num. 2-4. — Post primam phrasim num. 5 cod. ita desinit : *quæ causa brevitatis hic scribere omittuntur; nam in exemplari adhuc habentur* VIII *miracula.*

13° Vita S. Landrici, Metensis episcopi et confessoris (fol. 112r-114r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.,* ad d. 17 April., tom. II, p. 489-491. Cfr. Comm. præv. num. 2, et annot. *k*.

14° Vita Madelbertæ sororis ejus (fol. 114r-114v).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.,* ad d. 7 Sept., tom. III, p. 109-111. Cfr. Comm. præv., num. 15.

15° Vita sanctæ Aldetrudis, sororis ejus (fol. 114v-115v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Febr., tom. III, pp. 510, 511. — Vitæ hæc annectitur nota :

> Notandum est hoc, ad texendam genealogiam aliqualem præfatorum sanctorum, quod venerabilis Pipinus, primus dux Brabantinorum, accepit uxorem Aquitaniæ gentis, Ittam sive Ydubergam nomine, sororem sancti Modoaldi, Treverorum archiepiscopi, et sanctæ Severæ abbatissæ, ex qua genuit

sanctam Gertrudem et beatam Beggam ducissam, de qua prodiit stirps Karilodarum. Soror autem præfati Pipini dicebatur Amelberga, et fuit nupta nobili viro Walberto, ex quo concepit duas proles : videlicet Walbertum et Amelbergam. Hæc nupsit Witgero comiti, ex quo concepit tres sacras soboles : Emelbertum, Gudilam et Reynildem. Walterus* vero, frater præfatæ Amelbergæ, hujus nomine secundæ, duxit uxorem, nomine Bertiliam, ex qua genuit Aldegundem et Waldetrudem, quam desponsavit Maldegario comiti, cognomento Vincentio. * sic.

16° Vita et passio sanctæ Apolloniæ Romanæ virginis (fol. 116ʳ-116ᵛ).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 9 Feb., tom. II, pp. 280, 281 (scilicet num. 29-33). — Initium, seu num. 24-28, paucissimis verbis contrahitur.

17° De sancta Anna et beato Procopio, episcopo Pragensi (fol. 117ᵛ-118ᵛ).

Parum diversum ab eo quod editum est in *Act. SS.*, ad d. 26 Julii, tom. VI, pp. 264, 265, num. 11-16. — Additur in cod. quædam oratio quam ipsa Deipara cuidam devotæ feminæ fertur tradidisse.

18° Vita S. Severi, Ravennensis archiepiscopi (fol. 118ᵛ-119ᵛ).

Vita concinnata ex gestis quæ narrantur in duplici Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Feb., tom. I, p. 82 sqq. et 88 sq.

19° Translatio sancti Nicolai, Mirreæ civitatis episcopi, (fol. 119ᵛ-123ᵛ).

Relatio edita apud Carminium Falconium, *Sancti Nicolai Acta primigenia*, p. 131-139. — Num. 15 om., ac pro ultima parte num. 14 (*Præterea in sexta feria...*) ita cod. : Quid multa? Quotidie undecumque fideliter ad suas concurrentibus reliquias, quacumque infirmitate gravatis, idem Dei confessor invisibiliter obvians, in viis vel plateis, silvis et ruribus, in civitate vel oppidis, celerem præstare dignatur sanitatem.

20° Vita et passio sancti Juliani martyris (fol. 124ʳ-138ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad. d. 9 Jan., tom. I, p. 575-587. — In cod. num. 64 om.

21° Vita sanctæ virginis Christi Amelbergæ (fol. 140ʳ-152ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad. d. 10 Julii, tom. III, p. 90-102.

22° De translatione sacratissimi corporis virginis almæ Christi Amelbergæ (fol. 152ʳ-153ᵛ).

Editum ibid., pp. 103, 104 (num. 48-55).

23° Sermo domni Radbodi, sanctæ Trajectensis ecclesiæ episcopi, de vita et meritis paradoxæ virginis Christi Amelbergæ (fol. 153v-155r).

Editus ibid., p. 88-90.

24° Legenda sanctæ Waldetrudis electæ (fol. 155r-160v).

Vita auctore Philippo, Bonæ Spei abbate, edita apud Migne, P. L., tom. CCIII, p. 1375 sqq. — Quod apud Migne sub titulo " Prologus „ Vitæ præmittitur, in cod. deest. Prologus codicis incipit : Ad illuminandam viam...

25° Vita sanctæ Aldegundis virginis (fol. 160v-166v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Jan., tom. II, p. 1035-1040.

26° De vita et conversatione sanctæ Rayneldis virginis et martyris (fol. 166v-169r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Julii, tom. IV, p. 176-178. — Pro *duasque sorores...* (in fin. num. 1) cod. : *tresque filias, quarum una Gudula, altera Rayneldis vocabatur, et tertia Pharaïldis, ut in Vita beatæ Gudulæ habetur.* Num. 15 ultima phrasis (*Hoc igitur pro posse...*) om.

27° Vita sanctæ Pharaildis virginis, apud Gandavum quiescentis (fol. 169r-171v).

Hæc Vita media consistere videtur inter longiorem editam in *Act. SS.*, ad d. 4 Jan. (tom. I, p. 170-172), nuper vero majori cura a clar. Domino E. Hautcœur in opusculo *Actes de sainte Pharaïlde* (Lille 1882), p. 1-17, et breviorem ab eodem præstantissimo viro ibid. primo editam p. 18-24. Quoniam itaque Vitæ brevioris quasi fons exhibetur in textu præsentis cod. Brux. 3391-99, hujus textus in Appendice notitiam quantum satis erit, dabimus.

28° Epistola ad virgines Christi universas super historiam novam XI millium Virginum nuper revelatam (fol. 172r-185r).

Est liber I narrationis editæ in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 173-185. — Num. 1 pro : *Frater N.* cod. : *Frater C.*, et in fine add. clausula de S. Cordula *(Quicumque autem...)* edita in *Analect. Boll.*, tom. II, p. 341.

29° Vita sanctissimi Henrici imperatoris (fol. 185r-192r).

Vita auctore Adalberto, edita in *Monum. Germ.*, Scriptt. tom. IV, p. 792 sqq. — At in cod. libri I tum num. 7-19 tum numm. 26, 27 omm. Contra num. 21, inter *comprobatum est* ac *Qualiter autem* (lin. 20, p. 805), in cod. (fol. 187r) hæc interponuntur :

Habuit autem imperator Henricus uxorem nomine Kunegundem, comitis palatini filiam, simili secum decore virtutum et sanctitate vitæ pollentem, quam nunquam cognovit, sed

ut sororem dilexit. Unde quoad vixerunt, cælibem vitam ducentes ambo virgines permanserunt, donec ad innubas transierunt.

Paulo inferius (lin. 33 post *dicto*) add. in codice (fol. 187v):

Elapsa est cœlitus vox ad eam, dicens: *O virgo intacta, orationem tuam exaudivit Virgo Maria.* Quo divinitus roborata virgo oraculo, confestim omnis confusionis procul timore pulso...

Tandem inter *pertransiit* et *Ita* (lin. 34):

His igitur visis atque auditis, sanctus Henricus obstupescens mirabiliaque cernens, statim ad pedes ejus offensæ illatæ veniam postulando proruit. Cui illa mox benigno pietate ac mansuetudine pleno vultu, amaritudinis carens felle, ignovit.

Has additiones prætermisit cl. editor Vitæ beati imperatoris, licet paulo inferius (pag. 810, num. 31) notaverit alia additamenta codicis nostri.

Libri II totus num. 4 ac ultima pars num. 11 (*Caveant...*) desunt in cod.; numeri 5-7 paucis contrahuntur.

Insuper animadvertatur Vitæ præfixum esse in cod. prologum editum a nobis ex cod. Brux. 219-221 (supra, p. 182); descripta vero tota Vita cum miraculis, hæc adduntur in cod. (loco paragraphi *Caveant* quam diximus hic abesse):

Anno Domini M°III° Henricus, dux Bavariæ, qui fuit genitus ex Henrico, fratre primi Octonis Magni imperatoris, Octone III defuncto, a principibus Germaniæ eligitur in regem Romanorum, in imperatorem postea promovendus, et inungitur Aquisgrani in regem a Wiligiso, Maguntinensi archiepiscopo, anno pontificatus Johannis, decimooctavi hujus nominis papæ, primo; episcopatus Meingaudi, archiepiscopi Treverensis, anno primo; sancti Hereberti, archiepiscopi Coloniensis, anno VII°; Roberti, regis Francorum, anno regni ejus VII°; Aufridi, episcopi Trajectensis, anno X°; Ottonis, ducis Lotharingiæ ac Brabantiæ, anno XII°; Balduini quarti Pulchræ Barbæ, comitis Flandriæ, anno XV°; Theodrici tertii, comitis Hollandiæ, anno X°; sancti Nothgeri, Leodiensis episcopi, anno XXX°. Regnavit autem sanctus Henricus annis XXIIII: XII sub nomine regis et XII sub dignitate et nomine imperatoris. Anno autem Domini M°XIIII°, regni vero ipsius Henrici XII°, Meingaudi autem, archiepiscopi Treverensis, episcopatus anno XII°, sancti Hereberti, archiepiscopi Coloniensis, XVIII°, Baldrici II, episcopi Leodiensis, VII°, Adelbodi, episcopi Trajectensis, VII°, Roberti, regis Francorum, XVIII°, Godefridi, ducis Lotharingiæ, IX°, Lamberti, comitis Lovaniensis, æque IX°, Balduini, comitis Flandriæ, XXVI°, Theo-

drici, comitis Hollandiæ, xxiº. præfatus Romanorum rex Henricus similiter cum uxore sua virgine, sancta Konegunde, Romam profectus, inibi a papa Benedicto VIIIº, viº Kalendas Martii, qui tunc fuit dies dominicus, in ecclesia S. Petri imperialem benedictionem accepit. Ac dehinc ad propria remeans nec sobolem se habiturum perpendens, Dominum, omnium bonorum largitorem, heredem habere delegit, sextoque imperii sui anno, sapienti usus consilio, episcopatum Bamburgensem in honorem sanctorum Petri apostoli et Georgii martyris instituit. Ipsam ecclesiam pontificali culmine exornans ac omnium bonorum suorum heredem faciens, locum ipsum prædiorum divitiis ac omni ornatus decore, ut in præsentiarum cernitur, copiosissime ditavit. Ad extremum autem gloriosus imperator Henricus, terminum sibi a Domino constitutum præterire non valens, tandem anno gratiæ mºxxiiiiº, regni autem sui xxiiiº, imperii xiiº, vitæ
* *sic.* autem liiº, pontificatus Johannis, XXIIº* papæ, iiº, tertio Idus Januarii, plenus bonis operibus in Domino obdormivit et in
* *sic.* ecclesia Bamburgensi a se fundata venerabiliter tumulatus*.

Henrici sancti meritum solemniter audi :
Catholicas struxit pius ecclesias quasi mille.
Nunc et in altari sua cernimus ossa levari.
  Membraque debilium plurima sana dari.
Hunc decet applaudi, cujus merita porrigo laudi.
Conjuge virginea, virgo permansit et ille.
Omnibus extenta semper fuerat sua mensa.
  Pauperibus viduis spes, via, vita fuit.
More salutari solemnia digna parari
Divini cultus hic sollicitus satagebat.
Bamberch Henricus cæsar sum namque patronus.
Prædones feriam, vindex ego sic mihi fiam.
Hæc loca defendam, pravis mala facta rependam.

30º De vita beatæ Konegundis virginis (fol. 192r-193v).

Vita contracta ex edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Martii (tom. I, p. 272) : cujus primo refert capp. i et ii ; ex cap. iii refertur num. 12; ex cap. iv num. 17; ex appendice (ibid. edita, p. 280) num. 1. Tandem Vitæ hæc sunt in cod. annexa :

Cognoscant laudes Konegundis virginis omnes,
Conjugis Henrici, tam nobilis imperatricis.
Accusata quidem gratis de crimine carnis,
Hoc pandit signo quam sit castissima virgo,
Quod ferrum candens non uritur in pede calcans.
Omnibus in mundo quæ sunt spretis quasi ceno,

Hæc viduata viro nupsit castissima Christo.
Velo velatur monialis sanctificata.
Annos ter quinque mira morum probitate
Sic degit, sanctis sibi virginibus sociatis.
Nunc et in excelso gaudet conjuncta marito,
Qui simul in mundo vixerunt corpore mundo.
Continet ecclesia Bamberg hæc ossa beata,
Per quæ clementer fiunt miranda frequenter.

Occurrit autem natalis sancti Henrici III° Idus Julii, in festo scilicet sanctæ Margaretæ virginis. Tunc enim ipse ab hoc seculo migravit. Sed in hoc defertur festo Margaretæ tanquam antiquorum, et die sequenti observatur in Basilea festivitas sancti Henrici cum solemnissima processione. In civitate autem Bamburgensi cujus ecclesia cathedralis atque totius diocesis sanctus Henricus patronus existit, ejusdem festivitas mensis Augusti die ultimo celeberrime recolitur. Festum autem sanctæ Konegundis in crastino octavæ sancti Henrici, id est IX^{a} die Septembris, ibidem peragitur celebris. Tunc enim eadem virgo ab Ecclesia Romana canonizata est.

Hujus temporis, videlicet sancti Henrici, luna conversa est in sanguinem, et anno II° ejusdem Gherardus, Cameracensis episcopus et Adelbundus, Ultrajectensis episcopus, magni in ecclesia et in palatio habentur. Anno vero tertio cometes horribili spatio flammas huc illucque jactans in australi parte visus est. Anno quarto fames et mortalitas tam graviter per totum pene orbem invaluit, ut sepelientium tædio vivi adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Anno VII° eclipsis solis facta est hora diei secunda. Anno VIII° gentes Hungariorum ad fidem convertuntur. Anno suo IX° in Lothoringia * juxta montem Castrilocum fonticulus aquæ * *sic.* multis saluberrimus in sanguinem conversus est : quod probavit mulier quæ faciem suam ex hujus fontis aqua lotam multis ostendit sanguinolentam. Anno ejusdem X° Benedictus VIII Romanæ Ecclesiæ C^{us}XLVIII^{us} pontifex creatur.

31° Passio Eulaliæ virginis (fol. 193^{v}-194^{v}).

Edita supra, p. 261-263. — Lectiones variantes multæ.

32° Vita beatæ Margaretæ de Ypris (fol. 194^{v}-206^{r}).

Vita edita apud Choquetium, *Sancti Belgii Ordinis Prædicatorum*, p. 144-200.

33° Vita beati Willebrordi, Trajectensis episcopi (fol. 206^{v}-208^{r}).

Contracta ex Vita edita apud Migne, P. L., tom. CI, p. 693 sqq.

34° Vita beatæ Hetwigis (fol. 208r-211v).

Legenda minor edita in *Act. SS*, ad d. 17 Oct., tom. VIII, p. 200-202, scilicet num. 10-22.

35° De translatione sanctissimi corporis ejus (fol. 211v-212v).

Editum ibid., p. 262-264. — Sed in cod. ita concinnata est narratio, ut post initium his verbis conceptum : *Translatum est anno Domini* (num. 167 init.)... deinde post verba *veraciter compleretur* (num. 169 sub fin.) ponantur numm. 163, 164 ac num. 170, cum num. 171 usque ad *reverentiam et honorem* (sub med.).

36° Gesta sanctarum virginum Harlindis et Renulæ, germanarum ac sanctimonialium (fol. 212v-215r).

Contractum ex gestis earum editis in *Act. SS.*, ad d. 22 Martii, tom. III, p. 386 sqq.

37° Vita sancti Ludovici, Tolosani episcopi, nepotis sanctæ Elyzabeth, edita a domno Joanne papa Romano (fol. 215r-217r).

Bulla canonizationis edita apud Fontaninum. Vide supra, p. 218, 69°.

38° De vita et conversatione beatæ Beggæ (fol. 217r-220v).

Vita edita in *Act. SS. Belgii*, tom. V, p. 111-124. — In cod. omm. prologus ac num. 22-24 et ex sacrarum Scripturarum sententiis non nisi initium refertur.

39° Vita sancti Meynulphi confessoris, III° Nonas Octobris (fol. 220v-224r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Oct., tom. III, p. 216-224. — Hæc notanda videntur : omissis num. 1-4, ita leguntur num. 5-8 : Dum Carolus magnus imperator Romanorum et rex Francorum (num. 5 init.)... venerunt ad eum, paucissimis demptis qui fide (num. 6)... perceperunt. Anno ... Paderbonensem instituit. Illis itaque temporibus (num. 7)... reliquit. Frater autem viri prædicti sic defuncti, christianæ religionis parvipendens instituta, vaga superstitione paganismi fervens animo, libidinosæ turpitudinis incendio hanc exarsit in feminam, eamque sub specie consolationis super morte fratris visitavit. Cumque ab illa susceptus esset hospitio, ille venenum castitati inimicum quod fallaci gessit in corde, procacitate linguæ diffudit ore, et, dum frustra se sentit mulieris pudicitiam tentare verborum blanditiis, vim intulit eamque turpissimo fœdavit incestu. Mulier autem de vitio alienæ turpitudinis in se, quamvis non secum, commissæ dolens nimium, opportunitate... (usque ad hæc verba num. 8 : *nominare volebat*).

Num. 9, hæc verba : *cujus octavo-consummavit*, om.

Num. 10, hæc verba : *quod etiam episcopus* et seqq. usque ad finem num., om.

Post num. 30 (aliis omissis, scilicet 31-33) additur hæc clausula :

Hæc sunt miracula quæ in scripturis antiquis sunt reperta, per quæ sancti viri merita voluit divina providentia nota fieri posteris, ut, fide roborati, precibus se illius commendantes, peccatorum veniam consequi minime dubitarent. Amen.

40° Vita et passio sanctæ Dorotheæ virginis et martyris (fol. 224r-227r).

Eadem atque ea de qua supra, p. 255, 25°.

41° Vita sancti Eligii confessoris et episcopi, Kalendis Decembris (fol. 227r-230r).

Contracta ex Vita edita apud Migne, P. L., tom. LXXVII, p. 459 sqq.

42° Vita et passio sancti Quintini martyris (fol. 230r-232r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Oct., tom. XIII, p. 781-786. — In cod. est stylo magis polita.

43° Secunda translatio sancti Quintini (fol. 232v).

Narratio desumpta ex Libro miraculorum S. Quintini edito ibid., p. 801, constans scilicet ex numeris 6-8.

44° Vita sanctæ Gudulæ virginis (fol. 232v-237v).

Vita subinde stylo sat diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS. Belgii*, tom. V, p. 716-735. — In cod. præponitur sequens Prologus :

Universis sub jugo levi Christi militantibus crebro ad sacræ Scripturæ fluenta contingit * recurrere, quia ut escis caro, ita interior homo ex divinis eloquiis nutritur et pascitur. Ut autem divina testatur Scriptura, qui semper cum Deo vult esse, frequenter debet legere, frequenter et orare, et * quis in sacris assiduus fuerit eloquiis, tanto majorem capiet ex eis intellectum. Quapropter summopere cunctis studendum est fidelibus ac per artum et angustum callem plane incedentibus, sanctorum sanctarumque virginum præcedentium gesta et dira certamina sciscitando et legendo, diligenter perscrutari qualiter mundum cum suo principe vicerunt, quibusve armis præcincti tam perniciosum prostraverunt inimicum : ut, si forte iidem * occurrerint hostes, eadem cœlestis militiæ arma procul dubio arripere agnoscamus, atque talibus fortiter et sapienter resistere necnon expugnare valeamus. Hujuscemodi namque devotione accensi, sacratissimæ virginis Christi Gudulæ libellum præ manibus habentes, perlegamus, et perlectum corde quotidie recitemus, quo exemplis ejus edocti et meritis fretri cum eadem mereamur participari. Amen.

* *cod.* contigit.

* *supple* quanto magis.

* *cod.* eidem.

45° Vita sanctæ Lydtwyt [*seu* Lidwinæ] virginis (fol. 237v-242r).

Contracta ex Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Aprilis, tom. II, p. 270 sqq.

Appendix ad cod. 3391-99.

DE S. BARBARA V. ET M. (Cfr. supra, pag. 383 init.)

De translatione ejusdem virginis secunda.

1. Postea vero conditor omnium Deus, temporum dans tempora, tamquam abyssus abyssum invocans bonitatis ad nostram instructionem suorumque sanctorum recommendationem electorum, sicut sanctæ et individuæ Trinitatis illustrissima virgo et martyr Barbara insignior [1] præ ceteris erat cognitione decorata, ita tribus vicibus ipsam de loco ad locum voluit transferri [2]. A loco scilicet primæ quietis primo, deinde in sanctam, ut prænotatum est, urbem Romam [3]; deinde [4] itaque tertio sequitur quod Karolus ille, qui Karolus Magnus dicitur, imperator Romanorum Francorumque rex existens, devotam valde habuit sororem Angilbergam [5], quæ apud Italiam in civitate dicta Placentia monachorum Ordinis sancti Benedicti fundaverat monasterium, quod vulgariter monasterium beati [6] Sixti est nuncupatum.

2. Cum autem Karolus, imperator nobilissimus, Romam accessisset [7] beatorum apostolorum Petri et Pauli visitare limina [8], humiliter ac devote supplicavit domno papæ tunc existenti, Honorio * videlicet primo, ut sibi donare venerandum almæ corpus virginis et martyris Barbaræ dignaretur. Summus vero pontifex, imperatoris sacris devotionibus humilibusque precibus inclinatus, una cum cardinalibus totoque clero sacrosanctæ civitatis processionaliter, plebe subsequente, ad beati Calixti cimiterium notatum supra perrexit [9]. Et factis cum omni solemnitatis devotione orationibus, domnus papa corpus beatissimæ Barbaræ humiliter elevavit [10] imperatorique donavit; sed pretiosum ejus caput in perpetuum hujus rei testimonium pro thesauro sibi ipsi retinuit. Quod autem non solum ob hoc factum est ut a capite vicariorum Christi tam nobile caput servaretur, sed quia etiam in sancta urbe Romana, quæ totius mundi est caput, honorifice sublimaretur.

* *sic.*

3. Illustrissimus itaque imperator Karolus spiritali gaudio est non modico perfusus, tanti ac talis clenodii sentiens se munere ditatum. Qui cum gratiarum actiones [11] egisset, præparatis sibi necessariis ad tam pretiosum corpus locandum,

[1] *in cod. Brux.* 7917, *cujus adscribemus aliquot lectiones variantes, legitur hic* insigniter. — [2] translatari. — [3] Romanam. — [4] denuo. — [5] Amgilbergam. — [6] (vulg. m. beati) sancti. — [7] accepisset. — [8] *ita B.* 7917; *noster* lumina. — [9] (n. s. p.) p. s. enodatum (*sic*). — [10] levavit. — [11] Deo *add.*

cum omnimoda reverentia et honore illud Placentiam secum deduxit et in beati Sixti monasterio, quod soror ejus præhabita fundaverat, officiosissime anno ab Incarnatione Domini octingentesimo nonagesimo quinto *, secundo Idus Februarii deposuit. * *sic.* Notata siquidem illa die pro sancta translatione venerandæ virginis et martyris Christi beatissimæ Barbaræ. Tunc ad modum reginæ Esther Placentinis nova lux oriri visa est, honor, gaudium et tripudium : sed potissime conventui monachorum beati Sixti, qui recte nunc de tam gloriosa virgine dicere possunt illud Sapientiæ : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Hæc autem in quodam domni imperatoris Karoli, qui nunc sanctus Karolus [1] dicitur, continentur privilegio.

4. Interim elapso tempore [2], controversiæ ac rumores in civitate Placentia ortæ [3] sunt, quibusdam suspiciose inter se dicentibus corpus egregiæ virginis et martyris Barbaræ precibus ac muneribus inde esse delatum. Hoc etenim omnium intuente [4] scrutatore cordium, qui dubitationes de tam pretiosi corporis possessione, ut inferius innubilose patebit, ex fidelium mentibus dignatus est removere. In pluribus namque locis nonnulli se affirmant sacrum illud corpus habere, forte secundum Aristotilem [5] partem pro toto recipiendo [6]. Consimiliter fit de ejusdem virginis glorioso capite. Quæ quidem vero tam capitis quam corporis reliquiæ, quæ de tam [7] sancta et immaculata virgine habentur, quamvis parvæ sint aut minimæ quantitatis, attamen maximæ [8] sunt dignitatis, reverentiæ etiam et pretiositatis. Eapropter loca cuncta ejus reliquiis decorata vel sacro ejus [9] nomine Deo dicata, universi Christi fideles humili devotione preceque confidenti adeant venerando.

5. Placentinis igitur adhuc sic invicem quæstionantibus, domnus abbas et conventus monasterii sæpedicti cum maxima [10] devotione qua decuit et reverentia locum in quo tantæ virginis martyrisque corpus erat reconditum, quampluribus fide dignis ibidem personis existentibus, aperuerunt. In quo illud anno a Nativitate Domini 1340 in prælibatæ translationis profesto invenerunt. Nec immerito istud in ejus translationis contigit profesto; sed ut, quia per hanc nobilissimi corporis inventionem translatio ejusdem veneranda magis longe lateque divulgaretur, et non solum tanti corporis foret translatio, immo [11] esset et inventio. Illo nempe die sopitæ sunt quæstiones Placentinorum, de hac materia inter se altricantium. Facti sunt etiam [12] cor unum et anima una, volentes denuo meritis excellentissimæ virginis et martyris Barbaræ jocunde, tamquam fratres, habitare in unum. Sane vero ac proculdubio hoc est illius venerabilissimæ virginis et martyris Barbaræ corpus, quæ post multa severa tormentorum genera a rege Dioscoro ferocissimo, patre suo, capitis sui expectans amputationem sponsum suum Dominum nostrum Jesum Christum pro suis devotis exoravit veneratoribus, prout vitæ ac passionis suæ luce clarius salutifera designant præconia, ne eos sineret egredi de ergastulo vitæ præsentis, donec confessi et contriti perceptione corporis et sanguinis ejusdem [13] sui sponsi firmarentur. Quod nobis ipse largiri dignetur, qui per infinita vivit et regnat Deus secula seculorum. Amen.

[1] Karolus *om.* — [2] multo *add.* — [3] sortitæ (*sic*). — [4] instituente. — [5] *ita cod.* 7917; Aristoti *noster.* — [6] recipientes. — [7] *ita B.* 7917 ; tam de *noster.* — [8] magnæ. — [9] ejusdem. — [10] magna. — [11] etiam *add.* — [12] (s. e.) enim. — [13] *om.*

DE S. PHARAILDE VIRG. (Cfr. supra, pag. 386, 27°.)

Incipit prologus in vitam sanctæ Pharaildis virginis apud Gandavum quiescentis.

Sanctarum mulierum victoria tanto gloriosior merito judicari debet, quanto fragilius est instrumentum quo vincitur ab eis hostis antiquus. Possident enim debile corpus, fragilem sexum, lubricam mentem : et nihilominus tanta virtute caput venenosi serpentis conterunt, scilicet diaboli, ut plerique virorum fortium eis non valeant adæquari in prælio, nec per consequens in præmio. Harum unam ad medium deducimus, quæ cum sexu mundum pariter et diabolum vicit, sicque de triplici hoste triumphavit, ut virorum pariter et mulierum esset exemplar præfulgidum. Triplici quoque statui femineo cui laudabiliter vicissim insudavit, videlicet virginali, conjugali ac viduali, adeo sincere præfuit, ut vix sibi similis in terra reperiri possit. Hæc de fortissima et nobilissima parentela progrediens, eamdem sua sanctitate ac moralitate generosius ac splendidius adornavit.

Incipit vita ejusdem.

Beatissima igitur Pharaildis, virgo ante conjugium in statu puellari et virgo post conjugium in statu viduali, illustrissimis exorta est natalibus, sed moribus elegantioribus exornata. Hujus veneranda mater, beata videlicet Amelberga, ex reverendi Pipini, majoris domus Francorum et primi ducis Brabantiorum, æquivoca sorore progenita, dudum Sanctas oppidum excoluit, cujus rectrix et domina usque ad sumptum religionis sacræ habitum et ordinem hereditario jure extitit. Hæc eadem mater, in tenera adhuc ætate constituta parentum suorum solatio destituta, Domino sedule serviebat et familiam quæ successione hereditaria sibi adhæserat gubernabat. Pervigili enim cura suaviterque tractabat : non quia servorum et ancillarum numerosa delectaret eam (quod tamen inter mortales primum putatur), sed quia injustum fore existimabat, si, paternum censum avare retinens, fame ac inedia quemlibet eorum perire pateretur. Non ipsa jocos puellares, non amatoria carmina, non ludrica quælibet aut frivola audire seu videre curabat : sed quasi Maria secus pedes Domini residens, quod factura postmodum erat, jam actu et habitu præmonstrabat ; et quod corde conceperat, gestu comprobabat.

At vero inimicus castitatis diabolus puellarem admiratus continentiam, spe tamen frustratus * inani, ad ejusdem puellæ matrimonium instigat parentes. Denominatur itaque renitenti maritus, et postmodum Theodorico, totius Lotharingiæ ducatum gerenti, in conjugio traditur, æquali genere, non dispari meritis. Quibus donavit Dominus sobolem sanctissimam ac trinam : videlicet Pharaildem, Deo devotissimam, de qua nobis sermo, et fratrem ejus Venancium, et Gengulphum, sanctissimos martyres. Qui, generis nobilitate præditi et militari ordine insigniti, omnia quæ mundi sunt pro Salvatoris amore contempserunt et ad regna siderea

* *cod.* frustrati.

per palmam martyrii ambo pervenerunt. Postea, mortuo præfato Theodorico, Lotharingiæ duce, nupsit beata Amelberga viro alteri (secundum consilium apostoli), venerabili viro Witgero, Brabantiorum comiti. Qui tamen postmodum, seculo abrenuntiantes, ambo religionis habitum acceperunt. Hi quoque genuerunt tres proles, æque sanctissimas, videlicet : Emebertum, sanctæ ecclesiæ Cameracensis pastorem beatissimum, cujus gesta plena miraculis atque virtutibus in eadem ecclesia florent usque in hodiernum diem ; et duas sorores ejus, Deo dicatas, scilicet Reyneldem martyrem et Gudulam virginem. Cum vero materfamilias junioris suæ prolis Gudulæ sarcina gravaretur, angelus hanc natam Domino cecinit fore gratam. Tali itaque exhilarata oraculo, tendens manus ad Deum gratias reddidit, sicque dolorem suum confortata compescuit.

Admonita insuper ab angelo beata Amelberga bonis operibus insistere, sacrum velamen elegit a sancto Autberto, Cameracensi episcopo, suscipere. Universa itaque carnis voluptate calcata, sitiebat Domino in cœlesti servire palatio, ubi in salutem exaltata meruit canticum lætitiæ cantare cum mansuetis. Relicto igitur habitu et conversatione seculari, soli Deo vacare desiderabat. Cumque magis carnem domando spiritum roboraret, disponente Deo tanto ejus labori finem imponere, acri febrium corripitur dolore, sicque Christi famula propter bona æterna acquirenda per bona transiit temporalia. Sponsa igitur Christi Amelberga usque ad expirationem animæ susurrabat continue : *Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis [gloriæ] tuæ.* Sicque demum felici sensu consummato, sancta anima carne solvitur et a justo judice inter sanctissimas viduas corona justitiæ coronatur. Tanta denique illam Dominus replevit dignitate, ut in exultatione meruerit atria ejus introire. Devota igitur Deo famula, cursu vitæ feliciter peracto, sanctorum est in cœlis sociata consortio : cujus intercessio peccatorum nostrorum sit remissio.

Cujus præstantissima filia, sancta videlicet Pharaildis,[1] primogenita prodiit in lucem. Quam parentes more ecclesiastico baptizari fecerunt. Hanc beata virgo Ghertrudis, sicut et sororem ejus Gudilam, de sacro fonte levavit et eam... (*Vide jam* Hautcœur, *op. cit., p. 18, lin. ult.*)... didicerunt.

Inde jam ex Vita longiore contrahuntur num. 4-16; *quibus annectitur fere ad verbum ex Vita breviori paragraphus inscripta* de Miraculis ejus (*op. cit., p. 22*).

LXII. Codex signatus n° 4459-70.

Hujus codicis, qui formæ est minimæ (0^m,155 × 0,13), lineis plenis plumbea graphide ductis, contenta indicat et certam ætatem definit parvum folium membraneum, folii insiticii instar initio codicis assutum. Etenim in hujus folii latere recto litteris rubricatis inscribitur elenchus, in quo (præter documenta hagiologica de quibus infra mentio recurret) hæc notantur : ... *Item quædam benedi-*

ctiones. Item duæ epistolæ spirituales. Item cursus de una electa. Item oratio dicenda tempore tonitrui. Item collatio quædam... Item oratio quam fecit domnus Arnulphus, abbas Villariensis. Item tractatus, Quid sit Deus... Item collatio quædam... Item collatio quædam... Item tractatus de altaris sacramento. — In eodem folio verso leguntur sequentia : *Anno Domini* M°. CCC°. XX°. *frater Johannes de Sancto Trudone fecit hunc librum conscribi, dum constitutus fuit confessor in Parco Dominarum, tempore domni Jacobi abbatis, pro communi armario, de eleemosynis sibi largitis. Quamobrem precatur lecturos in eo, quod dicere velint : Anima ejus cum animabus omnium fidelium defunctorum per Dei misericordiam et per Jesu Christi sanguinis aspersionem, et per intercessionem beatæ Mariæ ac omnium sanctorum sanctarumque requiescant in pace. Amen. Amen.* Ac statim infra : *Liber sancte Marie de Villari in Brabantia.* Et additur atramento jam nigro : *dono datus monasterio S. Martini in Lovanio, loco alterius quem prior Villariensis habet ex Bibliotheca nostra Martiniana. Fr. Sylvanus 1568.*

Præterea folia aliquot foliorumve partes prius vacantia variæ manus adhibuerunt ad historica et ascetica quædam notanda. Historica ista documenta plerumque pertinent ad illustrandam vitam quorumdam Villariensium qui sanctæ vitæ conversatione floruerunt. Nonnulla edidit cl. baro de Reiffenberg in periodico *Annuaire de la Bibliothèque Royale,* anno 1842, p. 129-136; item anno 1846, p. 103-116. Monendum quoque videtur, orationis illius ad plagas Domini quæ inter spuria S. Bernardi opera apud Migne, P. L., tom. CLXXXIV edita est, auctorem dici in nostro codice Arnulfum de Lovanio, quintum decimum abbatem Villariensem.

Codex constat foliis 253, habens titulos ac litteras capitales minio descripta. Insuper ad folia 145 et 147 imperita manus arte rudiori conata est delineare instrumenta quotquot excogitari possunt, Dominicæ passionis et membra quædam Salvatoris sacro cruore perfusa, addens a Pontificibus Romanis indulgentias esse concessas pie inspicienti tales imagines.

1° Vita ancillæ Christi Elyzabet, filiæ regis Hungariæ et dominæ Thuringiæ (fol. 2r-45v).

Vita, ut videtur, inedita, non rebus sed scribendi ratione digna quæ a rerum hagiologicarum studiosis attendatur. Edenda in Append.

2° Vita sanctimonialis Aleidis de Scarenbeka (fol. 46r-55r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 11 Junii, tom. II, p. 477-482. — Sed in cod. ultima phrasis num. 32 ponitur ad finem num. 34, sine his verbis : *ut dictum est.*

3° De sancto Audoeno, Rotomagensi episcopo (fol. 62v-63r).

Oratio scilicet ad fulgura depellenda quam sanctus præsul cœlitus accepisse fertur. — Præmittitur autem in cod. hæc narratiuncula litteris rubricatis :

Beatus Audoenus graviter ferens tonitrum, in ista cordis contritione rogavit Dominum ut aliquod solamen ei impenderet, quo in omni loco tutus esse posset. Cum igitur quadam die sacram missam celebraret, post perceptionem sacrosancti corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi venit Spiritus sanctus in specie columbæ deferens ei brevem continentem hæc. *(Et sequitur oratio.)*

4° De Waltero de Bierbaco (fol. 63r-63v).

Breviculum Vitæ editum apud de Reiffenberg, *Annuaire* 1846, p. 107-110. — Ipsa Vita edita est in *Act. SS.*, ad d. 22 Jan., tom. II, p. 447-450.

5° Vita venerabilis Beatricis, quondam priorissæ de Nazareth (fol. 64r-135v).

De hac Vita quam " *conscripsit domnus Willelmus de Mechlinia, monachus Haffligensis, quondam prior in Wavria, post abbas Sancti Trudonis,* „ vide quæ dicta sunt in *Analect. Boll.*, tom. III, p. 168.

6° Vita domni Werrici prioris de Alna, viri venerabilis et Deo digni (fol. 154r-160v).

Vita hæc videtur inedita. De hoc beato viro memoriam facit Henriquez in Menologio Cisterciensi ad d. 12 Maii : non est tamen hic dies emortualis ejus, quemadmodum patebit ex Vita in Append. edenda.

7° Vita beatæ Christinæ de oppido Sancti Trudonis in Asbania, auctore fratre Thoma de Contipreit, Ordinis Prædicatorum (fol. 161r-172v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Julii, tom. V, p. 650-660.

8° Vita præclaræ Margaretæ de Ypris (fol. 173r-199r).

Vide supra, p. 389, ad codicem 3391-99, 32°. — In præsenti cod. prologus deest (1).

9° Vita S. Antonii de Ordine Fratrum Minorum (fol. 203r-221r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Junii, tom. II, p. 705-717. — Sed in cod. om. num. 12-25, qui ad ipsa gesta Sancti non pertinent. Num. 43 Vitæ editæ locum qui in editis vacuus relictus est, ita jam supplere licet ex codice nostro :

redimita, illustri cardinalium concione stipatus et quampluribus e diversis mundi partibus.

In cod. habetur epilogus paræneticus de quo sermo est in annot. *m*, tom. cit., p. 718.

(1) Folio 199v-202r narrantur quædam de monacho Villariensi " cui nomen erat Johannes Vœrlœp, de Lovanio oriundus „ et de aliis tribus. Sunt autem quæ indicantur in foliolo initiali hoc titulo : *Collatio quædam.*

10° De sancta Clara (fol. 221^r-231^v).

Vita contracta ex Vita longiori edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Aug., tom. II, p. 754 sqq.

11° De sancto Ludovico, filio regis Ceciliæ (fol. 231^v-236^v).

Bulla Joannis papæ XXII. Vid. supra, p. 218, 69°.

Appendix ad cod. 4459-70.

DE S. ELISABETH, HUNGARIÆ REGIS FILIA. (Cfr. supra, pag. 396, 1°.)

Prologus in vita ancillæ Christi Elizabeth, filiæ regis Hungariæ et dominæ Thuringiæ.

1. Dominus ac Salvator noster apostolos, et per apostolos imitatores suos, in primordiis de consummatione jam sollicitos, quid admoneat, audiamus. Ait enim : *Videte ne seducamini. Multi venient in nomine meo, dicentes : " Hic est Christus, „ et multos seducent. Oportet quidem primum prælia et seditiones fieri ; sed nondum statim finis.* Et adjecit : *Erunt signa in sole et luna et stellis,* et cetera ; *nam virtutes cœlorum movebuntur. His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* De restitutione, inquam, regni et reparatione templi discipulos adhuc novellos scire cupientes, ne se in exordio perfectionem arbitrarentur apprehensuros, Veritas compescuit : *Non est,* inquiens, *vestrum nosse tempora vel momenta,* et cetera : *sed eritis mihi testes in Hierusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ :* quod videlicet novissimo debetur tempori, id primæ teneræque ætati minime posse congruere, insinuans. Et præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent patienter, expectarent et longanimiter. *Hierusalem,* inquit, præmuniens eos, *calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum :* ea utique quæ in sole et luna et stellis (in quibus signa præcessura esse dicuntur) signata sunt ab initio. Denique in firmamento cœli hæc posita esse leguntur, ut sint in signa et tempora et dies et annos. Sic et filii Zebedæi ad sessionem [1] regni tamquam ad consummationem præpropere aspirantes, primo, ne seducerentur, illum durum sermonem per quem ad regnum quod quærebant pervenitur, audierunt : *Num potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?*

[1] *Conferimus cum codice Bruxellensi 8609-20 (quem notabimus signo 2). Ex hoc enim codice Vita S. Elisabeth quam exhibet codex 4459 (quem notabimus signo 1) descripta videtur. — Ambo codd.* scissuram.

2. Non solum autem illi, sed et omnes qui regalem æternæ beatitudinis sessionem cupiunt adipisci cum ipsis. In commune hæc lex, velut præambula regni, omnibus proposita est : *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquavit*[1] *enim regnum cœlorum.* Alioquin non cum Christo ad regnum itur [2], sed cum multitudine per viam latam et spatiosam ad inferna tenditur. Falsoque testimonio Jesu Christi in seductione per devia a quoquam dicitur " Hic est Christus. „ Nam nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu; cum, condigna imitatione Christum in se glorificans, non sit separatus a corpore Jesu. Et quid est pœnitentia, nisi legitimæ peregrinationis labor indefessus et pœna, cum spe perveniendi ad patriam? Necesse est ergo, si gaudia æternæ patriæ cum Christo volumus possidere, ut cum dignis fructibus pœnitentiæ, quæ in sola boni perseverantia sunt, Christum ad patriam prosequendo, tenacius ei studeamus adhærere : quia is solus qui de cœlo descendit, ipse et unus ascendit, ut adimpleret omnia : haud dubium quin etiam tempora nostra et momenta consummans, quia ipse est liber vitæ uniuscujusque. Interim absque periculo audituri sumus prælia et seditiones, civitasque pacis nostræ militantis conculcationem patietur, donec, temporibus nostris secundum providentiam Patris completis, ad Christum, qui finis est, in perfecta dilectione Patris et Filii manifestationem ejus liquido consequentes, in plenum gaudium nostrum introduci mereamur. *Sicut*, inquit, *tu, Pater, in me et ego in te, ita et ipsi in nobis unum sint, et ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum.* Quid ergo mirum si, in Christo et cum Christo descendens et ascendens, virtutes cœlorum moveantur, cum ipsa civitas Domini virtutum ut castrorum acies ordinata in loco suo mota descenderunt de cœlo, in occursum talis cum Christo suo ad patriam proficiscentis? Ipsa est enim Hierusalem, cujus participatio in idipsum, ad quam ascenderunt omnes tribus Domini, testimonium ferentes Israel, id est Christo Domini. Perniciose ergo nimis amant animas suas, qui vitam suam in hoc mundo tam salubri purgatorio pœnitentiæ et calicis Christi subjicere refugiunt. Plus utique valuit in hoc mundo odisse, ut in vitam æternam posset custodiri. Nam qui non manducant carnem et bibunt hic sanguinem Jesu, fideliter ipsum imitantes, unanimiter in ipso manentes et cum ipso multum fructum facientes, hi comedent fructus viæ suæ; et bibentes de vino iræ Dei, quod mixtum est in calice ipsius, quia ira Dei manet super illos, cruciabuntur in secula seculorum. Cessent igitur filii Zebedæi ad hereditatem aspicere regni, donec similitudini mortis Christi complantati per calicem regni ad consummationem bona primordia perducant, quia omnis laus in fine canitur. Desistant et adhuc rudiores discipuli restitutionem flagitare regni, quæ consummationi debetur, quemadmodum et reparatio templi, donec, virtute supervenientis ab alto Christo plenius informati, completo in omnibus finibus terræ testimonio, unum corpus unumque templum cum ipso effici mereantur.

3. Laudandi igitur summo opere sunt veri testes Christi et summo præconio gratia capitis sui extollendi, quia, in caritate altius radicati oculosque suos capiti suo, qui Christus est, simplicius infigentes, familiarem similitudinem suam sibi indue-

[1] *codd.* appropinquavit. — [2] *ita* 2; iturus 1.

runt et, in eamdem imaginem a Domini Spiritu transformati, tamquam lapides vivi aut stellæ micantes in splendoribus sanctorum, eminentiora regni cœlestis ornamenta facti sunt. Hi bene per elephantos illos signati sunt qui in militari, ut legitur, procinctu castra ferentes ceterisque altius eminentes, aspectu sanguinis uvæ et mori, acutiores in prælio facti sunt. Caritate namque Dominicæ passionis accensi et crudelitate adversarii velut sanguine uvæ et mori bene exercitati, operumque perfectione et virtutum sanctitate super capita filiorum sanctæ matris Ecclesiæ eminentes, capitum nostrorum nomine non incongrue designantur. Et hæc sunt quæ, Veritatis ore et auctoritate, digno a nobis laudis præconio sunt extollenda : *Respicite*, inquiens, *et levate capita vestra.* Hi sunt montes, hæ[1] regiones albæ jam ad messes, ad quas oculos levare jubemur : *Levate*, inquiens, *oculos et videte regiones*, et cetera, quatinus, virtutibus eorum Ecclesia suffulta, ipsa operum perfectio luceat ad exemplum, et congratulatio meritorum filiis [2] Ecclesiæ patrocinetur ad auxilium. Hi sunt sancti qui, meritis suis suffragantibus capiti nostro principaliter infixi, singuli pro mensuræ suæ qualitate in Hierusalem et in omni Judæa et Samaria et usque ad ultimum terre, id est [3] universis Ecclesiæ collectis, usque ad consummationem seculi cum longanimitate legitimum de Christo perhibent testimonium, vivificum de ipso in omni loco spargentes odorem. *Respicite ergo et levate capita vestra*, ait Dominus, *quoniam appropinquat redemptio vestra.*

4. Quando autem hæc capita nostra[4] sint exaltanda, ipse insinuat, cum dicit : *His fieri incipientibus*, id est signis in sole et luna et stellis apparentibus. Quid mirum, si, quos Deus tam inter spirituales quam inter seculares et quoscumque fideles, tamquam in sole et luna et stellis [5], signis manifestioribus commendat, quorum et præclara merita singularis gratiæ privilegio prævenit et subsequitur, celebriori prosequantur devotione solemniorique laude atque præconio mortales venerentur ? Ex hoc plane capita nostra exaltatione digna esse noscuntur, quod in ruinam et in signum contradictionis multorum cum Christo posita, in eodem ipso qui Sol justitiæ est et ejus Ecclesia, tam militante quam triumphante, per lunam et stellas intellectis, cœlesti conversatione micantia exemplaria virtutum esse meruerunt. Hæc autem capita ad electionem bonorum et reprobationem malorum eminentia velut signa in sole et luna et stellis etiam apparent, cum in pueritia et juventute atque senectute spiritualis ætatis, lumine vultus Dei insignita, tam inter sanctæ Ecclesiæ præpositos quam subjectos et quoscumque religiosos, virtute caritatis ferventiores, fide quoque et operatione ceterisque virtutibus præclariores inveniuntur.

5. Quæ utique capita licet omni tempore a fidelibus digna sint laude præferenda et exaltatione veneranda, multiplicata tamen [6] devotione populorum circa novissima tempora, appropinquante generali persecutione [7], venerationibus exaltationibusque sanctorum solito plus fore invigilandum, ipsa sancti Evangelii historialis explanatio planius insinuare videtur. Quod ipsum sancto Servatio beatus Petrus et cuidam sanctarum mulierum angelus Domini prædixisse leguntur.

[1] *codd.* Hee. — [2] *ita cod.* 2 ; aliis 1. — [3] (id est) *ita* 2 ; in 1. — [4] *ita* 2 ; vestra 1. — [5] *add.* et 1, *perperam.* — [6] *ita* 2 ; cum 1. — [7] *ita* 2 ; prosecutione 1.

Item alius prologus.

6. Nos ergo nostris nunc temporibus Deo notis, omnium sanctorum suffragia humillimis precibus exorantes Deumque in veneratione eorum principaliter glorificare cupientes, unius saltem ex reverendis capitibus nostris eminentiam singulari scripto, fidelibus id acceptantibus, duximus prosequendam. Nam virtutum ejus fragrantia [1] non mediocriter delectati, patrocinii quoque ejus imploratione pariter et desideriis id præstolantium suscitati, ædificabilia opera Dei de illo renovato stilo pro posse nostro intendimus ad medium producere et velut rediviva virtute devotis singularis meriti gratiam ad imitandi exemplum revocare. Non tamen omnia opera Dei in illo, quæ non nisi soli Deo possunt constare, seu omnia opera virtutum quæ de ipso claruere hominibus, nisi dumtaxat ea quæ, a viris venerabilibus authenticisque personis quibus intererat, quarum et credibilia valde facta sunt testimonia, diligenti inquisitione sub sacramento juramenti examinata, summo Pontifici scriptis manifestata sunt.

7. Quæ quoniam, quemadmodum per diversas schedulas diffusa, in uno continebantur volumine collecta, minusque ob hoc composita comperimus et ad legendum formata, nos, de pietate Dei confisi, ausu caritatis quoquomodo usitatiorem ei legendi formulam adaptantes [2], omne corpus inventæ materiæ in duos libellos adimplevimus, cupientes aliquid fidelibus ad ædificationem et saltem uno ex capitibus nostris ex hoc modico labore nostro provenire ad ampliorem venerationem.

8. In primo libello, secundum numerum [3] septem sacramentorum Ecclesiæ principalium, conversationem ejus per septem capitula distinguentes, secundum de signis ejus et miraculis quibusdam ostensis pari devotione supererogamus. In utroque tamen inter capita nostra et montes Israel digne esse exaltandum [4] atque in catalogo sanctorum merito annumerandum, comprobavimus. Elizabeth [5] ancilla Christi hoc est, quæ, conditionis liberæ existens, utpote illustrissima natalium orta a progenitoribusque regibus edita, multo gloriosius sibi genus et nomen in Christo sortita est. Hæc calicem Domini devote amplectens, patienter in humilitate [6] et ardenter in caritate dejectionem suam et conculcationem, contempta confusione, sustinuit : peccatoribus non immerito incutiens metum, secularibus horrorem, divitibus et superbis confusionem, reprobis mortis odorem, pœnitentibus spem veniæ, pauperibus solatium vitæ, omni denique conditioni et professioni ad venerationem digne accedenti [7] exemplum. Cælibem vitam in se sanctificans Christumque in corpore suo glorificans, feliciter per ipsum consummanda, inchoavit et gloriosius inchoata consummavit.

[1] *codd.* flagrantia. — [2] *ita* 2 ; adoptantes 1. — [3] *ita* 2 ; numerorum 1. — [4] *in ambobus codd. sic scriptum est :* supererogamus capita nostra et montes Israel digne in utroque tamen interesse (inter esse 2) exaltandum. — [5] *hoc nomen varie scriptum est in his codd. :* Elyzabet, Elyzabeth, *et etiam aliquando* Elizabeth. *Hoc ultimo modo nos ubique scribemus.* — [6] *ita* 2 *probabilius ;* humanitate 1. — [7] *codd.* accedens et.

Item prologus.

9. Cum aliquando fortuitu in manus incidisset libellus de vita et miraculis beatæ Elizabeth, comperto hoc, seniores eum in commune ad mensam legi censuerunt. Cujus tamen lectio propter incompositum modum suum in fastidium audientibus citius versa est. Non enim formam aliam habebat quam simplices diversarum inquisitionum de se et assertionum atque juramentorum compilationes. Pro reformatione ergo ejus quibusdam instantibus, non facile acquievimus obedire, deformitatem nostram ipsi non immerito metuentes. Tandem, quia materia ædificabilis erat et nos patrocinio electæ Dei specialiter potiri optabamus, ad laudem Dei et ampliorem venerationem ancillæ suæ, omne corpus inventæ materiæ in duos libellos composuimus : in uno quidem conversationem et in alio ejus miracula recensentes, et aliquanto usitatiorem formam legendi pro posse nostro ei adaptantes. — Capitula [1] primi libri : De pueritia I. — De matrimonio II. — De operibus caritatis et humilitatis III. — De singulari obedientia IIII. — De paupertate et abjectione V. — De confidentia VI. — De consummatione ejus VII.

Incipit primus liber in vita beatæ Elizabeth.

[Capitulum I.] De pueritia ejus.

10. Igitur beata Elizabeth, de Hungaria oriunda, regis et reginæ legitima erat filia. Est [2] in quodam sinu Europæ juxta Danubii fluvium et Alpes regio quædam sita, quæ Hungaria dicitur; de qua illi antiqui Huni, terrarum ecclesiarumque quondam angariatores crudelissimi, primitus ebulisse leguntur. Hæc quidem christianitatis nunc titulo signata : sed religioni ejus subdola quædam juncta barbaries est. Opulentia divitiarum temporalium referta : sed utinam de auro suo et argento Baal sibi non habeat fabricatum. In liberis regis ipsius filia habebatur cui nomen Elizabeth [3]. Quæ quidem corpore speciosa valde fuit : omnem tamen pulchritudinem corporis et generositatem spirituali supergressura [4] virtute. Hanc Dominus in primo principalium sacramentalium Ecclesiæ suæ per gratiam suam inchoando abluit, et integritatem nativitatis ejus virginali castitate signans candida innocentiæ veste decenter amicivit. Primum, inquam, sacramentorum baptismus est : nam, etsi forte conjugium in ordine ante constitutum esse videatur, ad [5] vocationem tamen gentium baptismus non incongrue ceteris utilitate prius est; quia per ipsum janua regni cœlestis vocatis aperitur. In prima ergo vocatione sua Dominus futuræ sponsæ suæ januam regni cœlestis aperuit; et, quemadmodum adeps a carne secernitur et spina rosam producit, ita in præsagium futurorum a primordiis suis non quidquam naturalis succi in parentibus vitiati ad se trahebat aut generis sui extollentiam gentisve suæ perfidam barbariem redolebat.

[1] *vox addita ex* 2; *om.* 1. — [2] *ita* 2; Et 1. — [3] *ita perspicue hic nomen scriptum est in ambobus codd.* — [4] *ita* 2; supergressa 1. — [5] *ita* 2; et ad 1.

11. Mamilla autem regum lactata et ablactata, a duobus diversis nutriciis[1] nutritanda suscepta est diligenter et educanda. Et quidem unus, ei a parentibus carnalibus exhibitus, regalis decentiæ mores honestatemque pompæ secularis a foris imprimere studuit; sed alius, ei a Patre cœlesti creditus[2], spirituali eam disciplina et virtute ab intus formare decrevit. Quibus in hunc modum alternis eam legibus instituere contendentibus, juste homini peccatori prævaluit Spiritus sanctus : a quo et convenienter afflata christianæ professionis nomen moribus religiosis ab infantia adornare exorsa est. Nam in tenera adhuc ætate, a quinquennio, ad divina mente aspirans, capellam curiæ[3] frequentare incepit : quamquam necdum orationes didicisset, veniis tamen et desideriis proficiendi ferventer intenta. Sacrarum Scripturarum libros sibi sæpius applicabat, quos tamen legere nesciebat : solo saltem intuitu desiderium suum recreare cupiens. Conscientiam in bona terra plantare, spem suam sursum erigere vitamque suam sedula devotione Deo committere satagebat. In omnibus actibus suis ad Deum respicere consuevit, adeo ut in infantilibus quibusque ludis, utpote anulorum consimiliumque, divinum sibi favorem suffragari[4] quibusdam oratiunculis postularet.

12. De iis quoque quæ in ipsis ludis ex lucro seu aliunde sibi provenire contigerat, pauperibus decimas conferre eleemosynasque alias solerter facere; quibusdam etiam munusculis[5] alios ad discendum dicendumque crebrius orationem Dominicam aut salutationem angelicam obligare consuevit. Deum quotidie ante mentis oculos habere satagens, de singulis studiis suis aliquid seligebat quod ratione voti Domino specialiter offerre intendebat. Unde et inchoatis plerumque ludis, quamquam honestis, cum magis liberet, de industria se subtrahebat, eo ipso placabiliorem hostiam Domino præbere se non[6] diffidens. Loca sacrata et tempora provida consideratione discernens, aliquid de cultiori ornatu suo, quo non luxus sed honestatis causa tamquam filia regis utebatur, certis locis et intervallis temporum absque consuetudine aliarum nobilium religiose deponebat, prout quæque digna veneratione atque reverentia a fidelibus esse frequentanda didicerat. Et cum sanctos omnes aliqua speciali devotione prosequi decerneret, beatum Johannem evangelistam, qui ei pro voto sorte jam tertio provenerat, tamquam castitatis suæ custodem ab adolescentia specialius amplexabatur : per quem quidquid ipsa petebat, indubitanter se obtinere gratulabatur.

13. Orationes sanctas addiscere sollicita erat; quibus quotidie seipsam velut pro lege servitio Dei devote mancipare solebat. A quibus si quando improbitate curialium seu malitia temporis de die impediri contingebat, de nocte eas diligenter persolvere curabat. Nam et hac de causa sæpe noctes duxit insomnes. Pedissequas suas sæpius celeri gressu prævenit ad ecclesiam, aliquas genuflexiones eis[7] furtive surripiens. Si quando sibi soli aditum capellæ Dominus indulgebat, continuo prostrata coram altari, complicatis manibus et lacrimis ora profusis[8], devo-

[1] *corr. in* 1 ; *prius* notriciis. — [2] *codd.* creditur. — [3] suæ *add.* 2. — [4] *ita* 2 ; refragari 1. — [5] *ita* 2 ; munisculis 1. — [6] non *add. ex* 2 ; *deest in* 1. — [7] eis *add. ex* 2 ; *om.* 1. — [8] *sic ambo.*

tissime orationi incubabat. Cum autem ingredi ei non licebat, saltem liminibus lapidibusque oratorii crebris osculis affixa, improbitate suorum vix tandem avelli poterat.

14. Et, ut in capite libri hujus scribitur de ea, ad faciendam voluntatem Dei et legem ejus in medio cordis sui tota aviditate intendens, atque in talibus vitam spiritus sui ducere cupiens, facta est a primo sacramento vocationis suæ tamquam lignum quod plantatur secus decursus aquarum, quod fructum suum profert in tempore suo. Fructum utique pacatissimum, de cujus medulla sicut adipe et pinguedine aliquando Deus copiose satiandus. Confirmato utrimque [1] pacto sacramenti, congrue in baptismo ad præsagium futurorum Elizabeth nomen accepit, quod dicitur *Dei mei saturitas* sive *Dei mei juramentum*. Igitur cum his [2] aliisque virtutum insigniis Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ, filiam suam Elizabeth in tanto culmine, regalis scilicet excellentiæ, quasi a natura genitam in primordiis suis informaret, metuentes custodes corporis ejus ne sub cultu pietatis honor in ea regiæ vilesceret generositatis, laxationem ejus circa talia cautius constringebant, et ne præter indictum sibi curiæ usum et honestatem aliquid hujusmodi attentaret, vigilantius observabant. Verecundantur enim seculares, et præcipue nobiles nimis confunduntur, si in suis formam inveniri contingat religionis : qui voce sola sub honestate seculi christianos se esse fatentes, dignis operibus christianæ fidei æquipollere derogant. Immolationes quippe Hebræorum abominationes Ægyptiorum sunt. Cum ergo, ut dictum est, puellula plus solito a pedissequis et sodalibus observaretur, illa quod ei serio non licebat, quibusdam infantilibus jocis, sub specie ludi collateralibus suis callide satis propositis, una cum ipsis licite adimplebat. Tali quoque ac consimili surreptione aliorum sæpius delusa sagacitas : orationibus et genuflexionibus aliisque bonis actibus secum pariter insistere faciebat.

[Capitulum II.] De matrimonio ejus.

15. Comperto rex filiæ suæ sanctæ religionis proposito, velut magis suspectam et minus dilectam tempestive eam nuptui tradere festinabat. Illa quidem in iis quæ ad sacramenta Ecclesiæ spectare non ambiguntur, pro Deo parentibus carnalibus devote obediens fuit, parata per omnia, si Domino secus ordinare placuisset. Igitur cuidam ex clarissimis regni Alemanniæ, nomine Ludowicus, sociata est in uxorem. Erat autem hic adolescens dominus et lantgravius Thuringiæ, sororius marchionis Missionensis [3], juniorem sub se fratrem habens qui aliquando postmodum ipsam futuram summi Regis sponsam vexare non est veritus et exheredare. Nam post decessum fratris sui lantgravii terras ipsius cum castris et munitionibus ratione mamburgisæ [4] sibi assaiziens et præcipue, quia mulierum principatus in imperio Romanis repugnat legibus, dejecta et ejecta lantgravia cum liberis suis.

[1] *ita probabiliter* 2; utrique 1. — [2] (Igitur cum his) *add. ex* 2; *om.* 1. — [3] *sic ambo codd.; pro usitato* Misnensis. — [4] *ita* 2; mamburgizæ 1.

violenter satis fratri suo successit in principatum. Unde divino forte nutu idem cum postea ab Innocentio papa ad præparationem imperii in regem Alemanniæ suscitaretur et a Conrado Coloniensi consecraretur, omni spe regni post modicum frustratus absque herede et fructu defunctus est. Sed de his hæc dicta sufficiant.

16. Desponsata ergo est filia regis Hungariæ Elizabeth Ludowico, lantgravio Thuringiæ, quia per singula sacramenta ecclesiastica Dominus decrevit eam aliquantulum exercere. Siquidem non despicit Deus casta connubia, nec ei displicent legitima matrimonia qui primo homini mulierem ad fecunditatem prolis ante peccatum conjungens, in posteris suis propter culpam ab aliis Ecclesiæ sacramentis legitimum conjugium non disjunxit. Et quis eam nesciat ex obedientia casti conjugii fructum tricesimum et ex continentia castitateque viduali sexagesimum fructum suscepturam [1]? Quamquam citra centesimum virginitatis fructum non decade contrahebatur: quin jam denarium æternæ beatitudinis obtinens, multis illic virginibus et angelis gloriosiorem coronam in cœlis adepta est. Aut quis ignoret quod in dicto matrimonio ancillæ suæ ex ejus mansuetudine voluit [2] Deus lupum convertere et ex muliere disciplinata maritum leonem domare? Quod et factum est. Laudabilia certe opera Dei in fornicaria ex conjunctione Osee prophetæ [3] correcta et emendata apparuerunt : sed multo laudabiliora in conversione et sanctificatione lantgravii ex conjunctione ancillæ Dei Elizabeth omnibus liquide claruerunt. Sanctificatus namque est ex ipso connubio vir infidelis [4] per mulierem fidelem.

17. Desponsata nempe viro mulier tenera et delicata “ manum suam misit ad fortia ; „ et intuitu supernæ recompensationis in “ lana et lino „ operata, id est in operibus pietatis et castigatione carnis se potius exercens, omnes domesticos suos “ duplicibus „ vestire studuit : quia utrique sexui tam spiritualia quam temporalia competenter administrari curavit, corporibus et animabus suorum [5] pro posse curam impendens, ut per digna opera gratiæ præsentis æternam gloriæ mercedem percipere mererentur. Desiderio autem cœlestis beatitudinis et spe prolis communicandæ veritati perfruendæque æternæ felicitati, quasi duabus alis aquilæ magnæ, devota mulier suffulta, sublevata est in altum, accrescens et proficiens de virtute in virtutem. Quæ cum animadverteret animum conjugis sui, ratione principatus sui multis implicitum negotiis curisque secularibus, inconsuetum ad spiritualia, durum et inconsultum ad sibi salutaria : ut debellaret tam frigidum rigidumque animum, “ accinxit fortitudine lumbos suos „ et “ roboravit brachium suum. „ Nam devotis et instantissimis orationibus die noctuque pro conversione domini sui et salute athleta Christi invigilat, non minus precibus continuis et exhortationibus aliisque pietatis argumentis dominum suum opportune et inopportune [6] de salute sua instruens et sollicitans. Quid non mereretur tanta humilitas? Quid non obtineret tanta caritas? Quid non emolliret tanta sedulitas?

[1] *ita* 2 ; susceptivam 1. — [2] voluerit 2. — [3] *codd.* propheta. — [4] *ita* 2; fidelis 1. — [5] *ambo codd.* suarum. — [6] importune 2.

18. Considerans tandem vir durus stirpem regiam teneritudini ætatique suæ non parcere, corporis sui decorem gloriamque seculi pro Deo vilipendere, saluti suæ et omnium pervigili constantia insistere atque in cunctis bonis velut fixum et immobile ejus propositum permanere [1], divino nutu correctus, ad quæcumque agere volebat plenam ei tribuit facultatem et libertatem, salvo tamen adhuc jure maritali : optans et ipse per gratiam Dei meritumque consensus sui omnium particeps haberi. Denique adeo ipse bonis operibus ejus congratulando cooperabatur, ut, cum ei propinqui amicique et familiares tam aperte quam occulte conviciarentur, atque alii seculares obloquendo super ea detraherent, ipse patienter contumelias et opprobria sustineret; nec in aliquo consensum suum a profectibus sanctæ mulieris retrahebat. Interdum tamen afflictioni ejus compatiens, de nocte ad peculiare et consuetum orandi studium surgentem aliquamdiu manu tenebat, ne longius a substratorio lecti abscedens secundum consuetudinem suam nimis se affligeret. Frequenter etiam in ipso substratorio de maxima parte noctis quiescebat, nihil inter se et terram nisi ipsum tapetum possidens. Habebat autem et quasdam puellas secundum cor suum, in cunctis operibus religionis suæ ab adolescentia sua sibi devote consentientes et obsequentes : quæ, dominam suam, sicut erant ab ea edoctæ, ad familiares sibi orationes et meditationes temperius noctu excitare volentes, de incuria dominum suum excitarunt. Quod, sicut et similia, velut bonorum ejus amator, in magna mansuetudine sustinebat. Omni nocte summo silentio consurgere solita erat purasque manus in oratione ad Deum levare, atque ante conspectum Domini Dei sui cor suum sicut aquam effundendo seipsam intentissima devotione [2] in compunctione mentis mactare.

19. Præterea vir infidelis per mulierem fidelem sanctificatus, in tantum cooperabatur bonis operibus ejus et congaudebat [3], ut, si tumultus curarum et negotiorum secularium importunitas, quibus detentus difficile erat repente valefacere, non impedissent, et ipse animo saluti suæ intendens divinæ se vocationi pariter cum ipsa subjugasset. Et licet in vituperium ipsius omnes acclamarent dignitasque secularis honoris cui hereditario præsidebat, penitus repugnaret, Ludowicus tamen a bono proposito suo, sedulitate sanctæ mulieris informato, nullatenus flectebatur. Cum etiam ipsa de mandato magistri Conradi, cui, de consensu mariti, salvo jure maritali obedientiam promiserat, in mensa viri a cibariis ejus, tamquam ab immundis et communibus, quotidie se abstinens, pultibus et vilioribus quibusdam vix ad sufficientiam reficeretur, ille, forti animo in mutatione dextræ [4] Excelsi perseverans, nullis curialium oblatrationibus, uti talium moris est, movebatur. Miro affectu se invicem diligentes et ad laudem atque servitium Dei dulciter invitantes et confortantes, quamvis ipse circa temporalia ratione suorum principatuum necessario intenderet, in secreto tamen timorem Dei habens præ oculis, ad omnia quæ ad divinum spectant honorem beatæ Elizabeth liberam, ut dictum est, concessit facultatem. Qui tandem de consilio et consensu beatæ, quia pro voto in terra sua

[1] (atque-permanere) *add. ex* 2; *deest in* 1. — [2] *add. ex* 2; *deest in* 1. — [3] *ita* 2; gaudebat 1. — [4] *ita ambo codd. perspicue.*

saluti suæ ad plenum vacare non valebat, viam sancti sepulcri devotus Christi peregrinus arripiens, transmarinis partibus in servitio Crucifixi feliciter occubuit. " Date „ ergo sanctæ mulieri " de fructibus manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. „ Hæc autem dicta sunt, ut tam in disciplina domus et familiæ suæ quam in domini sui conversione et salute matrimonii ejus primitiæ et fructus paucis sint declarati. Et, ne caritatis ejus opera, quæ sub obedientia mandatorum Dei in summa gessit humilitate, penitus præterire videamur, congrue matrimonio [1] ejus de multis non multa adjungemus.

[Capitulum III.] De operibus caritatis ejus et humilitatis.

20. Introducta ergo mulier cujus " procul et de ultimis finibus pretium, „ in domum Domini sui, " manum suam misit ad fortia „ et " panem otiosa non comedit. „ Quæ quantæ humilitatis fuerit et caritatis, quantumque [2] cor suum dederit ad obedientiam mandatorum Dei, satis ex his quæ de operibus ejus subjungimus, possumus colligere. Cum in gloria matronatus sui [3] esset et principatus mariti sui, filabat lanam cum pedissequis suis ad vestes Fratrum Minorum aliorumque pauperum, propriis manibus pauperum neophytorum vestes consuens. Quæ etiam pauperes baptizari faciens, matrinitate cum ipsis contracta, debito benefaciendi eis seipsam sæpius obligavit. Item pauperibus sepeliendis vestes propriis manibus præparare ipsosque vestire et exequiis eorum devote obsequi solebat. Alio tempore in visitatione cujusdam pauperis querelam ipsius audiens super quibusdam debitis, hilariter creditoribus ejus satisfecit pro eo. Quamdam mendicam aspectu horrendam et infirmam secretius aliquando assumens, in sinu suo reclinato capite, capillos ejus tondebat; et caput in privato pomerii sui loco propriis manibus ei lavit, correptioni supervenientium benigno risu satisfaciens. Frequenter de nocte fecit se verberari fortiter; et completis omnibus orationibus suis mulier timorata lecto se collocabat. In vigiliis et genuflexionibus, in verberibus et orationibus atque compunctionibus lacrimarum multas noctes ducebat insomnes. In quadragesimis et sextis feriis absente marito suo corpus duris castigationibus mentemque amaris compunctionibus conterebat. In purificationibus partuum suorum non sicut ceteræ matronæ cum tumultuoso comitatu seu vestimentorum pompa, sed nudis pedibus et in laneis familiariter ibat ad ecclesiam, pueros suos in propriis deferendo ulnis : quos cum candela et agno singulos Domino super altare offerre solebat. Sed et tunicam et pallium quibus in eundo usa fuerat, post reditum suum pauperi mulierculæ largita est. Item in Rogationibus in laneis et nudis pedibus processionem crucis sequebatur; et in stationibus prædicationum semper inter pauperiores se locabat.

21. Ibat etiam cum ancillis suis ad domos pauperum, deferens secum panes et carnes et alia humano usui et victui necessaria : quæ pauperibus indigentibusque propria manu dabat. Quorum lectos et vestes diligenter respiciebat. Unde reversa

[1] *ita* 2; matrimonii 1. — [2] *ita* 2; quantumtumque 1. — [3] *codd.* suæ.

orationi instabat; sed et odoramentis ac luminaribus reliquias Sanctorum devotissime honorabat. Non sustinebat divitum cadavera linteis novis involvi, jubens illa in remedium animarum dari pauperibus. Paupercularum parientium frequens extitit visitatrix, sicut et infirmorum, quantumcumque eorum distarent hospitiola seu via esset lutosa. Intrans vilia tuguria eorum, non sordes abhorruit, quin cum omni benignitate eis abundanter ministraret, tam spiritualiter quam corporaliter. Quadam die, cum indigentis inopiam lactis copia supplere intenderet, vaccam fortuitu prope astantem mulgere volebat. Sed vacca insolenter se habens, dominam a se repulit. Tempore generalis famis et caristiæ, lantgravio profecto ad curiam imperatoris, omnem annonam de suis grangiis specialibus colligi fecit ad usus pauperum, tantum singulis diebus tribuens eis quantum necessario sufficiebat.

22. Infirmorum autem ac debilium, qui ad generalem eleemosynam venire non poterant, sub castro altissimo de Wartburh in amplissima domo quam eis providerat curam agebat; et quotidie de altissima rupe ad eos descendens, personaliter de omnibus sibi necessariis tam spiritualibus quam temporalibus promptissime administravit. Et præter hos in eadem domo habuit multos pueros pauperes; quibus etiam de omnibus tam benigne providit, ut eam omnes matrem appellantes, tamquam pulli gallinam avironabant. Inter quos scabiosos, debiles sordidioresque et magis deformatos specialiori humanitate attrectavit [1], in sinu suo locans et curam ipsorum diligenter habens. Quædam etiam clenodia, utpote anulos et olliculas ad puerorum solatium empta, cum, ea ascendente de civitate in castrum et in pallio suo minus caute deferente, de rupe altissima et prærupta casu omnia sibi exciderent super lapides, subtus castrum tamen collecta salva cuncta et integra reperta sunt.

23. Præterea adhuc pauperiores et debiliores elegit, quos ante castrum locavit, reliquias mensæ suæ ipsis quotidie propria manu distribuens. Sed et sibi ancillisque suis multa de necessariis subtraxit, ut pauperibus erogaret : quin etiam et ornamenta sua vendens, in alimoniam pauperum distribuit. Et licet teneritudine naturali nullum penitus fœtorem seu aeris corruptionem ubiubi [2] absque gravi molestia poterat sustinere, in operibus tamen caritatis, ex gratia roborata, eas pauperum sordes quas nec ipsæ ancillæ absque murmure et sui gravamine sustinere poterant, ipsa æquanimiter tolerabat. Manibus suis eos attrectabat [3], vultus horridorum et salivam velo capitis sui detergebat; sputa et alias [4] sordes oris et manuum ac pedum ipsa abluebat. Cum quadam die post eleemosynam distributam modicam siceræ quantitatem singulis daret, fere nihil in cantaro diminutum apparuit, sed tantum remansisse quantum prius fuerat. Cum itaque sic multitudinem pavisset usque ad novas fruges, omnibus qui poterant laborare dedit camisias et calceos, ne pedes in culmis offenderent; sed et falces, ut meterent et de laboribus suis pascerentur. Iis [5] autem qui laborare [6] nequibant vestiunculas providens, nullum penitus egentium a se vacua manu abire permisit. Inter quos cum cuidam

[1] *codd.* attractavit. — [2] *ita* 2; ubi 1. — [3] *ita* 2; attrectebat 1. — [4] *ambo codd.* quos. — [5] Hiis 1, 2, *quasi legendum sit* his. — [6] *add. ambo* non, *perperam.*

mulierculæ calceos et camisiam atque sorcocium [1] tradidisset, illa nimis exhilarata in terram velut jam moritura præ gaudio ruit, clamans nunquam se tale in hoc mundo gaudium expertam [2] fuisse. Unde tamen sancta Dei doluit, timens se mortis illius occasionem dedisse. In Cœna Domini semper solemne mandatum fecit pauperibus. In quadam autem Cœna Domini collegit multos leprosos, pedes ac manus eorum lavans; atque ipsa loca horribilia et magis ulcerosa devotissime deosculabatur. Nec plus horrebat sordidos quam sanos; sed multis eos frequenter consolationibus ad patientiam provocabat.

24. Præterea vestium superfluitatem vitabat; a longis et pretiosis se penitus elongabat. Secularibus matronis ad se venientibus quasi prædicans, cum eis de Deo conferebat; nec sustinere poterat ut aliquis in præsentia sua vana et infructuosa verba loqueretur. Frequenter precum instantia astringebat voto ad abstinendum saltem ab aliquo uno peccato, si ad plura vitanda seculares non potuit inducere. utpote de choreis et manicis nimis strictis, aut sericis zonis crinibus pro ornatu implicitis, aliisque superfluitatibus vitandis. Aliquibus etiam misit decentes vestium manicas. Quas et induxit ad votum continentiæ post primam conjugii sui absolutionem. Nunc ergo quanta virtute, post apertam regni cœlestis januam in baptismate, a gratia Dei sancta Dei instituebatur, quæ sub jugo maritali perfectæ caritatis opera in tanta humilitate perficiebat, ad cetera procedentes, paucis jam exemplis ostendisse sufficiat.

[Capitulum IV.] De obedientia ejus.

25. Ascensis itaque duobus principalibus sacramentis Christi alumna, baptismo videlicet et conjugio, addidit Pater cœlestis filiam suam potioribus adhuc adornare monilibus. Nam, cum in quiete mansuetudinis sub umbra desideriorum cœlestium primitiis frugum suarum cum dulcedine et gratiarum actione reficeretur, apposuit Rex cœlorum futuram heredem suam introducere “ in cellam vinariam, „ ut ordinaret in ea caritatem, et fieret ipsa progrediens “ pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. „ Ab initio infantiæ suæ in sacramento baptismi per lavacrum regenerationis sordes ejus Rex cœlestis abluens januamque regni cœlestis ei aperiens, vestem innocentiæ candidam nudam vestivit et christianitatis titulo in filiam sibi adoptavit [3]. Et quid illa? Vestem utique innocentiæ virginalis castitatis cingulo decenter sibi astrinxit et christianæ professionis nomen religiosis moribus præ consortibus suis vigilanter adornare curavit. Deinde in sacramento jugi nuptialis castitatem virginalem, servata nihilominus innocentiæ suæ veste, in castitatem conjugalem Dominus per indulgentiam commutans, jugo marītali eam copulavit, et viam regni cœlestis sibi aperti artam et difficilem ac multis obstaculis impeditam esse demonstravit. Verum illa in innocentia sua ex divina confidentia incalescens, byssino, id est suffragiis et justificationibus sanctorum, jugiter se supervestivit, atque viæ expeditiori [4] incunctanter

[1] *ita perspicue* 2; *in* 1 *forsan* sercotium 2. — [2] *codd.* experta. — [3] *codd.* adaptavit. — [4] *ita videtur legendum; codd.* expeditioni.

insistens congruis opportunisque [1] operum et virtutum insigniis statuit [2] atque munivit. In duobus anterioribus sacramentis filia principis pedes calciamentis, id est affectiones sanctorum exemplis, muniens et roborans ad gradiendum : restat ut gratiæ Dei innixa pedetentim per alia incedat sacramenta, donec, lege viæ percognita et viatico indeficienti sufficienter adepta [3], consummanda in brevi expleat tempora [4] multa atque introitum regni sibi oppansum merita recompensatione obtineat. Semel tamen lota et abluta necesse habet ut ipsos pedes ei lavet Jesus, et sic sit munda tota, si forte ablutionis [5] suæ aquam in purificatione nuptiarum suarum per cellam vinariam in vinum bonum mutari contingat. Ad perficiendum ergo cœleste negotium viamque inoffenso pede percurrendam elegit prudens sponsa Christi obedientiam subire singularem. Siquidem in christiana professione obedientiam generalem, in naturali parentum subjectione obedientiam specialem, in maritali subjugatione obedientiam sacramentalem, in adimpletione [6] mandatorum Dei obedientiam subierat principalem : nunc singulari obedientia pro Deo, ne quid desit ei, seipsam obligare præ cunctis desiderans, hanc tanti æstimavit ut duobus sacramentis, pœnitentiæ videlicet et ordini sacerdotali, conjungi atque lege competenti per ipsam posse institui non dubitaret. Et recte. Advertit enim quantum mali mundo inobedientia primi hominis et quantum boni obedientia secundi contulit : per inobedientiam primi peccatores multi et per obedientiam secundi justi constituuntur multi. Inobedientia primi de paradiso in exilium, de vita in mortem terrigenas præcipitavit; obedientia secundi regnum cœlorum restituit et vitam æternam omnibus christicolis donavit. Denique Christus, cum esset Filius Dei, ex iis [7] quæ passus est in carne didicit obedientiam, per quam, Matri usque ad mortem et Patri in morte subditus, exaltatus super omnia, quod est super omne nomen suscipere promeruit.

26. Magnum igitur bonum obedientia, et non immerito tanto tam salubrique bono, mulier circumspecta, te singulariter subdere voluisti. Ecce ergo episcopi et abbates, aliique ecclesiarum rectores quibus subjectio talis obedientiæ pro Deo fieri solet. Quemnam ex mille elegisti ut sit tibi consiliarius, sit tibi confessor, pater quoque et institutor in Christo singularis? Planum est quod nullum horum despicis, sed et omnes in Christo et propter Christum velut dispensatores mysteriorum Dei veneraris [8]. Quem ergo tibi vis ex omnibus pro Christo singulariter assignari? Non, inquam, respicis [9] ad eos : quia, secundum quod paupertatem affectabas, nullum ex his elegit tibi anima tua. Nonne, o delicatissima opulentissimi regis Hungariæ filia et Thuringiæ domina, nonne cum in majori tua gloria affectu paupertatis æstuares, coram ancillis tuis, cum quibus frequenter de paupertate tractabas, vili pallio in palatio te amiciens caputque viliori panno operiens, dicebas eis : *Sic incedam, quando mendicabo et quando miseriam pro Deo sustinebo?* Et utique cum omnes prælatos Ecclesiæ tamquam vicarios Christi pari affectu

[1] oportuniisque 1. — [2] *vox scripta supra lin. in* 2; *forsan pro* eam stravit. — [3] *ita codd.; num pro* adepto? *an quasi* adipe saginata? — [4] (tempora-obtineat) *add. ex* 2; *deest in* 1. — [5] *codd.* ablutiones. — [6] *codd.* adimpletionem. — [7] hiis 1; his 2. — [8] venereris 1; veneretis 2. — [9] *codd.* respicias.

venerandos esse censeres, hac de causa tu aiebas nulli episcoporum seu abbatum te velle facere obedientiam, quia, possessiones habentes, in suprema paupertate tua paupertatis tuæ pondus aliquibus poterant alleviare beneficiis. Aggressa ergo es virum quemdam pauperem et severum, verbi Dei in illis diebus egregium prædicatorem, de evangelio viventem, Conradum [1] nomine et magistri fulgentem honore. Cui, cum in nullo eum temporali beneficio tibi posse adminiculari prævideres, de consensu mariti tui, salvo interim jure maritali, nude et integraliter obedientiam promisisti, tam solemni quam privato voto castitatem vidualem coram ipso anticipans.

27. Igitur per hujus obedientiæ effectum filia principis pulchre ad bravium æternæ vocationis in calciamentis suis gradiens, duobus sacramentis, pœnitentiæ scilicet et ordinis, propius posse conjungi non ambigebat, cum amara contritio ad pœnitentiam, veraque confessio ad ordinem sacerdotii, justaque satisfactio ad utrumque specialius respicere videatur. An non omni contritione durior et austerior afflictio est, deliberata quæque et affectata æquanimiter relinquere, et arbitrio semper regi alieno? Et cum quis in propria voluntate offert quidquid libet et delectat, totum quod ipse est immolat, et eo ipso sacerdotis fungitur officio. Quando unicum filium suum Isaac in concepto mentis suæ gaudio offert, Domino sacrificium facit : et " Deo sacrificium [2] spiritus contribulatus. „ Vides quomodo pœnitentia et ordo in perfecta conveniunt obedientia, cum et in plena obedientia summa pœnitentia adimpleatur [3], et ordini fidelis dispensatio sacramentorum seu administratio principaliter commissa sit?

28. Converso itaque per mulierem fidelem lantgravio : quia admonitione apostolica non omni spiritui est credendum et præcipue quia nobilium religioni de facili non est fides adhibenda, assumpta cura sanctæ mulieris magister Conradus, zelo bono, sed utinam secundum scientiam, tentans ejus constantiam, multa utebatur severitate, multis mansuetudinem circumveniendo insidiis et injuriis lacessendo [4]. Illa vero ex libera caritate sanctæ necessitati se subjiciens, ut legitur de Salomone quod vicerit famam virtutibus suis, ita et ipsa semper promptior fuit ad obediendum atque devotior, quam districtus ille aut severus ad imperandum esse poterat.

29. Et ut obedientia ejus exemplis plenius liqueat, pauca de multis commemoranda sunt. Cum, facta obedientia, de bonis domini sui seu cujuspiam alterius unde maculam conscientiæ posset contrahere, prohibitum sit ei uti, illa multo strictius accipiens, nec de licitis et juste acquisitis, ad mensam mariti collateraliter sedens, contingere sæpius audebat. Ipsa autem cum tribus pedissequis secundum cor suum in religiosis virtutibus sibi cooperantibus velut mendica sedebat, et egens ab eis cibariis de quibus nulla suspicio habebatur. Et cum venalia non inveniebantur, plerumque necessaria mendicabat. Cibos curiæ, qui sæpius de officiis et quæstu officialium proveniebant, abhorrens, de quibusdam specialiter sibi in dotem

[1] *hactenus sic* 1, *licet postea aliquoties* Conrardus ; *in* 2 *semper* Conradus. — [2] (D. s.) s. D. 2. — [3] adimpletur 1, 2. — [4] lacescendo 1, 2.

assignatis securius utebatur. Unde frequenter accidit ut multam penuriam pateretur, quandoque solis tortulis cum melle conditis utens : quæ pane solo cum suis fautricibus libenter contenta fuisset, si talem quo secure uti poterat habere potuisset. Præmuniebatur occulte a marito de quibus ferculis singulis vicibus serviretur in curia [1] et plerumque inter diversa fercula fame et siti de obedientia valde afficiebatur. Præterea incommodo religiosarum puellarum suarum domesticorumque fidei magis quam suo affligebatur. Die quadam convivans cum domino suo, a multiplicibus ferculis ejus se abstinuit, quinque tantum minutissimis aviculis cum suis contenta. Quadam die sabbati, cum ipsa jejunaret, secuta est dominum suum ad magnam dietam, septem circiter milliarium Alemanniæ. In qua via cum non [2] inveniret cibos quibus absque cauterio conscientiæ vesci potuit, tota die illa equitans non nisi grossum panem nigrum et durum in simplici aqua calida molle factum cum gratiarum actione comedebat. Præterea filia obedientiæ non solum ab illicite acquisitis, sed et [3] a suspectis penitus abstinebat; verum etiam ubi potuit vim passis satis fieri procurabat. Quamvis pro tam singulari et inconsueto more vivendi tam dominus ejus qui hæc sustinebat, quam ipsa multas contumeliosas oblatrationes a filiis hujus seculi in facie quotidie tolerarent.

30. Item, cum die quadam gratia visitandi marchionissa Missenensis ad eam tamquam ad cognatam suam venisset, eadem hora a magistro Conrado vocata est per internuntium ad prædicationem. Quæ cum tam gratia et caritate quam scandalo recentium hospitum suorum nobilium ad præsens detenta, humilem pro se excusationem remittendo veniam postularet, postera die cum festinatione ad eum veniens indulgentiam inobedientiæ præteritæ cum omni humilitate supplicabat. Cui magister Conradus nimis offensus tandemque cum magna difficultate aliquantulum placatus, tam ipsi quam ancillæ ejus usque ad camisias exspoliatis [4], pedibusque suis provolutis, acris [5] verberum castigationibus culpam inobedientiæ relaxavit.

31. Et hoc quidem vivente adhuc marito ejus factum est. Verum post mortem ipsius magister Conradus omnem contemptum ancillæ Christi persuadens, illa modico postea tempore elapso quarumdam Sororum tunc temporis despectissimarum vilissimum griseumque induit habitum. Aliquando magister Conradus ejus constantiam volens experiri, ejus in omnibus fregit voluntatem. Omnia quoque sibi molesta [6] et incommoda præcipiebat. Quam ut magis affligeret, singulos quosque de familia sua dilectos ab ea sigillatim repulit, ut de quolibet per se singulariter doleret [7]. Novissime singulas puellas sibi in Christo prædulces et ab infantia secum conversatas cum multis utrimque lacrimis et contritionibus eam deserere fecit, ne forte de ante habita gloria conferentes dolere ex hoc atque tentari aliquando contingeret. Idcirco omni humano voluit eam destitui solatio, ut soli Deo sincerius se conjungeret. Adjunxit autem ei austeras feminas, a quibus multas oppressiones sustinuit. Quæ etiam, sicut magister Conradus eis occulte injunxerat, se captiose

[1] (s. in c.) in c. s. 2. — [2] non *add. ex* 2; *deest in* 1. — [3] et *add. ex* 2; *deest in* 1. — [4] *add. in* 1 *supra lin.* vestibus. — [5] *sic* 1, 2. — [6] molestia 1, 2. — [7] coleret 2.

contra ipsam habentes, frequenter eam de non servata obedientia apud ipsum accusabant : quando videlicet pauperibus aliquid dabat vel tribui rogabat. Quibus de causis sæpius vapulabat, multasque alapas in [1] devoto animo in memoriam alaparum Domini devote ab ipso sustinebat.

32. Nec cuiquam omnino, quamquam carissimo aut hospiti, victum dare aut loqui sine licentia audebat. Accidit aliquando ut pro victu quærendo operi manuum mulier sancta instaret. Quæ a magistro Conrado mandata ut ab hospitali suo in Martpurh [2] ad se concito transiret. illa, moram in expectando nesciens, quia pretium de lana filanda a quadam ecclesia receperat, unum denarium Coloniensem cum aliquantula lana quam necdum perfilaverat remisit, ne supra debitum vel quod labore non meruerat quidquam haberet. Aliquando cum magister Conradus intellexisset eam multa simul dare pauperibus, mandavit ei ne singulis diebus [3] plus quam unum denarium dare præsumeret. Verum illa studuit sigillatim supplere quod simul facere non licuit. Quo cognito præcepit ei ut de cetero denarios non daret, sed panes. Illa quod prius de denariis fecerat, hoc et de panibus. Unde postmodum [4] non nisi particulas panis ei dare permisit [5], ipsa promptissima ad omnia quæ ei mandaverat existente.

33. Die quadam in itinere causa visitandi quemdam sanctum eremitam constituta, mandatum ut rediret accepit : *Nos*, inquit, *similes testitudini, quæ tempore pluviæ se retrahit in domum suam : ut obediamus, necesse est nobis a cœpto itinere ad domum nostram quantocius reverti.* Mandavit ei aliquando magister Conradus ut veniret ad se longius constitutum. Tractaturus enim erat utrum eam inclusorio includeret. Petentibus ergo claustralibus quibusdam a magistro Conrado, quatinus de licentia ipsius sancta Dei adveniens claustrum earum ingredi posset : *Intret*, inquit ille, *si vult.* Illa confisa de verbis magistri et confessoris sui, licentiamque se [6] habere æstimans, simpliciter intrabat ad eas, foris pedissequam suam dimittens. Quod magister intelligens et pro excommunicata eam habens, quamvis puella foris stetisset, quia tamen deforis accepta clave introitum ei claustri aperuerat, præcepit ambabus satis nudatis in terram prosterni. Quod cum fieret, decantante [7] eo *Miserere mei Deus* per totum, ab ipso et quodam alio interim cum longis grossisque virgis in tantum sunt verberatæ, ut plus quam tribus hebdomadibus postea plagis virgarum in corporibus ostensis vix a lecto surgere potuerunt. Quod cum factum fuisset : *Oportet*, inquit illa, *talia libenter sustinere. Sic enim est de nobis quomodo de gramine, quod crescit in flumine. Fluvio quippe inundante, gramen inclinatur, deprimitur : et sine læsione ipsius aqua inundans pertransit. Inundatione cessante, gramen erigitur et crescit in vigore suo, jocunde et delectabiliter manens. Sic et nos quandoque oportet inclinari pro Deo et humiliari, et postmodum jocunde et delectabiliter in Deo erigi.* Omnes autem adversitates et sui contemptum, plurima quoque verbera quæ ei magister Conradus dedit aut dari fecit, sancta Dei patientissime et cum magna jocunditate tolerabat. Multum etiam magistrum Conradum loco Dei metuebat.

[1] *om.* 2. — [2] alias *add.* 2. — [3] diebus *deest in* 2. — [4] ut *add.* 1, 2. — [5] *ita* 2; promisit 1. — [6] se *add. ex* 2; *om.* 1. — [7] *ita* 2; decantato 1.

34. De pœnitentia et contritione humanæ voluntatis suæ et sacerdotalis ordinis reverentia ac subjectione per singularis obedientiæ suæ professionem, post virtutem et profectus matrimonii ejus, hæc pauca pro brevitate dicta sufficiant. Conscientiam etiam suam, quam ab initio in bona terra plantaverat, circumseptam timore Dei tam diligenter in sancta simplicitate vallaverat, ut ne quidquam [1] quod primam mentis ejus innocentiam posset rugilare [2], fines ejus attingeret. Quod si aliquid suspecti intra vallum suæ mentis exsurgebat, crebris continuo lacrimis et confessionibus evellere non distulit. Denique tam sollicita conscientiæ suæ erat observatrix, ut et alios frequenter ad confessiones suas faciendas provocaret, multum in hoc conscientiæ suæ lumen experiens, si alius purgationem conscientiæ adipisceretur. Omnes quos poterat ad confessionem inducebat et ad sanctam communionem. Die quadam quamdam vetulam ad confessionem provocans, cum nihil proficeret, virgis verberavit, ut [3] saltem obduratam plagis emollire aliquatenus posset. Sic quoque sancta Dei per amaritudinem contritionis pœnitentiæ, et per humilitatem confessionis ordini sacerdotali, atque per rectitudinem satisfactionis utrique in singulari obedientia conjuncta est. Et quidem per obedientiam omnis electorum hic pœnitentia inchoatur et perficitur. Sed et ipsa ad tantam necessitatem singularis obedientiæ ex mera et absoluta libertate liberaque caritate sacerdoti seipsam mancipaverat.

35. “Introduxit” ergo “Rex” cœlorum filiam suam “in cellam vinariam et ordinavit in” ea “caritatem.” An non tibi videtur in cellam vinariam introducta et illic in caritate ordinata, quæ, ut dictum est, per virtutem obedientiæ singularis ordini sacerdotali familiarius conjuncta, in amaritudine pœnitentiæ prelo contritionis omnem humanæ voluntatis suæ calcavit et depressit non solum effectum, sed et affectum? An non ordinationem caritatis a cella vinaria suscepit, quæ sub obedientia per spiritualium charismatum incrementa et gradus tam fructuosa exploratione proficisci studuit et proficere? Calcavit ergo et contrivit propriam voluntatem, ut nutus alienæ voluntatis et actus velut liquor irrorans effluerent [4]. Verumtamen is loquor insipidus erit quasi aqua, si propriæ industriæ innixa mens humana a seipsa hæc suo posse fieri sperabit [5]. Si vero aspiciens ad ipsum [6] sine quo nihil fieri potest, hunc liquorem insipidæ aquæ per radicem passionum ejus qui vitis vera est principaliter colaverit [7], jam aqua in vinum conversa una cum fructibus manuum suarum ad confectionem Eucharistiæ, id est Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, poterit proficisci.

[Capitulum VI.] De paupertate ejus et abjectione.

36. Igitur beata Elizabeth baptizata in aqua, id est in pœnitentia, sed et in Spiritu sancto ad testificandum Christum, et ad præceptum Domini de ligno vetito se abstinens, secundum seriem conversationis suæ præsenti libello conscriptam,

[1] *codd.* quidquid. — [2] *intellige* rugis maculare; violare 2. — [3] *codd.* vel. — [4] *codd.* effluent. — [5] *codd.* sperabat. — [6] *ita* 2; seipsum 1. — [7] *ita* 2; culaverit 1.

post supradicta sacramenta, videlicet baptismi in infantia, conjugii in matrimonio, pœnitentiæ et ordinis in obedientia, ut jam apprehendat fructum vitæ, cœpto ferventer pergit itinere, ad confectionem Eucharistiæ panem offerens et vinum. In pueritia introitus regni cœlestis per baptismum panditur; in matrimonio per conjugium ei via aspera ostensa bonis operibus ab ipsa complanatur; in obedientia per pœnitentiam et ordinem caritatis lege imprimitur: nunc per sacramentum Eucharistiæ viatico sufficienti munienda [1], ut nullum ei repagulum libere secureque gradiendi ad patriam obsistat. Hoc sacramentum, licet in singulis partibus per quas forte dividi potest, fides christiana totum et integrum aspiciat, quia tamen [2] in duabus specialiter substantiis fieri habetur, viaticum et vehiculum simul existens, corpori pariter et animæ salutarem præbet effectum. Hoc cibo, ut dicit Moyses, aliti sunt filii Israel, usquequo tangerent fines terræ promissionis. Hinc ergo panis commixtione aquæ formatus igneque decoctus, illinc prelo vinum extortum et aqua in consecratione commixtum, incarnationis passionisque mysterium in humanitate una cum naturæ, id est mortalitatis nostræ, communione completum designat. In altero caro Christi alimentum vitæ, et in altero sanguis ejus vehiculum credentium est. *Qui manducat,* inquit, *meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* In corpore quod in Incarnatione infirmum assumpsit, nos cibavit; in sanguine quem multipliciter in depositione infirmitatis nostræ deposuit, quia anima in sanguine est, spiritum in manus commendans Patris, spirituali potu nos potavit. Et utraque extrema, incarnationis scilicet et passionis, in sacramento Eucharistiæ secundum significatum panis et vini in unum conveniunt. Siquidem ipse primus et novissimus in incarnatione sua initium salvationis humanæ sanctificavit, et in passione finem redemptionis consecravit. Panis principium et alimentum vitæ humanæ est; vinum quoque reddens homines jocundos et alacres, quasi vehiculum est. *Comedite,* inquit, *amici mei :* id est, *Ut amicitiæ meæ vel amori meo* [3], *sicut aqua in confectione panis addita, communicare possitis, exemplis virtutum quæ* [4] *in assumpta humanitate mea vobis præbui, informari satagite. Bibite et inebriamini, carissimi, quia, caritatis meæ aculeum in exspoliatione et depositione mortalitatis vestræ emulantes, tamquam ebrii et impotes sui et insensibiles ad tolerantiam opprobriorum efficiemini.* In cibo hoc affectus [5] patientis suavi amore reficitur : sed in potu anhelantis desiderium seu impatientia amantis efferbescenti dulcedine caritatis inflammata alacriter et absque labore pervehitur. Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. *Panis,* inquit, *quem dabo, caro mea est,* et : *Cognoverunt eum in fractione panis.*

37. Fortis ergo mulier " (procul et de ultimis finibus pretium ejus) consideravit semitas domus suæ et panem otiosa non comedit. Facta „ autem " quasi navis institoris, de longe panem suum „ portantis, panem et vinum suum super sepulturam justi, id est Christi, constituit. Nam fructum suum habens in sanctificationem, finem vero

[1] *ita* 2 ; muniendo 1. — [2] *ita* 2 ; cum 1. — [3] (vel amori meo) *supra lin. in* 2. — [4] *codd.* quod. — [5] *ita* 2 ; effectus 1.

in vitam æternam, per omnia pro dono suo studuit se conformari Christo cui credidit, ut, et ipsa hostia consecrationis effecta, Christus, sacrificium matutinum et vespertinum Patri in ipsa offerens, plenum cum ipsa holocaustum consummaret. Et, quia dicente Domino : *Hoc facite in meam commemorationem*, ipsum sacrificium memoriale dicitur, et ut scriptum est : *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ, et memoriale ejus sicut vinum Libani*, præparavit seipsam in justitia ad memoriam æternam ; et utrique extremitati sacrificii memorialis, paupertatis et abjectionis affectatione, diligenter respondere curavit. In omnibus etenim operibus suis novissimorum suorum rememorata, paupertate principio et persecutione dejectionis suæ fini Christi qui in passionibus fuit, conjungi satagebat. *Panis egentium vita pauperis* [1] *est*, dicit Ecclesiasticus, *et qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Et his duobus, paupertate videlicet et persecutione, suos fines resarciens principium fini copulavit : initium in paupertate, et finis sive mors in persecutione seu dejectione judicatur. *Ecce*, inquit, *equus pallidus, et qui sedebat super illum nomen ei Mors*, et : *Factus est sudor ejus quasi guttæ sanguinis.* De paupertate initio comparata ait Job : *Nudus egressus sum de utero matris meæ*, etc. Sed et utraque hæc beatitudo regno cœlorum recompensatur, dicente Domino : *Beati pauperes spiritu*, et : *Beati qui persecutionem propter justitiam patiuntur, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Nam si qua alia beatitudo ad regnum pertinet, in illarum utique hereditate de gratia recepta respectu illarum velut hospes in regno cœlorum est.

38. Igitur paupertatem hujus sanctæ mulieris paucis primo nos expediamus exemplis ostendere. Beata Elizabeth noluit a pauperibus et ignobilibus ancillis suis domina vocari ; sed simpliciter " Elizabeth „ se fecit appellari. Sed et ancillas suas ad latus suum fecit sedere et de scutella sua comedere [2]. Accidit etiam ut, diu affectatam paupertatem pro Deo incurrens, operi manuum quotidiano pro victu quærendo necesse esset ei insistere et velut quæstuaria victum acquirere. Nendo namque lanam sibi transmissam victum de pretio, minori debito, habebat. Sed et sæpius ex ægritudine lecto procumbens, de necessitate lanam filabat (linum enim fusare nesciebat), aut lanam ad futuros labores trahendo et dissipando præparabat. Aliquando pisces grossos sibi missos fecit vendi, ut exinde multiplicatis denariis magis necessaria sibi compararet. Nihilominus tamen de labore manuum suarum ad altare Domino munus offerebat, et in necessitatibus pauperum membrorum suorum hilariter administrabat. Audito tandem rex Hungariæ filiæ suæ mendicitate, misit comitem quemdam terræ suæ ut revocaret filiam suam ad terram nativitatis suæ. Veniens autem comes, nomine Pavias [3], cum multo comitatu et ambitione ad oppidum Martpurh, et videns eam sedentem ad colum et nere lanam, et vehementi admiratione stupefactus lacrimari cœpit : *Nunquam*, inquiens, *prius visa est filia regis lanam filare.* Verum electa Dei affectatæ paupertati congaudens, nullo modo potuit ad hoc induci ut cum nuntiis patris sui ad terram primæ

[1] *immo* pauperum *in* Vulgata, xxxiv, 25. — [2] fecit *add.* 2. — [3] *ita perspicue* 1, 2.

fertilitatis [1] reverteretur. Pallium in habitu griseum gestabat, panno albo prolongatum, quod manicas ruptas panno neutri [2] coloris habuit emendatas. Hiemis tempore ob defectum vestimentorum inter duas culcitras quasi in sarcophago, ut ipsa aiebat, non in culcitra alta [3] seu tertia jacens [4], se collocabat. Miro modo gaudebat et complacens erat in tribulationibus suis. Amicorum parentumque confugia aut solamina non quærebat; sed et oblata constanter refugiebat.

39. Ad mandatum magistri Conradi Martpurh vilem et abjectum, ut dictum est, sibi assumens habitum, pauperiores, debiliores et abjectiores in hospitio suo collegit; et magis devotos, quibus in propria persona ministrabat. Cibos cum ancillis Deo devotis in habitu griseo eis præparabat. Quos et balneabat, et lectis stratis in ipsis cooperiebat. Quemdam etiam monoculum totum scabiosum, præter alia multa [5] humanitatis opera, sæpius ad requisita naturæ deportabat. Una nocte cum sex vicibus eum illic detulisset, pannos ejus nimis sordidatos cum omni jocunditate ipsa lavabat. Velum lineum magnum quo domus ornari consuevit rumpens, pauperes balneatos involvit particulis ejus; et in lectis cooperiens: *Quam bene nobis est quod Dominum nostrum Jesum Christum sic balneavimus et fovimus!* ipsa dicebat. Quamdam etiam fœtidissimam leprosam, plenam ulceribus et sanie, horridamque omnibus visu, beata specialiter in hospitali suo confovebat, tam medicamentis quam aliis sibi necessariis caritative ministrando. Ungues manuum ei præcidebat; genibus flexis corrigias calciamentorum ei solvit. Et manu ulcerosam faciem ejus benigno compatiendi animo tangens, convenienter ad tempus illa sanata est. Hanc in fine curiæ suæ locans frequenter visitabat, et placidissimis consolationibus una cum aliis pauperibus et indigentibus eam leniebat.

40. Cum aliquando post magnam paupertatem duo circiter millia marcarum pro dote sua recepisset, convocatis in confinio suo pauperibus et indigentibus ad duodecim millia certo die et loco, jussit quingentas eis marcas simul distribui. Ipsa autem ad similitudinem Domini linteo succincta per ordinem sedentes transibat, et ministrabat illis. Ubi, data lege et publicata quod capillorum suorum truncationem ad confusionem acciperet quicumque usque ad completionem eleemosynæ alicubi discurrere a loco suo præsumeret, contigit quamdam juvenculam, Heldegundam nomine, superventantem, lege prædicta nescia [6], ornatissimorum capillorum suorum præcisionem sustinere. Beata Elizabeth audiens puellam amissis capillis inconsolabiliter plorantem, comperto quod minus juste puella punita fuerat, quæ lege ignorata et non ad eleemosynam, sed ad visitandam infirmam sororem suam illuc venerat: *Ad minus*, inquit, *de cetero cum hoc ornatu choreas non frequentabit.* Et percipiens a juvencula quod, si capillorum impedimentum non impedivisset, diu jam Domino in habitu religionis servisset: *Carius*, inquit, *mihi est quod tu capillos amisisti, quam quod filius meus [7] imperator factus esset.* Et subito recepit eam ad serviendum pauperibus in habitu religionis in hospitali omnibus diebus vitæ suæ. Siquidem beata Elizabeth, soli Deo vacans, qui plenum

[1] *sic* 1, 2. — [2] *sic* 1, 2; *forsan pro* neutrius. — [3] altam 1, 2. — [4] *ita* 2; *et prius etiam in* 1; *sed corr.* jaciens. — [5] *ita corr. in* 1; *prius* multe 1, 2. — [6] *sic* 1, 2. — [7] *add. ex* 2.

contemptum omnium ei dederat, unum filium duasque filias cum haberet, a se amoverat; puerum unum, anni et dimidii habentem [1] ætatem, a se penitus removebat. Erogatis itaque quingentis marcis Coloniensibus [2] simul in eleemosynam, die occidente et luna clare lucente cum fortiores recessissent, quique debiliores et infirmi remanserant, in angulis curti [3] et juxta sepes hospitalis jacentes. *Ecce,* inquit sancta, *debiliores remanserunt. Adhuc tribuamus eis eleemosynas.* Et singulis indifferenter fecit sex denarios Colonienses dari. Et facto copioso igne circa pauperes, panes eis distribuit, pedes multis lavit et unxit. Quibus præ gaudio cantantibus, ipsa supra modum exhilarata est. Extra etiam proprium hospitium multis fide dignis pretium dabat, ut pauperes procurarent; et occulte anulos aureos et pepla serica aliaque clenodia vendebat, ut pauperibus ministrarent. In hospitali quod fecerat et in quo sub habitu paupere Domino serviebat, scutellas et patellas ipsa lavabat; et, ne ab ancillis impediretur, sæpius ad alia emittebat, ut liberius quoddam [4] opus despicabile posset implere.

41. Commemorata ergo paupertate ejus et quibusdam operibus quæ, amatrix paupertatis, in infortunio tali sibi acciderunt recensitis, nunc paucis abjectionem persecutionemque quam sustinuit subjungamus [5]. Cum electa Dei a tempore desponsationis suæ propter religionem suam et bonorum operum exhibitionem filiis hujus seculi tam ad curiam quam ad cognationem mariti spectantibus tamquam stulta et fatua haberetur, onerosam nimis ejus præsentiam parumque odiosam eam habuerunt. Unde, comperta morte mariti, frater ejus unde supra memoratum est, nacta occasione, de consilio vassallorum fratris sui, ejecit eam de castro et omnibus possessionibus dotalicii sui privavit. Poterat quidem sustentari utcumque [6] et vivere cum socero suo, si ad mores et cibos curiæ, quod hactenus non fecerat, infringi potuisset. Sed illa, incontaminato sacrificio intendens, inquinamentum picis [7] penitus abhorruit, eligens potius abjectionem quam peccatorum cohabitationem. De prædis et pauperum exactionibus, quæ in curiis principum sæpius versari contingat [8], noluit victum aut vestitum habere, mœrentium consolatrix pauperumque mater.

42. Ipsa autem ejecta de castro cum pueris suis, sub castro intravit tugurium cujusdam cauponis, in quo solebat porcos suos incrassare. Ubi noctis medio in magna jocunditate existens, Fratres Minores oppidi illius celeri gressu appetiit, rogans eos in laudem Dei pro sua tribulatione " Te Deum laudamus " alta voce hymnizare. Cui, inquam, electa Dei a vino salutaris sacrificii jam tunc potata et inebriata non esse videtur? Sequenti die cum nullus auderet eam hospitio suscipere, ipsa cum pedissequis et parvulis suis in ecclesia ad quam divertit, diu sedit. In maxima frigoris asperitate quo se diverteret aut puerorum capita inclinaret, nesciebat. Tandem domum sacerdotis ingrediens, illic miserabiliter pavit se et suos, pignoribus expositis. Postea compulsa est intrare in angustissima domorum cujusdam æmuli sui, ubi multum cum tota familia sua ab hospite et hospita gravabatur.

[1] habens 1, 2. — [2] Coloniensium 1, 2. — [3] *sic.* — [4] quodlibet 2. — [5] *ita* 2; subjugamus 1. — [6] *ita corr. in* 2; utrumque 1. — [7] *ita corr.* 2; pacis 1. — [8] *sic* 1, 2.

Unde valefaciens parietibus et tecto qui eam a frigore servaverant et a pluvia, cum nullum aliud valeret hospitium habere, ad priorem dicti cauponis sordidam domum secessit. Ab omnibus itaque hominibus mariti sui sine causa persecutionem passa et bonis privata, inopia cogente ad diversa loca et remota parvulos suos alendos transmisit. Nihilominus tamen id minimum quod habuit, ori suo subtractum [1], pauperibus erogavit. A magnatibus et hominibus terræ sponsa cœlestis contumelias et blasphemias magnumque contemptum sustinebat, ita quod sui nec videre eam nec alloqui curarent, stultam eam reputantes et insanam. Insultabant etiam ei, et superstitiosam esse conclamantes multipliciter eam diffamabant. Et quid mirum? Est enim lux semper infesta malis et virtus deformibus exosa. Nulla potest esse societas luci ad tenebras, aut conventio Christi ad Belial. Gaudenti [2] et exultanti in Domino hinc in excoctione panis per caminum paupertatis, istinc pro expressione vini per torcular asperæ persecutionis, improperabant ei quod, muliebri inconstantia et infidelitate vallata, domini et mariti sui mortem parum doleret.

43. Postea in sepultura ossium mariti sui, quæ de transmarinis partibus delata erant, vassalli et consules terræ ad præsentiam multorum nobilium et optimatum super abjectione dominæ et necessitate verecundati, ea fide quam habebant de dote ejus recuperanda et commodo ordinando polliciti sunt. Verum, quia nullam fidem habebant, nullam ei servabant. Sed post sepulturam dispersis amicis et commodo ejus ab omnibus neglecto, in priori mendicitate et persecutione perstitit, donec, ad mandatum magistri Conradi, Martpurh se transferens, illic griseum habitum suscepit. Quadam etiam die beatæ mulieri eunti ad ecclesiam, in arto transitu et lutoso, sed singulis magnis lapidibus ad passus hominum substratis, quædam vetula occurrit. Ad introitum autem viæ videns vetula dominam a qua frequenter eleemosynis et speciebus infirmitati suæ convenientibus sustentata fuerat, venientem, noluit ei cedere, sed angustiam passuum præoccupans beatam Elizabeth detrusit in lutum. Sed ipsa pollutis vestibus resurgens, vestimenta sua sordida cum multo gaudio abluebat. His igitur et aliis signis paupertatis et abjectionis electa Dei non quidem substantialiter prima fronte in pane et vino consecrato, sed a latere per gratiam velut aqua pani et vino conjuncta atque commixta, hostia salutaris in manu summi Sacerdotis facta est, sufficiens in sacramento Eucharistiæ usque ad mortem habens viaticum et ad regnum perveniendi vehiculum. Unde post tantam ordinationem caritatis, post gradualem ascensum virtutum et sacramentorum, restat nunc ut et per sacramentum Confirmationis in omnibus charismatibus roborata, ad supplementum operis, quibusdam indiciis ostendatur.

[Capitulum VI.] De confidentia ejus.

44. Nunc autem, virtutem Confirmationis ejus in plena confidentia et certo electionis suæ experimento advertentes, pauca de securitate confidentiæ ejus

[1] *ita* 2; subtracto 1. — [2] *add.* autem.

exempla subjungemus. Hinc autem in quemdam divinum mutata habitum, intellectu jam et affectu [1] omnia creata transcendit, Domino solo [2] ei præsidente et in ipsa residente [3]. Hic in tranquilla residentia perfecta caritas timorem foras mittens, cum jam non sit quod ipsa in spiritu summæ libertatis solidata metuat, evidens signum divinæ electionis in propatulo præfert. Quod utique ante a prima vocatione per quædam summi moderaminis incrementa paulatim in ipsa adolevit, et a fundamentis fidei roboratum est. In anterioribus profectibus cum laboriosa Dei inquisitione diversis ab eo charismatibus alumna Christi meruit gratificari : sed in Confirmationis suæ mysterio, seipsum ei integrum præbens, plena securitate confidentiæ eam in tuto collocavit, omniaque ei ad votum succedenda et in proximo esse perficienda monstravit, quemadmodum paucis patebit exemplis.

45. Audiens aliquando episcopus Bambergensis [4], avunculus beatæ Elizabeth, ejus infortunium, accersiri eam sibi fecit, nuptui competenter tradere intendens. Cum autem religiosæ quædam quæ cum ea continentiam voverant, vim episcopi de ipsa timerent et hoc cum lacrimis ac dolore querelarentur, beata Elizabeth consolans eas frequenter aiebat : *Nolite, dilectæ, contristari et nolite mæstæ esse. Tam firma est fiducia mea in Domino, qui novit votum meum de continentia servanda, diebus etiam mariti mei emissum, ex puro corde et integro processisse, quod de ipsius gratia confidens, scio esse impossibile quin conservet meam castitatem contra omne humanum consilium ac violentiam. Non enim conditionaliter, aut si amicis meis placeret, vel si Deus aliter revelaret, sed absolute integerrimam vovi castitatem post mariti mei absolutionem. Quod si me ab avunculo meo seu quoquam alio omni constantia mente et ore dissentiente alicui desponsari contingeret, si alia via evadendi non appareret, proprium mihi nasum secrete truncarem, et sic deformiter mutilatam* [5] *curam mei nullus hominum haberet.* Accidit ergo ut ad quoddam oppidi castrum ad desponsandum in proximo invita duceretur, ipsa singularem in Domino fiduciam habente. Ecce Domino, afflictorum consolatore, ordinante, subito præcipitur in occursum ossium mariti sui redire ad terram, ubi de ea secus ordinatum est.

46. Veniens aliquando electa Dei ad claustrum religiosorum qui eleemosynis quotidianis sustentabantur, ostenderunt ei sculpturas in ecclesia auro micantes oculatamque deforis caudam pavonis. E quibus unus pulcherrimam ei iconiam offerebat, dicens hoc dominæ in tanta religione bene competere. *Relinquenda,* inquit [6] illa, *sunt hæc instrumenta secularibus, quorum devotio sensuum corporeorum experientiam vix transcendere potest. Religiosis autem et peculiaribus Christi ministris aliunde quærenda sunt machinamenta devotionis, et sumenda puri amoris argumenta. Ego, confidentiam meam in eo statuens qui vicit mundum, ex quo me renatam esse cognosco, tali imagine minime indigeo seu ad devotionem moveor, quia eam in corde meo absque corruptibili materia formatam inviolabiliter porto. Sed et vos hanc expensam melius in victualibus et vestibus vobis necessariis quam in parie-*

[1] *ita* 2; effectu 1. — [2] soli 1, 2. — [3] et in ipsa residente *add. ex* 2; *om.* 1. — [4] Gabergensis 1, 2. — [5] *sic* 1, 2. — [6] movit 1, 2.

tibus posuissetis, supra et extra mundum cum Christo spiritualem alimoniam quærentes, quibus, has imagines in secularium oratoriis considerantes, veneratio significatarum rerum sufficere debebat. Ipsa autem quando maxime jocunda esse videbatur, flevit, dictu mirabili simul flens et ridens. Quæ flendo nunquam faciem in rugas aut deformitatem vertebat; sed serenissimo vultu et jocundissimo, velut de vivo fonte lacrimæ ejus emanabant. Qui enim vultum in fletu deformant, adhuc quodammodo Deum deterrentes nondum " sicut columbæ lacte lotæ juxta fluenta plenissima resident. „

47. Aliquando quædam paupercula provisis omnibus a beata Elizabeth quæ ad rem pertinent, puerum peperit : quod [1] sancta Dei de sacro fonte levans, Elizabeth fecit nominari. Post quatuor hebdomadas beneficio sanctæ Dei satis roborata, cum ab ea licentiam abeundi paupercula illa accepisset, pallium quoque et calceos et duodecim denarios Colonienses peplaque et manicas pelliciæ ejus ad involvendum puerum, lardum etiam et farinam ei domina sero dari fecisset, illa ingrata tanto beneficio, summo mane dimisso illic puero recessit cum viro suo. Beata autem Elizabeth cum esset in ecclesia ante inceptionem Matutinorum, et quarumdam specierum quas in marsupio suo habebat recordata, puellæ suæ præcepit ut festinantius accurrens dictas mulieri pauperi species deportaret. Curritur et infans solus absque parentibus invenitur. Quo cognito, beata Elizabeth puerum uxori cujusdam [2] militis in villa, ne negligeretur, procurandum transmisit. Quæritur mulier a multis per vias et loca, et minime invenitur. Timentes puellæ religiosæ pro domina sua magistrum Conradum super hujusmodi, instanter compellunt dominam orare ad Dominum, quatinus ei pueri matrem quantocius ostendere dignaretur. *Nescio,* inquit illa, *aliud a Domino petere, nisi ut ejus fiat voluntas.* Quid multa ? Hora præterita, inopinate maritus ejusdem pauperculæ revertitur, culpam coram omnibus confitetur, veniam humiliter petit et mulierem in loco quodam immobiliter fixam permanere demonstrat. Accurritur, invenitur, venia datur, et pallio calceisque ablatis cum infante suo tandem abire permittitur. *Teste Deo,* dicebat illa sæpius, *pueros meos tamquam alium proximum in affectu habeo. Faciat Deus, cui eos commisi, de eis quod sibi placet.*

48. Venientem aliquando juvenem nomine Bertholdum [3] ad Dei famulam, ipsa eum super seculari statu suo blande corripiebat. *O domina,* inquit ille, *orate ut Dominus mihi tribuat gratiam ad serviendum ei.* Et illa : *Oportet,* inquit, *ut etiam tu similiter orando ad gratiam Dei te habilites.* Et statim secundum consuetudinem suam secedens in loco secreto, flexis genibus contulit se ad orationem. Juvene similiter a remotis orante, cœpit viva voce clamare : *Cessate, domina, cessate ab oratione.* Illa vero adhuc persistente in oratione, adolescens usque tertio vociferavit : *In nomine Domini oro ut cessetis ab oratione, quia igne crematus prope deficio.* Et revera virtute orationis ejus in tantum intus æstuabat, ut et sudor, per poros corporis foras prorumpens, in vestimentorum ejus immadidatione interioris caloris indicia demonstraret. Sed et experimentum dicti tactu ipsius capere volen-

[1] *sic* 1, 2. — [2] cuidam 1, 2. — [3] *ita* 2 ; Bertholdus 1.

tes, ardorem ejus vix sustinere potuerunt. Qui postea habitum Fratrum Minorum accipiens, conversatione sancta requievit in Christo. Huic etiam simile, pro aliis orante beata Dei, sæpius contingebat, maxime tamen circa vocationem ejus extremam. Tam valida quidem ex confidentia Domini fuit, et tantum robur virtutis in præsentia et præsidentia Sponsi sui cœlestis, cujus affectu incanduerat, ex confirmatione et certo experimento electionis suæ, ut cuncta intentioni suæ provenirent ad optatum, præter votum nihil.

[Capitulum VII.] De consummatione ejus.

49. Festinantibus nobis nunc electam sponsam Christi intra velum in sancta sanctorum euntem prosequi, non est nobis ultra in longum producere narrationem. Unde et ratio hujus operis exigit ut, consummationem ejus brevi oratione recolentes, aliquibus eam exemplis virtutem et gratiam ultimi sacramenti, extremæ videlicet Unctionis, redolere demonstremus. Dedit autem ei Deus prælibando sacramentales sorbitiunculas secretorum suorum suavius degustare. Quadam enim die in quadragesima flexis genibus acclinata est parieti, oculos diutissime habens defixos ad altare. Tandem ad humile hospitium suum rediens et minimo [1] ob nimiam debilitatem cibo sumpto, cœpit sudare. Et sic appodians se parieti, in sinu puellæ recepta est. Omnibus igitur præter suos familiares expulsis, oculos versus fenestram fixos habebat et apertos, in magna vultus alacritate velut glorificata facie dulciter subridens. Hora circiter completa usque ad Completorium in contemplatione jacens, vicibus alternis risibus jubilationis lacrimisque uberrimis mirabile [2] spectaculum familiaribus suis præbebat. Tandem prorumpens in hæc verba, ait : *Ita, Domine, tu vis esse mecum et ego volo esse tecum, et nunquam volo a te separari.* Interrogantibus postea privatis amicis et visionem scire cupientibus, sancta se difficilem tradidit [3]. Quibus tandem, precibus earum devicta, dixit : *Vidi cœlum apertum et illum dulcem Jesum, dominum et dilectum meum, inclinantem se ad me, et consolantem me de variis angustiis et tribulationibus quæ circumdederunt me. Quem cum in serenissimo vultu suo viderem, risi ; et ipso recedente, crebrius flevi. Dixit quoque mihi : " Si tu vis esse mecum, ego ero tecum : „ respondente me (quod supra dictum est). Cetera vero quæ illic in acie contemplationis meæ conspexi, revelari non expediunt. Sed sciendum quia mihi mira [4] illic de secretis Dei in gaudio magno demonstrata sunt.*

50. Decumbente ea lecto in ultima ægritudine sua, quædam ex familiaribus ejus propius astans, intra organum gutturis ipsius dulcissimam velut concinentis vocem fere per horæ spatium audiebat. Postea autem se avertens a pariete versus virginem astantem : *Ubi es,* inquit, *dilecta mea ?* (Non enim aliter puellas et domesticas seu ancillas suas quam amicas aut diculas vocare consuevit). Qua respondente quia *Præsto sum : Scias,* inquit sancta Dei, *quod inter me et parietem avicula*

[1] *ita* 2 ; minime 1. — [2] *ambo* mirabilem. — [3] reddidit 2. — [4] (mihi mira) mira mihi 2.

quædam jocundissime cantando mihi applaudebat. Cujus et ego dulcedine suscitata, oportebat et me de cœlestibus gaudiis pariter cum illa carmen modulari. Et hæc fuit illa pectoris mei modulatio quam audisti. Instruxit etiam circumastantes qualiter se contra humani generis inimicum defendere deberent. Quem et ipsa in ipso articulo permissione Dei propter conspiciens, valida voce, ipsum quasi contundendo calce, cœpit clamare : *Fuge, cito fuge.* Quo velut umbra evanescente : *Modo,* inquit illa, *loquamur de Deo et puero Jesu, quia instat media nox, de qua scriptum est : " Nox sicut dies illuminabitur, et nox illuminatio mea in deliciis meis. „ Hac hora in qua Jesus natus est et in præsepio quievit, et novam stellam sua maxima virtute creavit, quam nunquam aliquis plus vidit.* Et talia loquens jocundissima fuit, tamquam non infirmaretur. *Nullam,* inquiens, *sentio infirmitatem, licet*[1] *debilis sim.*

51. De spe ergo resumendi corporis in incorruptibilitate mysterio et virtute sacramentalis Unctionis extremæ certam consolationem cum sanctis sub altare[2] Dei quiescentibus capiens, interdum futurum animæ et corporis sui divortium sub requie et perfectæ[3] simplicis stolæ interim patientius tolerabat. *Datæ sunt eis singulæ stolæ albæ,* ait beatus Johannes, *et dictum est illis ut requiescant modicum, donec impleatur numerus fratrum suorum.* In consummatione ergo holocausti sui electa Dei velut in ostio tabernaculi sui stans et duobus satisfaciens, hinc exilium desertura, amicis Domino devotissime commendatis valefecit, et contubernium corporis ad tempus relictura, corpus humiliter divinæ sententiæ subjacendum committebat; illinc[4] patriam invisura concives sanctorum domesticosque Dei jocundissime salutavit, atque omne depositum sibi a Deo commissum spiritu suo[5] integre et fiducialiter Domino resignabat. Sic autem, ut scriptum est, Judas testis fidelis cum Domino ascendit, quia in confessione laudis et divinæ similitudinis decore competenti legitimoque testimonio a sponso assumpta[6], una cum ipso caput in cœlestibus regnis non immerito effecta est. Caput utique memoria et veneratione dignum, exemplum et ædificatione imitandum et exaltatione solemniter sublimandum. *Cupio,* inquit ipsa, *dissolvi et cum Christo esse. Jam enim hiems abiit et recessit, et vox turturis audita est in patria nostra. Jam tempus instat quo omnipotens Deus eos qui amici sui sunt, vocabit ;* et sic devotissima quasi dormiens expiravit.

52. Et licet in quartum diem ab hora mortis corpus sanctum intumulatum jacuisset, nullus tamen fœtor penitus, ut assolet, de ejus corpore exhalabat. Immo odorem aromaticum habebat, qui spiritum refocillare videbatur. Devotione itaque fideles suscitati, involutionem corporis rumpendo, sibi auferebant. Alii pilos capitis et ungues aliasque ipsius corpusculi portiunculas pro reliquiis tollebant. Quantus dolor pauperum concurrentium de morte ejus sit auditus, quasi omnium mater extitisset, difficile singulorum dolorem et mœrorem[7] nimis esset explicare. Visæ sunt etiam, cum vigiliæ circa corpus decantarentur, avicularum

[1] *ita* 2 ; licet et 1. — [2] *sic* 1, 2 *pro* subtus ? *Cfr.* Apoc. VI, 9. — [3] *sic codd. ambo.* — [4] *codd.* illic. — [5] *ita* 2 ; sancto 1. — [6] *ita* 2 ; sumpta 1. — [7] morem *codd.*

plurimæ congregationes in cacumine ecclesiæ, variis cum admiratione multorum modulationibus concinentes : quæ potius eam laudabilem et gloriosam atque in cœlis superexaltatam quam plangendam in terris esse designaverunt.

53. Deposito ergo Dei electæ corpore, brevi epilogo summam dictorum recencentes, primus jam liber terminandus nobis occurrit. Igitur venerabilis et sancta nunc Elizabeth, a gratia primi sacramenti notitiam primæ vocationis suæ qua de nihilo vocata patrem gratis meruit habere Deum, accipiens candidam sibi in baptismo vestem innocentiæ datam, moribus bonis in pueritia sibi decenter adaptavit. Dein sacramento conjugalis copulæ gratiam vitæ socialis suscipiens, et primæ conditionis munus non solitarium sed cum multis sanctorum millibus in gaudio æqualiter communicandum esse agnoscens, candorem conscientiæ suæ bonis operibus " byssinoque, „ quæ sunt justificationes sanctorum, in caritatis habitu superindui curavit, ut " particeps omnium timentium Deum, „ ipsa fieret. Postea gratia duorum sacramentorum et virtute, pœnitentiæ videlicet et ordinis, roborata, partes adversas, principes tenebrarum, serpentem antiquum, omniaque machinamenta ejus per effectum et meritum singularis obedientiæ in prima fronte valde conterebat. In gratia sacramentali sanctæ Eucharistiæ hostia viva in oblationem salutarem pro multis effecta, et a fine usque ad finem attingens fortiter, cuncta intra se caritativa ordinatione concludebat. Sed et esu carnis Agni redemptoris omnium et panis gustu unitatis, videlicet redemptorum omnium, ad ampliorem esuriem satiata atque ad continuam sitim vino tam in impensa amoris potata quam in repensa debriata (*Qui edunt me*, inquit, *adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient*), ipsa continuata semper renovatione alimentum vehiculumque meruit habere perpetuum. De sacramento confirmationis virtutem electionis suæ certo experimento capiens, libertatem agendi pro libitu quæ volebat accepit et in plena confidentia omnem affectum divini amoris sibi fiducialiter vendicabat. Sed et in mysterio et sacramento extremæ unctionis quietem regni et pacem præ foribus sentiens, singulare quoddam gaudium gratiæque experimentum futuræ resurrectionis corporis sui et omnium, gloriam quoque consummandæ beatitudinis, a Domino suscipiens, ineffabili quadam consolatione et jubilo in præcordiis suis delicate nimis referta et refecta est. Sic ergo in die illa sancta hæc mulier septiformi gratia per Spiritum Dei sacramentaliter præparata et nuptiali habitu gratanter ornata, apprehendit virum unum, Dominum omnium virtutum, qui ab olim in pueritia ejus, ut eam sibi acciperet in regnum, via longissima post eam abiens et nunc competenti testimonio ejus usque ad ultimum terræ, finito in plenilunio et consummatione temporis ejus, cum ea domum rediens, introduxit eam secum ad nuptias, atque consessionem lateris dextri perpetuam in regno suo ei constituit, caput et sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, cujus honor et imperium, cujus regnum et sacerdotium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

Explicit liber primus.

Distinctiones libri secundi cum numero miraculorum suorum.

I. De excæcatorum illuminationibus : XVI.
II. De mancorum gressuum erectionibus : XVI.
III. De diversorum contractorum curationibus : XIX.
IIII. De epilenticorum et furiosorum sanationibus : XV.
V. De diversorum fluxuum restrictionibus : XVII.
VI. De diversorum infortuniorum liberationibus : XII.
VII. De mortuorum vivificationibus : XV.

Prologus in libro secundo.

54. Explicito per Dei adjutorium primo libro de conversatione et vita beatæ Elizabeth, occurrit nobis et alius pari devotione de miraculis etiam ipsius conscribendus. Verum, quia forma exemplaris incomposita materiam nimis inutiliterque diffudit in prolixum, nos, secundum quod scriptum est : *Accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam,* ipsam materiam absque detruncatione veritatis summatim perstringentes, consimiles miraculorum species insimul ordinate collocabimus. Quæ tamen, quoniam libera facultas nobis ad præsens minime suppetit aut otium vacandi circa ea famulatur, nos simpliciter earum narrationem inchoamus. Dominus sibi de fine provideat. **Explicit prologus.**

Incipit liber secundus.

55. “ Ut tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. „ Legitur hoc in libro quodam præliorum Dei, et : “ Ut refulsit sol in clypeos aureos et æreos, resplenduerunt montes ab eis sicut lampades ignis. „ Inter fidelium infideliumque signa et miracula hæc interesse solent, quod hæc fiunt ad ædificationem semper, et devotionem rectæ fidei augent, et illa semper ad ostensionem et seductionem, et seditionem excitant et tumultus. Hæc a veris certisque christianæ militiæ insigniis, quæ caritatis sanctitatisque virtutes sunt et opera, justitia Dei præsidente, in montibus id est perfectioribus resplendentia, et ad communem utilitatem et exemplum, imitatoribus Christi dignum præbent testimonium. Illa de instabilitate mentium judicio Dei permittente prodeuntia ad deceptionem indignorum, absque veræ fidei fundamento, singularem semper exigunt ritum et schismaticam superstitionem. De istis dictum est : *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur,* et cetera, quæ in textu Evangelii usque *sequentibus signis* continentur; de illis autem : *Videte ne seducamini*, et cetera, quæ in initio prologi prioris libri de Evangelio commemorantur. Quibus Dominus, tamquam ad membra diaboli, dicturus est : *Videbam Sathanam quasi fulgur de cælo cadentem. Discedite* [1] *a me, operarii iniquitatis, quia similitu-*

[1] *ita* 2 ; discite 1.

dinis Filii mei nullam video veritatem in vobis. Nescio vos. Hic Deus electos suos, in nubilo adhuc mortalitatis hujus et sub nubibus sanctorum desideriorum Christum dignis operibus et virtutibus constanter testificantes, æquipollentibus aut certe suprapollentibus non immerito per gratiam suam testimoniis prosequi et clarificare dignatur : et quosdam quidem [1] coram hominibus in vita sua tantum voluit signis et miraculis clarificare; quosdam autem post depositionem corporis sui; quosdam simul et in corpore et post mortem, quosdam etiam sanctorum nec in vita sua nec postea : de quibus omnibus non est nostræ intentionis nunc causas assignare. Etsi signa miraculorum semper admiranda, minime tamen propter ambiguum fidelibus sunt æmulanda, cum Dominus, dans novum mandatum discipulis, verisque testibus suis in mutua dilectione sicut et ipse nos dilexit atque humilitatis mansuetudinisque ex corde seipsum formam proponens, gaudendum et complacendum in virtutibus signorum penitus interdicat. Hôc autem singulis et omnibus indubitanter de ipsis signis certum fixumque esse debet, ut ubicumque de clarificatione Domini nostri Jesu Christi signa vel miracula claruerint, et sive ad merita [2] sanctitatis ostendenda, sive ad exempla virtutum sectanda, sive ad devotionem acuendam aut fidem roborandam, sive ad redintegrationem corporis Dominici, quod est in Ecclesia, et schismatis vel tenebrarum destructionem, digna pro eis reverentia promptaque obedientia cum abundantiori devotione peremptorie indifferenter ab omnibus exigantur [3].

56. Nos ergo miraculorum insignia quæ de certis evidentibusque armis et instrumentis legitime militiæ beatæ Elizabeth, ad commendationem meritorum et exemplum virtutum ejus tamquam lampades ignis resplendent, cum reverentia devotionis intuentes, omnem materiam in septem partitiones distinximus, sub prima sedecim illuminatis, a qua narrationem nunc incipere aggrediamur.

[I. De excæcatorum illuminationibus : XVI [4].]

[I] **57. De cæca nata et illuminata.** In diocesi [5] Wormatensi [6], parentes cujusdam puellæ cæcæ natæ, nomine Vita, feria sexta ante Ascensionem Domini votum facientes quod filiam suam cum oblationibus hostiarum ad sepulcrum beatæ Elizabeth deferrent (duodennis enim erat), in procinctu itineris, gratia Domini paulatim operante, in uno oculo illuminata est. Sed et ad sepulcrum beatæ Dei in altero oculo illuminata est, et die sequenti amborum oculorum lumen plenius corroboratum est.

[II] **58. De cæco nato et illuminato.** In diocesi Maguntensi [7] fuit quidam puerulus, nomine Theodericus, qui, cum cæcus esset natus, obductis foraminibus oculorum, pelle integra nullum penitus indicium sive [8] oculorum superciliorumve

[1] quidam 1, 2. — [2] *ita* 2; vitam 1. — [3] *ita videtur legendum ; ambo codd.* exiguntur. — [4] *partes quasdam rubricarum quæ supplendæ videbantur, uncis inclusimus ; et in margine idem præstitimus quoad numeros.* — [5] *cod.* dyochesi *et sic deinceps.* — [6] *cod.* Wormathensi. — [7] *non sibi constat cod. ; hic* Maguntliensi. — [8] (pellesive) *add. ex* 2 ; *deest in* 1.

aut palpebrarum habebat. Hic quinquennis cum oblationibus hostiarum ad sepulcrum beatæ Elizabeth apportatus in Cœna Domini, cum fieret sermo in campo, ad invocationem beatæ Elizabeth et linitionem oculorum de terra sepulcri ejus, cutis, quæ ante integerrima fuit, repente quasi cultro scissa apparebat. Apparebant et cum modico lumine oculi parvissimi, et turbulenti ac sanguinolenti, similitudinem habentes seminis ranarum quod in fossarum aquis solet inveniri. Et, ut miraculum gratius haberetur, Dominus ad fidem dictorum corroborandam paulatim processuque modici temporis in oculis omnium tam superciliorum ornatu quam oculorum claritate et aptitudine decenter gratis et gratanter parvulum disposuit.

59. De puero in uno oculo illuminato. In supradicta diocesi, puella [III] quædam infortunio cujusdam apostematis per novem annos visum unius oculi amiserat. Quam pater circa festum beati Barnabæ apostoli ad sepulcrum beatæ Elizabeth adducens, cum hostiis super sepulcrum ponebat, sic orans : *Sancta domina* [1], *oro te ut sanes pueri istius oculum, ut semper tibi possit servire.* Et puero jacente super sepulcrum, oculi obductura per medium scissa, cœpit pupilla evidenter apparere et macula magna imminui. Quæ tandem per octo dies sic penitus evanuit, ut visu recuperato jam perfecte videret.

60. De cæco illuminato. Item in eadem diocesi, cuidam Heinrico [2] jam [IV] adulto maculis oculorum invalescentibus, paulatim eum visu privaverant. Qui, facto voto, cum duobus oculis cereis locum sancti sepulcri ancillæ Christi, duce comite, devote adivit. *O,* inquit, *domina sancta Elizabeth, sana oculos meos, et, in servitio tuo* [3] *devotus permanens, ad censum duorum denariorum singulis annis quoad vixero me obligo in hospitali tuo.* Et statim ablato ei incommodo tenebrarum, ad sepulcrum ejus clare visum recepit. Qui etiam fluxum sanguinis per quatuor dies continuos tam vehementer passus, a familia sua morti appropinquare videbatur : cum ecce, ad tres sorbitiunculas luti ex aqua et terra sepulcri commixti, omnis eadem hora fluxus sanguinis usque ad hanc diem restrictus est.

61. De [4] **cæca illuminata.** In eodem episcopatu, quædam puella, [V] sextumdecimum ætatis suæ annum agens, per triennium sic visum habuit hebetatum, ut in decremento lunæ lumen diei penitus non videret ; et in cremento ipsius tenuiter satis lumen a tenebris discernere valebat. Fama autem miraculorum beatæ Elizabeth primo crebescente, puella cum matre sua cum voto tumulum ipsius visitare decrevit, dicens : *Domina sancta, si tuis meritis oculi mei lumen receperint, semper tibi obsequiosa ero, et ego me singulis annis in anniversario tuo constituo debitricem in duobus denariis hospitali tuo, ad pauperum sustentationem.* Arrepto ergo itinere, aperti sunt oculi virginis, et, rupta pellicula quæ visum obduxit, tantus effluxit humor, ut mater ejus muscas ab eis vix posset cohibere. Quæ ad propria reversa, ab omni incommodo liberata est. Sanata est hæc puella circa natale Domini, anno Nativitatis M°CC°XXXII°.

62. Item. De puero cæco et illuminato. In supradicta diocesi, qui- [VI] dam puerulus VIII annorum, nomine Heinricus, cœpit in oculis infirmari, ita ut,

[1] domina *totis litteris in cod.* — [2] Henrico *ubique in* 2 ; *in* 1 *primis vicibus* Heinrico, *dein* Henrico. — [3] *add. ex* 2 ; *om.* 1. — [4] *in* 2 Item de.

oculos clausos et inflammatos habens, per xv^{cim} dies continuos sanguis ex eis emanaret. Qui a matre ad sepulcrum beatæ Elizabeth circa Assumptionem beatæ Mariæ virginis deportatus, et voto facto cum annuali censu duorum denariorum et unius gallinæ, ipsa die quo ad tumulum pervenit sanatus [1] est.

[vii] **63. Item de cæca illuminata.** Circa festum beati Michaelis, quædam adulta, in supradicta diocesi, nomine Gertrudis, obductis oculis pellicula et carne, plus quam per annum manibus ducebatur quocumque esse deberet. Quæ bona spe sanctam invocans Elizabeth, dicebat : *Karissima domina Elizabeth, per gratiam quam tibi fecit Dominus et gloriam quam habes in cœlis, adjuva me in oculis meis.* Quod cum sæpius iterasset, cœpit paulatim visum recuperare. Quæ, sicut paupercula erat, offerens ova, thus et ceram, integraliter sanata est.

[viii] **64. De cæca, muta et clauda curata** [2]. In diocesi Treverensi, puella nomine Mechtildis [3], circa quinquennium visu et auditu, loquendi quoque et ambulandi usu privata extitit. Patre ergo et [4] matre pro filia sua votum voventibus et suffragia beatæ Elizabeth implorantibus, statim puella cœpit emendari, et circa festum sancti Bartholomæi de dictis incommodis suis perfecte sanata est.

[ix] **65. De cæca illuminata.** In diocesi Maguntensi, quædam puella, Berta nomine, cum esset decennis infortunium cæcitatis incurrens, ad manum de loco ad locum ducebatur. Obducti autem erant oculi ejus rubea carne per totum, et multis minutis quasi venis implexi. Votum vovit mater pro ea, et, ad annualem censum xii denariorum vel unius libræ ceræ quamdiu viveret obligatam, ad basilicam beatæ Elizabeth cum oblationibus hostiarum eam ducere disponebat. Quæ infra octo dies post votum emissum videre cœpit, cum per duos annos non vidisset ; et paulatim ad plenum in visu emendata est.

[x] **66. De [5] cæca [6] illuminata** [7]. In diocesi Treverensi, Heilwigis [8] quædam nomine, uno anno integro cæca, in hunc modum [9] votum [10] vovit, dicens : *Sancta domina Elizabeth, ego me tuæ gratiæ recommendo. Singulis annis tuum tumulum visitabo, et duas cereas oculorum similitudines pro devotione meæ paupertatis tibi offeram.* Neminem ergo habens qui eam duceret, casu tres invenit mulieres, per quas ad commemoratum sepulcrum deducta est. Quæ recepto illic unius oculi visu, læta ad propria remeavit. Tandem cum in alio oculo graviter affligeretur, præ angustia clamavit, dicens : *Sancta domina, cur me sic a te abire permisisti ?* Nocte sequenti apparuit ei sancta, dicens : *Accedens ad altare, fac de corporali oculos tuos ventilari, et sic sanitatem recipies.* Mulier quod jussa est adimplevit, et statim sanitati restituta est.

[xi] **67. De [11] cæca illuminata.** Mechtildis [12] quædam nomine, in diocesi Maguntinensi [13], quinquaginta habens annos et per tres annos in sinistro oculo cæca, audiens miraculum Domini ad merita beatæ Elizabeth, ad sepulcrum ejus cum duobus minutis, quod est quadrans, accessit ; et, invocato nomine Domini, ob

[1] sanata *ambo codd.* — [2] *add. ex* 2 ; *om.* 1. — [3] Methildis 2. — [4] et *suppletum ; deest in codd.* — [5] *in* 2 Item de. — [6] *codd.* cæco. — [7] *codd.* illuminato. — [8] Helwigis 2. — [9] (in h. m.) *add. ex* 2 ; *deest in* 1. — [10] votu vi 2. — [11] *in* 2 Item de. — [12] Methidis 2. — [13] *ita perspicue hic in utroque cod.*

merita sanctæ ancillæ suæ illuminata est statim in oculo sinistro, sed in dextro obtenebrata. Quo miraculo non modicum visum fecit hominibus. Unde dicta paupercula in lacrimas prorumpens cum infortunium suum defleret, circa octavam Epiphaniæ perfecte curata est.

68. **De cæca uno oculo illuminata** [1]. In eadem diocesi, quædam, [XII] Machtildis [2] nomine, circiter novennis existens et unius oculi cæcitatem per septem annos habens, circa festum beati Martini ad invocationem et hostiarum [3] oblationem beatæ Elizabeth perfectam curationem recepit.

69. **De puella illuminata** [4]. Puella quædam, Adeleidis nomine, v annos [XIII] ætatis habens, in supradicta diocesi, a die nativitatis suæ ita visu caligaverat ut vix lumen discernere valeret. Tandem uno anno et dimidio penitus excæcata, circa dominicam in Palmis avia pueri cum quadam alia voverunt puerum cum hostiis ad sepulcrum beatæ Elizabeth se ducturas. Verum antequam votum persolutum fuisset, gratia Dei præveniens puerum clare illuminavit.

70. **De** [5] **cæca illuminata**. In diocesi Coloniensi, Christina, filia Maburgis, [XIV] sedecim circiter annorum, sex annis in dextro oculo penitus cæca fuit, et sinistro vix lumen discernere potuit. Quæ tandem omni oculorum visu privata, ut [6] celebrem famam miraculorum beatæ Elizabeth audivit, una cum matre sua votum vovit, quod sepulcrum sanctæ spe recuperandæ curationis visitaret. Quibus ad dimidium milliare appropinquantibus : *Mater,* inquit filia, *quia homines liberæ sumus conditionis, si placet tibi, ponam caput meum supra sepulcrum et offeram me ei perpetuo servituram.* Et hoc dicto, statim, cum in crastino esset Conversionis beati Pauli, ipsa desideratum recepit.

71. **De cæca uno oculo et illuminata**. Bessela de Andegavo [7], Leoi- [XV] diensis [8] diocesis, post partum pueri tertia nocte jacente prope ignem, apparuit ei quoddam phantasma in formula pueri, juxta locum suum assidens igni. Quod dum post parvam horam dispareret, ipsa territa statim visum oculi sinistri amisit; et ipsa sic cæca septem annis permansit. Quæ, audita fama miraculorum ancillæ Christi, licet novem dietis a loco sepulcri ejus distaret, viam tamen sanctæ illuc peregrinationis una cum viro suo tempore opportuno arripuit. Quarto vero die postquam egressi sunt a domo sua, dum mane viam aggrederentur, pellicula de oculo ejus excidente, illuminata est. Et sic visu in oculo plene restituto, cum oblationibus hostiarum et gratiarum actione reliquum iter peregrinationis inchoatæ peregerunt.

72. **Item de cæca illuminata**. Conegundis, filia Gheylæ [9], Coloniensis [XVI] diocesis, tribus annis et dimidio immoderato dolore oculorum circa vicesimum ætatis suæ annum vexata, tandem, oculis clausis et palpebris concretis, quatuor annis et dimidio tota facta est cæca. Pergente autem ea cum hostiis et voto ad sepulcrum ancillæ Dei, per tres dies ibidem sperata gratia frustrata, ad propria cum

[1] *in* 2 *rubrica:* De puella illuminata. — [2] Mathildis 2. — [3] *ita* 2; hostie 1, *et ante corr.* hostiam. — [4] *in* 2 *rubrica:* Item de cæca illuminata. — [5] *in* 2 Item de. — [6] *ita* 2; et 1. — [7] *an natu* Andegavensis? *an ex* Andaino (*S*t*-Hubert*)? — [8] Leodiensis 2. — [9] Geilæ 2.

desperatione redire paravit. Et dum duas dietas a loco sepulcri in regrediendo [1] complesset, apparuit ei in somnis quædam speciosissima domina, et obtulit ei poma, dicens : *Surge, comede.* Qua respondente : *Non comedam ; quia in pane et aqua ad honorem sanctæ Elizabeth hodie jejunabo,* confestim cum evigilasset, apertis oculis, circa festum beati Martini, visum integraliter recepit.

Et hic prima distinctio miraculorum præsentium finem recipiant.

[II.] De mancorum erectionibus [2] : [XVI *].

73. Finita nunc sub brevitate secundi libri prima distinctione, in XVI [3] excæcatorum illuminatione, secundam de octodecim [4] mancorum claudorumque curationibus subjungemus. Qui tamen diligentius intendere volet, poterit has duas distinctiunculas duobus primis capitulis prioris libelluli, ubi tangitur de prima vocatione hujus famulæ Dei, quam præ manibus habemus, et de legitimo jugo desponsationis, multis modis consona sibi ordinatione correspondentes invenire. Nos vero, studiosis earum conferentias relinquentes, et data sapientibus occasione narrationis, seriem cœpto itinere prosequamur.

[I] **74.** In Maguntensi diocesi, quidam Heinricus, Walteri filius duodennis, cœpit ægrotare. In dextero latere caro ei magna velut gibbus excrevit, et corpori supereminens deformitatem faciebat; et femur ejusdem lateris emarcuit et extenuari cœpit. Coxa cruris et genu graviter intumuerat, venis et nervis contractis, adeo ut, baculo innixus, cum incederet, articulis pedis illius vix terram tangere posset. Cujus etiam manus læva post duos annos arida facta est. In quadragesima igitur mater pueri pro puero votum faciens, ad sepulcrum beatæ Elizabeth, puero domi relicto, cum hostiis perrexit. Quæ inde domum rediens, puerum melius habentem et extenso crure gradientem invenit. Unde et puer, fide accensus, contrasistentibus amicis propter molestiam ejus, quiescere noluit, donec pedes ambulando Martburh [5] ad sepulcrum beatæ Elizabeth perveniret. Qui hortatu matris manum in fovea quadam unde gentes terram extraxerant [6], subtus lapidem sepulcri mittens, post paululum manus illa tremere cœpit. Et extendens manum, dixit : *Vide, mater, quod sanata manus mea est.* Unde gratias agentes, redierunt ad propria. Et in via cœpit puer crus magis ac magis extendere, et caro lateris superflua paulatim deficere, donec puer omnino sanatus pristinæ rectitudinis gressum reciperet.

[II] **75.** In eadem diocesi, quædam Gertrudis, cum septem esset annorum, ægritudine valida cœpit laborare. Quæ lecto decumbens, uni tantum lateri incumbere potuit, redactis cruribus ad nates et contractis. Illo etiam morbo qui bubo dicitur, sub acellis [7] arrepta est : in quibus incommodis quatuor annis laboravit. Et ut ad beatum Nicholaum in quadam sibi vicina villa pergeret in somnis admonita, illic

[1] (in regred.) *ita* 2 ; ingrediendo 1. — [2] *in hoc capite jam deficiunt rubricæ pro singulis miraculis.* — [3] *ita* 2 ; duodecim 1. — [4] *sic ambo codd.* — [5] Marburh 2. — [6] *ita* 2 ; contraxerant 1. — [7] assellis 2.

* *in utroque cod. numeri marginales incipiunt paulo inferius a num.* IIII *(perperam inscripto in marg. utriusque codicis pro* III*) ubi posuimus asteriscum.*

unius cruris recepit sanitatem, altero permanente ut prius. In quo statu cum sex annos complevisset et spatmo [1] infecto incurvata permaneret, ad sepulcrum beatæ Elizabeth cum multo labore pervenit. Ubi per octo dies omni devotione commorata, nullum remedium invenit, quamquam interim alios ibidem a suis languoribus curatos audisset. Tandem circa festum sancti Michaelis super tumulum posita et sanctæ auxilium postulata [2], mirabiles in crure languido cœpit sentire dolores. Quod statim extendens, curatum est. Et ipsa præ angustia velut amens effecta est. Mane sequenti iterum ad tumulum deportata, gravissimo in dorso stimulata est dolore. Et facta iterum velut amens, erecta est, et rectum gressum recepit. Crus etiam et pes attenuati ad debitum statum restituti sunt.

76. Cujusdam Sophiæ filio, nomine Conradus, in [3] diocesi Treverensi, duode- III *
cim annorum ætatis [4] habenti, tibiæ sic extenuatæ erant, suræque tibiarum adeo evanuerant cum natibus [5], quod nullatenus sine appodiamentis nec sedere valebat. Manus et brachia sic habuit tremula, quod seipsum cibare aut potare nequibat. Oculos etiam tremulos habebat. Et his omnibus incommodis ex utero matris suæ premebatur. Crescente fama de gloria beatæ Elizabeth, mater pueri cum multo comitatu virorum ac mulierum ad tumulum sanctæ Dei pervenit, puerum in equo et sella ligatum secum adducens. Nudipes ergo in laneis accedens, et puerum super tumulum cum magna devotione et supplicum prece ponens, puer ibidem ambulare cœpit, baculis tamen innitens, aliisque rebus se appodians. Demum restitutis ibi suris, tibiæ redierunt; et aliis incommodis omnibus cessantibus, puer sanatus libere ambulavit [6]. Quod miraculum in die beatorum Johannis et Pauli ostensum est.

77. In supradicta diocesi, puellula quædam, nomine Adeleidis [7], per quinquen- IV
nium penitus ambulare non potuit. Cujus mater de consilio sacerdotis votum vovit, sic dicens : *Sancta domina Elizabeth, meam filiam tuæ gratiæ commendo. Tibi perpetuo servituram offero ; et ad tumulum tuum deferam, ut tuis precibus adminiculantibus ambulandi suscipiat facultatem et loquendi.* Puella delata ad sepulcrum, orationibus oblationibusque completis, infra tres hebdomadas loquendi et ambulandi plenam percepit potestatem.

78. Heinricus de Seche, supradictæ diocesis, in festo sancti Michaelis, in uno V
crure, in quo enormem habuit inflaturam, infirmari cœpit. Quod usque Penthecosten sic incurvatum est, ut terram tangere non posset. Insuper sic fuit insensibile, ac si penitus mortuum esset. Devote [8] ergo sepulcrum beatæ Elizabeth ipso visitante, paulatim cœpit dolor mitigari. Qui tertio veniens, plene curatus est. Et relictis illic sustentaculis, super pedes sanus rediit ad propria.

79. Godefridus miles de Audendorum, Maguntinæ [9] diocesis, circa Natale VI
beati Johannis Baptistæ pro filio suo per septem annos potentiam [10] gradiendi carente, ceream hominis imaginem cum hostiis ad tumulum beatæ Elizabeth transmisit. Quibus oblatis [11], puer gratiam gradiendi adeptus est.

[1] *ita ambo codd., pro* spasmo ? — [2] *sic ambo.* — [3] *add. ex* 2 ; *om.* 1. — [4] *sic ambo.* — [5] *ambo codd.* natis. — [6] *prius in* 1 deambulabit *ut in altero cod. ; corr.* deambulabat. — [7] (n. A.) A. n. — [8] *ambo codd.* devoto. — [9] Magunto 1, 2. — [10] *sic* 1, *et in marg.* 2. — [11] *sic* 2 ; oblatus 1.

VII **80**. In dicta diocesi, cujusdam Conradi filius, in uno crure per biennium debilitatus, ipsum propter morbum extendere non potuit. Denique ipsum crus minus alio sub genu et ad palmum brevius factum est. Invocato auxilio et gratia beatæ Elizabeth, votoque facto quod puerum ad ejus tumulum exhiberet, puer cœpit recipere sanitatem, et infra tres hebdomadas plene restitutus est sanitati.

VIII **81**. Item. In Treverensi diocesi, quidam Arnoldus, in uno crure claudus, baculis ad gradiendum utebatur. Quibus carens minime de loco moveri potuit, nisi rependo manibus. Post annum ergo talis incommodi, in festo S. Michaelis ad sepulcrum sanctæ Elizabeth accessit, et invocata gratia Dei et subsidio sanctæ Elizabeth restitutus est sanitati, et sine baculo reversus est.

[IX] **82**. In diocesi Maguntensi, quædam Adeleidis, Heinrici filia, trium annorum et sex mensium, ambulandi simul et loquendi nullam unquam facilitatem habuerat. Super qua pater compatiens, circa festum beati Martini sic oravit, dicens : *Sancta et misericors domina Elizabeth, fac ut filia mea ambulandi et loquendi gratiam accipiat, et ego eam cum oblationibus gratiarum ad tumulum tuum deferam.* At illa jam in præparatione viæ assumpto baculo protinus cœpit ire, quæ nunquam ambulaverat, et loqui, quæ nunquam locuta fuerat.

X **83**. In Treverensi etiam diocesi, missa candela ad longitudinem unius [1] pueri qui nunquam ierat (habebat enim crura nimis minuta) cum hostiis ad sepulcrum beatæ Elizabeth, ante nuntii reditum puer expedite cœpit ire.

XI **84**. In Maguntensi diocesi, Juta quædam, Diderici filia, quatuor annorum, ab infantia clauda et nullum cibum alium nisi terram et carbones recipiens, facto voto a patre et matre, antequam pervenissent ad sepulcrum beatæ Elizabeth, de prædictis infirmitatibus suis plenam recepit sospitatem.

XII **85**. In eadem diocesi, quidam Johannes, novem annorum existens, in utroque pede infistulatus et cruribus marcescentibus, claudicabat, nec sine baculo incedere potuit. Pro quo mater cum tribus viduis vovit quod singulis annis ad basilicam beatæ [2] Elizabeth cum donariis hostiarum veniret puerumque ibi adduceret [3]. Quod cum fieri inciperet, puer ab infirmitatibus suis convaluit.

XIII **86**. Conradus, Conradi filius, Maguntensis diocesis, quinquennis, uno anno bene sanus aliis quatuor ita infirmus tenebatur, quod a renibus deorsum in omnibus membris suis emarcuit. Ubicumque ponebatur, ibi manebat, nisi quantum manibus repere valebat. Toto illo tempore etiam nihil loquebatur. Promittens ergo mater pueri duos denarios singulis annis ad sepulcrum beatæ Elizabeth transmittere et devote auxilium ejus implorante, statim puer cœpit erigi et sedibus se appodiando ire. Sic quoque paulatim proficiendo sanatus est a duobus dictis infortuniis.

XIIII **87**. Item in diocesi Maguntensi, filia quinquennis cujusdam Dankardi crura [4] pedesque per annum et dimidium velut mortuos habens, ubicumque ponebatur inde nec rependo nec incedendo moveri potuit. Post messem autem hordeariam parentes ejus, ipsam secum deferentes, cum votis et hostiis ad sepulcrum beatæ

[1] cujusdam 2. — [2] *add. ex* 2. — [3] *ita* 2; adducerent 1. — [4] crura *add. ex* 2; *om.* 1.

Elizabeth accesserunt, et filiam suam sanam cum gaudio ad domum propriam [1] reduxerunt.

88. Item in Treverensi diocesi, quidam Heinricus circiter duodecim [2] annis XV
potentiam gradiendi amiserat. Qui voto facto quod beatæ famulæ Dei tumulum visitaret, a vinculis infirmitatis suæ solutus, postmodum liberatus est.

89. Item in diocesi Halberstadensi, quidam Didericus, Frederici militis filius, XVI
in quadam infirmitate decidens, crura et coxas emortuas habebat. Carnes omnino emarcuerant : sed solummodo a natibus deorsum cutis ossibus superducta videbatur. Sic quoque uno anno et quinque mensibus, impotens ad gradiendum, illic immobilis ubi ponebatur jacebat. Sabbato autem ante dominicam " Circumdederunt „ pater sedens ad mensam, redargutus ab amicis est super negligentia sua. Qui statim surgens a mensa, una cum uxore sua ecclesiam intravit, votum faciens quod puerum cum imagine cerea et hostiis ad sepulcrum beatæ Elizabeth esset deportaturus. Sequenti die puer in somnis visitationem sanctæ Dei habens, sursum se erexit, et paulatim ab omni infirmitate sua, cum esset duodennis, convaluit.

[III. De diversorum contractorum curationibus : XIX [3].]

90. Nunc secundæ distinctioni tertiam de diversorum contractorum curationibus subjungentes, a tertio capitulo libri primi, ubi electa Dei in copula conjugii diversis operibus bonis et caritativis seipsam vigilanter exercuit, asperamque regni cœlestis viam impigre complanavit, nec multum discordes inveniri metuimus.

91. De contracta curata. In diocesi Herbipolensi, puella duodecim [4] I
annorum, Bertradis nomine [5], in cruribus et femoribus et dorso et uno brachio infirmata, contracta est. Nec ipsorum membrorum aliquam habuit potestatem [6], sed oportebat eam deferri prout [7] necessitas ejus exigebat. Veniens ergo mater ad prædicationem magistri Conradi, quarta feria ante Cœnam Domini apud Martpurh, vidit illic ad sepulcrum beatæ Elizabeth miraculum fieri. Unde memor filiæ suæ contractæ, quam domi reliquerat, cum lacrimis et magna compunctione una cum quadam vicina sua pro filia votum vovebat. Et statim ipsa hora diei, facto voto, hostias obtulerunt, nummum scilicet et imaginem ceream. Nec mora, contracta statim sanitatis effectum consecuta est.

92. In diocesi Maguntensi, quædam, nomine Beatrix, in omnibus membris II
corporis sui quodam tempore morbo erentico valde vexabatur. Tandem gibbus in dorso strumaque in pectore cum magna eam deformitate sic contraxerant, ut duobus annis et dimidio incurvata dorsum [8] erigere non posset; sed manibus super genua positis ad sustentandum corpus suum et dorsum, sic lente incedendo ostiatim mendicabat. Tandem quinque annis in infirmitate consummatis, mater, cum ad sepulcrum beatæ Elizabeth pro filia per aliquot [9] dies jacens nullum orationis

[1] suam 2. — [2] xvi^cim 2. — [3] *narrantur re vera hic hujus generis miracula saltem viginti.* — [4] xvi^cim 2. — [5] nomine *add. ex* 2. — [6] *ita* 2; prætatem 1. — [7] prout *add. ex* 2. — [8] *ita* 2; deorsum 1, *et mox iterum.* — [9] *ambo codd.* aliquod.

suæ effectum pro voto susceperit [1], irata, tamquam ad sanctam Dei criminando loquebatur, dicens: *Omnes homines avertam a visitatione sepulcri tui, quia non exaudisti me.* In recessu autem suo cum filia, ad [2] milliare et dimidium filia præ nimio dolore cœpit sudare. Cui dormienti apparuit in somnis mulier quædam splendida facie, candidisque manibus et gracilibus liniens corpus a tergo et a pectore, et dicens : *Surge et ambula.* Quæ [3] somno expergefacta et nimio sudore perfusa, cum paulatim pectus fricuisset, resoluta est et ab omnibus incommodis suis liberata.

III **93.** Item Machtildis [4] de Wetual, quartum annum ætatis agens, sic infortunio fuit involuta, ut membra ejus cum tangerentur sonum quasi ligna arida reddiderunt. Gibbus in dorso, in pectore struma eam nimis deformem et contractam fecerunt. Missis tandem hostiis a matre contractæ ad tumulum beatæ Elizabeth, in signum fidei suæ et debitæ venerationis, puella cœpit meliorari. Unde eadem [5] post festum beati Michaelis personaliter peregrinationem dicti sepulcri arripiens, ibidem plene sanata est.

IIII **94.** Apud Frankenvoert [6] in diocesi Maguntensi, quidam Conradus, viginti annorum existens, a cingulo deorsum corpus cum viribus perdiderat; nec se movere [7] poterat nisi manu priorem partem sui traheret, et postea sequentem. Insuper gibbum magnum in dorso habebat. Deductus autem ex voto ad sepulcrum beatæ Elizabeth in curru, et tribus ibi hebdomadibus perseverans, tantum a gibbo sanatus est. Qui reductus in biga unde venerat, pollicitus est quod, data facultate gradiendi, quia contractus erat, pedes [8] sepulcrum sanctæ visitaret. Cui in somnis dicto quod restituendus esset sanitati, cœpit se erigere, et tandem perfecta sanitate gavisus est.

V **95.** Item quidam puer sex annorum, Heinrici filius, in diocesi Maguntensi, post duos annos a nativitate infirmatus contrahi cœpit, ut incedere non posset nisi manibus super genua positis, capiteque inclinato usque ad genua. Gibbum etiam magnum ad quantitatem capitis pueri noviter nati in dorso habebat. Tres ergo viduæ ad petitionem patris tale pro puero votum faciebant, quod ipsum puerum ad tumulum beatæ Elizabeth deferrent, cum hostiis, secundum facultatem suam singulis annis offerendis. Statim puer incepit erigi, et paulatim gibbo evanescente sanatus ambulavit.

VI **96.** Conradus de Frankenvort anno integro et eo amplius movere [9] non potuit, quia valde contractus erat. Facto voto eundi ad tumulum beatæ Elizabeth, cum esset mendicus, nihil habens, in ecclesia publice mendicabat. Ubi a fidelibus necessariis sibi acquisitis, deductus est ad tumulum desideratum : et primo [10] illic gibbum reliquit; verum secundo [11] erectus totus et sanatus est.

VII **97.** Quidam gibbosus [12], qui etiam ab una scapula caput levare non potuit, ex episcopatu Treveris ad tumulum beatæ mulieris deportatus, illic plene sanatus est.

[1] non susceperit *ambo codd.* — [2] *ambo codd.* a. — [3] Quo 2. — [4] Mathildis 2. — [5] *ambo codd.* idem. — [6] Frankenvort 2. — [7] moveri 1, 2. — [8] *add.* ejus *in* 1, *sed in* 2 *hæc vox linea deleta est.* — [9] moveri 2. — [10] prima peregrinatione 2. — [11] secunda 2. — [12] gebbosus 2.

98. Machtildis [1] filius, Maguntinæ diocesis, nomine Heinricus, biennis, strumo- VIII
sus et contractus, invocato suffragio beatæ [2] Elizabeth cum oblatione et cerea imagine, in itinere redeundi plene sanatus est.

99. In diocesi Treverensi, quædam femina quatuordecim annorum ægrotata IX
capitis sui impos est facta. Cui etiam tres gibbi in femoribus et unus in humeris successerunt; venæ in cruribus et uno brachio rigescere cœperunt [3], ut nec stare nec [4] sedere seu ambulare valeret. Quæ delata ad [5] tumulum beatæ Elizabeth, capitis sanitatem recepit. Sed vice quarta adducta, totius corporis meruit sospitate gaudere, et gradiendi ei facultas restituta est.

100. Albertus de Lemborch, Treverensis diocesis, filium habuit gibbosum, X *
strumosum et contractum, ita ut natibus crura adhæserint. Qui, voto a parentibus facto et ad censum duorum denariorum ab eis hospitali sanctæ Elizabeth annuatim obligato, ad tumulum ejus a dictis incommodis liberatus est.

101. Christina, Hermanni filia, Coloniensis diocesis, septennis, gibbosa fuit et XI
strumosa. Cujus superius labium deformiter nimis super os excreverat. Præterea oculi ejus præ nimia inflatura videri non poterant; nec, crurum pedumque infirmitate detenta, per duos annos ambulare valebat. Quæ ad invocationem beatæ Elizabeth supra sepulcrum ejus in die Cœnæ curata est.

102. Heinricus quidam de Martpurh, quinque annis incurvatus gibbumque in XII
dorso ad magnitudinem magnæ ollæ habens, manibus tantum et genibus se ferebat. Qui ad tumulum beatæ Elizabeth est delatus cum hostiis. Infra breve tempus plenarie est restitutus sanitati.

103. Adeleidis, Maguntensis diocesis, filium tredecim annorum contractum et XIII
cum difficultate ad sepulcrum beatæ Elizabeth paulatim sanatum habebat. Huic partes colli ita fuerunt distortæ, ut superior versus pectus, inferior versus dorsum enormiter prominerent. Crura etiam extenuata sicut partes funis ita in invicem complexa contorquebantur. Gibbum in dorso habuit, et in femore ipsius duo ossa prominere cœperunt. Ab his autem et aliis multis miseriis, quibus contractus tenebatur, meritis beatæ Elizabeth propitiantis [6] salvatus est.

104. Cujusdam Ysaac filius, Maguntensis diocesis, cruribus et manibus ex XIIII
ægritudine contractus est, gibbum in dorso et pelliculam visum [7] oculorum obducentem [8] habens. Qui tandem a patre ad sepulcrum beatæ Elizabeth depositus, post modicum temporis perfecte liberatus est.

105. Vito quidam, puer duodennis, diocesis Maguntem, dorso quasi fracto XV
gibbosus erat; et collo pedibusque retortis ac manibus contractis, etiam patri suo velut monstrum horribile apparuit. Omnia sibi data ore gestabat, repens manibus. Crura etiam contracta et quasi natibus concreta, genua sibi adhærentia, oculosque retortos et oris partem distortam habebat. In femore et in cruribus infistulatus, ita ut XXXIIII locis morbus ille appareret. Qui diversis vicibus ad sepulcrum beatæ

[1] Mathildis 2. — [2] *add. ex* 2. — [3] cœpit 2; *etiam* 1 *ante corr.* — [4] aut 2. — [5] a *in* 2. — [6] propitiante 2. — [7] *ita* 2; *in* 1 *male corr.* in suorum. — [8] obductionem 1, 2.

* *Hic in marg. cod.* 2 *numerus* IIII *et sic deinceps usque ad* IX.

Elizabeth a matre portatus, et cum attentissima matris devotione et prece memoratæ sanctæ oblatus, tandem totus sanatus est: permanentibus tamen quibusdam infirmitatum [1] suarum indiciis ad certum rei veritatis argumentum.

xvi **106**. Machtildis de Lafa, Hergardis de Martpurh [2] et Adeleidis de Olbach [3], Maguntinæ diocesis, diversis infirmitatibus contractæ et deformatæ, diversis et temporibus ad sepulcrum beatæ Elizabeth receperunt sanitatem.

xvii * **107**. Alter similiter, Herbordus [4] nomine, Herbipolensis diocesis, nimia deformitate contractioneque vexatus, ad sepulcrum sæpe dictum, nervis uti visum est ei crepitantibus cœpit erigi, donec paulatim perfecte sanaretur.

108. Item in diocesi Quaderbonensi, Gherlacus [5], Godefridi filius, trium annorum et dimidii, claudus jacebat, nec ambulare valebat. Ad sepulcrum beatæ Elizabeth suscepit sanitatem et ambulandi facultatem.

109. In diocesi Maguntina, quædam filia Heinrici, Lutgardis nomine, quatuor annorum existens, a die nativitatis suæ ire non potuit. In Passione autem apostolorum Petri et Pauli parentes eam ad tumulum beatæ Elizabeth cum oblationibus hostiarum deferentes, ipsamque ad censum duorum denariorum singulis illic annis obligantes, parvo interjactu temporis sanata est, et gressum recuperavit.

110. Quidam Theodericus, Maguntinæ diocesis, xvi annorum existens, adeo infirmatus est in femoribus et tibiis, ut lecto decumbens ire non posset. Ad sepulcrum beatæ Elizabeth veniens, cum [6] quatuor septimanis illic in spe recuperandæ sanitatis fecisset [7], absque consecutione ejus reverti debuit ad propria. Qui aliquantum a loco elongatus, ex defectu lassitudinis quiescens in terra obdormivit. Et videns in somnis quemdam ad se properantem qui eum aqua perfudit, expergefactus sensit se melius habere. Qui parvo intervallo temporis transeunte totus sanatus est et expedite ambulavit.

[IV. De epilenticorum et furiosorum sanationibus : XV [8]]

111. Post hæc distinctione quarta ad quartum librum capituli superioris, ubi per virtutem singularis obedientiæ duobus sacramentis, pœnitentiæ scilicet et ordini, electa Dei satisfaciebat, respicientes, miraculorum gratiam in curationibus epilenticorum et furiosorum factam commemorabimus.

112. In Maguntina diocesi, quædam, Adeleidis nomine, in rabiem versa, plus quam duobus annis insomnis et furiosa permansit. Per villas et campos et [9] nemora dilaceratis vestibus discurrebat, nec nuditatem suam coram hominibus erubescebat. Mater autem cum aliis notis et amicis eam ad tumulum beatæ Elizabeth pertrahentes, in invocatione divini auxilii, nihil tunc profecerunt, illa rabida permanente plus quam prius. Post Nativitatem beatæ Mariæ eam secundo ad sepulcrum

[1] *ambo codd.* infirmitatibus. — [2] Marpurh 2. — [3] olbah 2. — [4] Herbodus 2. — [5] Gerlacus 2. — [6] *ita* 2; iu (*sic*) *in* 1. — [7] *ita codd.; forsan pro* fuisset. — [8] *narrantur omnino hic hujus generis sanationes* xii, *at nomine designantur sanati* xvii. — [9] et *add. ex* 2; *deest in* 1.

* *Abhinc jam nulli numeri marginales, neque in* 1 *neque in* 2.

ejus adducentes, illa, oblationibus peractis, per depressionem levis soporis ibidem perfectam recepit sospitatem.

113. Item. In eadem diocesi quædam, Mathildis nomine, in rabiem versa, vestibus propriis se [1] denudatis, nocte cum canibus civitatem percurrendo, vix aliquibus vinculis potuit detineri. Et duabus vicibus ad sepulcrum beatæ Elizabeth adducta, nullum remedium illic invenit : infra octo dies consecuta [2] est sanitatem.

114. In episcopatu Coloniensi, Conradus nomine tam assiduas quam graves epilentiæ accessiones patiebatur. Unde viribus corporis destitutus, et res suas omnino contempsit et corpus. Qui tandem ad instantiam amicorum, tribus viduis triduanum pro voto suo injunxit jejunium, promittens se vita comite singulis annis cum hostiis ad sepulcrum beatæ Elizabeth quoad viveret accessurum. Unde statim remedium sentiens, ad sepulcrum ejus plene de omnibus incommodis liberatus est.

115. Item. In diocesi etiam Treverensi, cujusdam Heldegundis filius, arrepto epilentico morbo, loquendi amisit facultatem. Mater autem pro eo votum faciente et ad duos denarios census hospitali beatæ Elizabeth singulis annis filium obligante [3], puer continuo liberatus est.

116. Item Conegundis [4], Maguntinæ diocesis, viribus corporis destituta adeo fuit, quod nec brachiorum aut crurium aut capitis potestatem habebat. Quin etiam in furiam versa, tam se quam alios non minus quam panem morsibus dirumpere volebat. Voto autem a parentibus facto quod ad sepulcrum beatæ Elizabeth et [5] singulis annis iret in posterum et hostiam oblatura, statim cordis et corporis recepit sanitatem.

117. In supradicta diocesi, Ysentrudis nomine epilentica [6] fuit, corruens in terram, velut moritura [7] jacens, stridens dentibus et spumans. Septem tales collisiones aliquando intra diem et noctem patiebatur. Mater vero ejus vovens se nudis pedibus et in laneis cum oblationibus ad sepulcrum beatæ Elizabeth pro filia profecturam et ad censum unius denarii singulis annis eam obligans, statim sanata est.

118. In eadem diocesi, Heldegundis filia quatuor annis morbo epilentiæ laboraverat. Quo eam invadente [8], corruit in terram, non spumans, sed, apertis oculis manentibus, pedibus terram pulsabat. Mater voce magna clamabat : *Sancta Elizabeth, adjuva me in filia mea, ut liberetur ab hac ægritudine sua.* Et statim veniens ad sepulcrum ejus, obtulit ibi denarium et ceream imaginem, atque [9] curata est.

119. Gheerlacus [10] etiam, filius Echardi [11], eodem morbo nimis vexabatur. Pro quo mater auxilium beatæ Elizabeth implorans, ad duorum denariorum censum annuatim hospitali ejus [12] offerendum [13] obligans, puer a dicto morbo perfecte sanatus est.

[1] se *add. supra lin. in* 2. — [2] *ita* 2; conservata 1. — [3] obligavit *ambo codd.* — [4] Konegundis 2. — [5] *ita* 2; in 1. — [6] *ita* 2; epilentia 1. — [7] mortua 2. — [8] (eam inv.) *in marg.* 2. — [9] sicque 2. — [10] Gerlacus 2. — [11] Ekardi 2. — [12] hospitali ejus *add. ex* 2. — [13] *ita* 1 *post corr.; prius sicut* 2 offerendas.

120. In diocesi Maguntina, quatuor pueri: Hermannus Sifridi filius, Heldegundis et Juta, Henricus quoque, vitio epilentico graviter laborantes affligebantur, alii plus, alii minus. Qui omnes votis suorum pro ipsis ad sepulcrum beatæ Elyzabeth facientibus [1] plenam de incommodo suo consecuti sunt sanitatem.

121. Similiter in diocesi Treverensi, Elizabeth nomine, et Agnes soror ejus, terram sepulcri ejus temperatam aqua ambæ gustaverunt, et eadem hora simul infirmitatum suarum remedium perceperunt.

122. Item. In eadem diocesi, Bagandus [2] de Hostat, Gertrudis de Selbac, Tornense diocesi, ad sepulcrum beatæ Elizabeth liberati sunt.

123. Birmarus [3], diocesi Treverensi, carpentarius, factus est furiosus, ita quod dentibus frendens seipsum mordere et laniare filiosque suos interficere attentavit, quousque in alveum strictissime funibus ligaretur. Pro quo quidam sepulcrum beatæ Elizabeth adiens et ejus suffragia cum oblationibus hostiarum ibidem implorans, furiosus eadem hora liberatus est.

[V. De diversorum fluxuum restrictionibus : XVII [4].]

124. Quinta distinctio nunc quinto capitulo libri prioris respondet, in qua virtutes miraculorum diversa sanie et sanguine seu infirmitate fluentibus exhibitæ recensentur.

125. In Maguntinensi diocesi, circa festum beati Jacobi quædam, Heilwigis [5] nomine, novem habens annos, quatuor ex illis sic infistulata est in collo et dorso et latere et in loco femorum, ut ei continue multa sanies ex iisdem [6] partibus corporis fluere non cessaret. Sed et canes, vestes ejus distrahentes, saniem lambebant. Tandem ad [7] sepulcrum beatæ Elizabeth cum oblationibus et invocatione [8] misericordiæ Dei per illam ad annualem censum hospitali ejus seipsam obligavit. Et statim, ipsa remeante ad propria, in ipso itinere sanies cœpit minui et siccari, et in brevi perfecte sanata est.

126. Item. In eadem diocesi, filia cujusdam Hermanni, quinquennis, anno integro fluxum sanguinis passa est, unde nullo potuit remedio liberari. Pro qua mater cum [9] voto et prece supplici peregrinationem sepulcri sanctæ Dei arripuit, et in reditu suo filiam liberatam et sanam invenit.

127. Fuit in diocesi Treverensi femina, Guda nomine, quæ de quorumdam secta involuta per XII annos, morbo polypi infecta, nullum potuit remedium invenire. Tandem ad cor rediens, et sectæ infidelitatis coram presbyteris et confessore abrenuntians, per congruam pœnitentiam et satisfactionem reconciliata [10] est orthodoxæ fidei. Implorante ergo ea auxilium beatæ Elizabeth et ad tumulum ejus properante atque singulare servitium ei annuatim promittente, statim cum omni incommodo evanuit [11], ut deinceps nusquam compareret.

[1] *sic ambo codd.* — [2] Rigaudus 2. — [3] Dirmarus 2. — [4] *ita, si numeres quatuor sanatos in num. 129.* — [5] Helewigis 2. — [6] *codd.* isdem. — [7] ad *suppletum ex conj.; deest in codd.* — [8] *ita* 2; devotione 1. — [9] cum *add. ex* 2. — [10] *ambo codd.* reconsiliata. — [11] *sic.*

128. Quidam, Ordinus nomine, diocesis Maguntinæ, tam graviter se [1] in genu vulneratus est, sicut indicio certo apparet usque hodie, quod a medio octobris usque ad Pascha per se de lecto surgere nequibat. Quod vulnus, accidente etiam morbo alio, multum gravatus [2] est, ita ut etiam de vita sua desperaretur. Prostrati ergo amici ejus in modum crucis in terra, auxilium beatæ Elizabeth attentissime flagitabant. Qui jam sentiens se visitatum, cum appodiamento peregrinationem memoratæ ancillæ Christi arripuit, ubi plene curatus est.

129. In diocesi Maguntensi, Sophia, Bertæ filia, Machtildis [3], Ava de Vindenbak, variis infirmitatibus laborantes, quæ omnes, votis suorum pro ipsis ad sepulcrum beatæ Elizabeth facientibus, plenam de incommodo suo consecutæ sunt sanitatem.

130. Filius Ysentrudis [4], puer triennis, claudus; Jordanis de Vacha, ejusdem diocesis et paralysi [5] passus, ad sepulcrum beatæ Elizabeth perfecte sanati sunt.

131. Aleidis, canonica, Palburnensis [6] diocesis, hydropica omnibusque membris et facie nimis inflata existens, cœpit invocatione beatæ Elizabeth sanitatem a Domino flagitare. Quæ statim, nimiis intolerabilibusque sudoribus purgata, cum paulo post ad tumulum sanctæ Dei nigra cute venisset, naturali illic colore [7] reddita incolumis remeavit ad propria.

132. Apud Martpurch [8], quædam mulier de sanitate penitus desperata, hydropica et per totum nimis inflata erat. Quæ ad sepulcrum beatæ Elizabeth veniens, servitio ejus se totam exposuit; et datis oblationibus cum imagine cerea candelaque ad longitudinem et alia ad latitudinem suam, statim a dicto morbo curata est.

133. Inghelbertus [9] de Martpurch super oculum dextrum ad nasum quemdam per biennium fœtidum humorem insanabiliter effluentem patiebatur, oculo horribiliter deformato. Pro quo cum mater ejus censualem [10] se constituisset ad duos denarios omnibus diebus vitæ suæ, perfecte restitutus est sanitati.

134. Item. In eadem diocesi, Berta fluxum sanguinis per nares patiebatur. Unde parentes eam ad sepulcrum beatæ Elizabeth deducentes et ad censum duorum denariorum annuatim quoad viveret obligantes, puer sanatus est.

135. Henricus, Maguntinæ diocesis, annis VII infistulatus, multa sanie defluebat de corpore ejus. Hic ad tumulum beatæ Elizabeth spe recuperandæ sanitatis jacens, tertia feria hebdomadæ Penthecostes se sensit curatum.

136. Quædam Lutgardis, Maguntinæ diocesis, et alia Aleidis de Hiserlon, hydropisis morbo incurabiliter desperabiliterque per plures annos detentæ et inflatura nigredineque totius corporis abominabiliter deformatæ, tandem ad suffragia beatæ Elisabeth, diversis licet temporibus, plene restitutæ sunt sanitati.

[1] *sic.* — [2] *sic.* — [3] Mathildis 2. — [4] Isentrudis 2. — [5] *sic.* — [6] Palburuensis 2. — [7] *sic.* — [8] Marthpurh *et mox iterum* 2. — [9] Ingelbertus 2. — [10] *codd.* sensualem.

[VI. De diversorum infortuniorum liberationibus : XII.]

137. Sequitur sexta hujus opusculi distinctio, quæ, de curationibus diversorum infortuniorum et languorum agens, quanta gratia et virtute ancilla Christi confirmatione sacramentali claruerit, ostendit : cum non solum ad singula, sed et ad omnia quæ occurrere possunt, potens in Domino et habilis ipsa inveniatur. Et in hoc respondet VII° capitulo primi libri, ubi in sacramento confirmationis de sua electione sic certificata ut nullis impingentibus eventibus mens ejus moveri potuit.

138. De calculosa curata. In pago Maguntino mulier quædam, Ava nomine, XII annis calculi morbo laborabat. Quæ cum VI hebdomadibus tam graviter affligeretur ut super miseriis ejus tota vicinia moveretur, circa Nativitatem beati Johannis Baptistæ toto corde conversa ad Dominæ lantgraviæ Elizabeth invocationem, projecto calculo eadem nocte ad quantitatem columbini ovi, liberata est.

139. Item Ekardus, Maguntinensis diocesis, de curru onusto tempore messis inconsulte descendens, sic ruptus est in inguine ut, interioribus in bursam testium descendentibus, demum in quantitatem duorum humanorum capitum usque ad genua dependerent. Qui velut amens factus et a crepusculo usque ad mediam noctem penitus sui ipsius impos permanebat. Advocatur sacerdos, omnesque simul gratiam et auxilium beatæ Elizabeth invocare cœperunt. Vocibus tandem quibusdam cum infirmo se ad sepulcrum sanctæ Dei cum hostiis munus ituri devovens, statim retracta sunt intestina, et vir se erigens : *Sanus*, inquit, *factus sum. Gratias Deo et beatæ Elizabeth!* Et postera die ibat ad operationes solitas.

140. De aqua in vinum conversa. In Vormacensi diocesi, quidam, nomine Maquardus, sepulcrum beatæ Elizabeth de voto visitavit. Qui rediturus, jussit servum suum haurire de quodam fonte hospitalis quam [1] aliquando beata Elizabeth fieri procuraverat, ut eam domum deferret, habens fidem quod aliqui puerorum suorum de ea bibentes ab infirmitatibus suis [2] convalescerent. Qui reversus ad propria, invenit aquam in vinum optimum sapore mutatum, aquæ tamen pura specie retenta. Unde quidam infirmorum gustantes, sanitatem inde adepti sunt. Quædam mulier quæ per annum in quartanis laboraverat, inde sanata est. Alius etiam morbo esquinantiæ ad gustum illius vini repente curatus est. Quidam etiam ex servis ipsius militis a continuo capitis dolore per vinum illud sanatus est.

141. De muliere a cancro curata. In Maguntina diocesi, mulier quædam, Berta nomine, cancro super nasum inter duos oculos laborabat. Cujus carnis corrosio cum nulla arte medendi posset sanari et ipsa nimis deformari inciperet et periclitari, accessit ad sepulcrum beatæ Elizabeth cum cereo naso et hostiis aliis. Nec mora, statim sensit remedium, et ante Natale Domini penitus liberata est.

142. In eadem diocesi, apud Martpurh, in aure cujusdam Machtildis, filiæ Gertrudis, pisa versa nullo ingenio seu instrumento poterat inde auferri. Quotiens

[1] *sic ambo.* — [2] suis *add. ex* 2.

aliquem ad se accedere vidit, velut rabida fugit, æstimans quod circa aurem ejus aliquid vellet attentare. Mater vero ejus, nudis genibus provoluta, Dominum pro filiæ suæ sanitate amarissime flendo deprecata est. Sicque mater cum filia ad tumulum beatæ Elizabeth jacentes, frater puellæ fuso in aurem ejus misso pisam ejicere attentavit [1]. Qui dum inciperet in aurem respicere, gaudens clamabat : *Ne fleveris, mater, jam pisa evolvitur foras*. Et ad sepulcrum sanctæ Elisabeth est sanata.

143. In eadem diocesi, alia [2] quædam, anno et dimidio lecto decumbens, graviter infirmabatur Hildegundis, de Marpurh, pustulis multis circa caput onusta, morbo ex eis valido orto. Inflato ergo capite valde et potentia loquendi subtracta, similiter et visu [3] oculorum, soror ejus ad tumulum sanctæ cucurrit et terram inde detulit. Qua cum sororis caput liniretur, statim melius habuit, et pustulis nocte ea ruptis, puella liberata est.

144. Quamdam in diocesi Maguntina mulierem, nomine Ysendrut [4], tanta manuum debilitas occuparat, quod per quatuor annos manibus se regere non potuit. Ac diversis aliis incommodis laboraverat. Ad sepulcrum sæpe dictum cum oblationibus perfecte liberata est.

145. Rycherius, Treverensis diocesis, XVIII annorum, a cingulo deorsum virtute membrorum penitus destitutus, ad sepulcrum beatæ Elizabeth curatus est.

146. Quædam Lutgardis [5], Maguntinæ diocesis, quæ sopore meridiano infortunia quædam incurrerat, ad tumulum beatæ Elizabeth, oblata illic facie cerea et voto census quatuor denarios [6] singulis ibi annis persolvendi, perfecte sanata est. Hæc autem in sopore dicto visum unius oculi amisit. Os quoque sic distortum accepit, quod oculum claudere non potuit. Sed et tota facies ejus distorta et transversa deformiter apparebat.

147. Henricus de Fluencia, Treverensis diocesis, XV annos ætatis habens, oculos distortos habuit, ita quod unus oculus nimis elevatus et alter depressus erat. Et os distortum et vulnus magnum in dorso habebat. Hic votum fecit ad sanctam Elizabeth, et in via plene sanatus est.

148. Item. In eadem diocesi, quidam Henricus, cujus spina dorsi, ipso de alta turre cadente, tripliciter fracta et os pectoris tripliciter contritum, tibia quoque fracta fuerat, nec sustinere valens quod manibus tangeretur aut verteretur, voto pro salute beatæ Elizabeth facto et tribus candelis, videlicet ad sui longitudinem et latitudinem illic destinatis, post modicum temporis perfecte sanatus est.

149. Sophia, Treverensis diocesis, tam valde a porco in genu est vulnerata, quod novem septimanis in lecto decubuit. Voto facto, cum labore ad sepulcrum sanctæ accessit, et postea perfectam consecuta est sanitatem.

[VII.] De mortuorum corporum revivificatione : [XV].

150. Septima autem distinctio, quæ et ultima hujus libri est, a septimo capitulo primi libelluli non discrepat, ubi sancta et electa Dei, oleo divinæ unctionis in

[1] attentabat 2. — [2] *ita videtur legendum ; uterque cod.* Ava, *et quidem in* 2 *cum majuscula.* — [3] visum 2. — [4] Isendrut 2. — [5] Lutkardis 2. — [6] denariorum 1 ; den. 2.

plenitudine sacramenti novissimi a Domino invisibiliter delibuta, in certa spe et gaudio futuræ resurrectionis suæ, secure quievit in Christo. Et propositæ narrationis series sic est.

151. In diocesi Maguntina, puer trium annorum, Henricus nomine, cujusdam Lutgardis filius, sex diebus continuis in acutis febribus laborabat. Qui die VII° post crepusculum mortuus est, in rigore et pallore atque frigiditate certitudinem mortis in se testificans. Plangentibus ergo parentibus super mortuo et ad funeris exequias se parantibus, avia pueri infantem tenere diligens votum fecit pro eo, dicens: *Sancta domina Elizabeth, impetra vitam huic puero, et nos ipsum cum oblationibus ad sepulcrum tuum deferemus, et ad censum duorum denariorum singulis annis hospitali tuo solvendum obligamus.* Puer vero usque ad principium diei permansit mortuus. Vicinis autem incessabiliter Deum invocantibus [1] et beatam Elizabeth, in primo ortu diei puer manum movit et difficulter anhelitum traxit. Revixit et curatus est. In vespera sequentis diei primo loqui cœpit.

152. De [2] submerso resuscitato. In eadem diocesi, scholaris quidam Lithardus [3], fluvium ad piscandum intrans, coram multis non valentibus succurrere ibidem submersus est. Qui unco non modico tempore quæsitus et tandem inventus, cruribus sursum est ejectus, ut sic, aqua exeunte, seipsum corpusculum si spiritus adhuc intra ipsum foret revivisceret. Cum ergo corporis rigiditas permaneret et nulla vitæ vestigia in eo apparerent, quidam miles, affectu pietatis motus, alta voce cum XX circiter personis clamavit, dicens : *Beata Elizabeth, si Deus pro te unquam aliquid fecit, impetra huic scholari ut meritis tuis vitæ [4] restituatur.* Et statim tenuissimum in eo halitum [5] advertentes, deportarunt ad ecclesiam. Paulatim eo reviviscente, vivum cum divinis laudibus eum læti receperunt.

153. In supradicta diocesi, corpus cujusdam Wesselmi [6] per spatium circiter quatuor [7] milliarium theutonicorum rigidum in morte jacebat exanime [8]. Cui cum ad exequiarum necessaria a parentibus plangentibus pararentur, mater ejus voce magna clamavit, dicens : *Sancta Elizabeth, puerum meum quomodo sic amisi? Succurre et fac ut reviviscat, et ego de rebus meis panis, frumenti, thuris, myrrhæ, lini, argenti et ceræ ad pondus corporis ejus cum ipso sepulcro tuo præsentabo.* Quibus in clamando repetitis, puer pulsum arteriarum in vitæ indicium recepit, et a crepusculo usque ad noctis medium impotens sic jacens : *Ubi sum, dulcissima mater*, tertio repetivit. Trium ergo annorum et dimidio ætate puer mortuus est, et in festo beati Jacobi resuscitatus est.

154. Item. In Nativitate beati Johannis Baptistæ, quidam Godefridus, Coloniensis [9] diocesis, de puteo extractus ore aperto oculisque horribiliter hiantibus, cute undique denigrata et rugosa, quasi in aqua bulliente decocta, submersus jacuit et mortuus. Multis ergo ex circumstantibus tamquam filium proprium eum deplorantibus (non enim ob deformitatem a quoquam liquide cognosci poterat), voto omnium communi beatæ Elizabeth suffragia invocantur. Nec mora, naturalis

[1] (D. i.) i. D. 2. — [2] Item de 2. — [3] Bochardus 2. — [4] *ita* 2; vita 1. — [5] *ita* 2; hanelitum 1. — [6] *ita perspicue* 1; *in* 2 *forsan* Wesselini. — [7] (c. q.) q. c. 2. — [8] *ita* 2; examine 1. — [9] in Coloniensis 2.

calor corpusculum cum spiritu revegetare cœpit, et puer quatuor circiter annorum paulatim a periculo liberatus convaluit.

155. In diocesi Treverensi, mulier quædam, Machtildis nomine, duos simul in utero habuit, filium et filiam. Sed, filia in lucem edita, filius quibusdam indiciis manifeste in utero materno mortuus apparebat. Obstetrix autem sciens quod fœtus mortuus difficile et cum magno labore generatur, ne causa mortis matris fieret, subvenire distulit. Victa tandem precibus parturientis, corpusculum mortuum et maxima parte denigratum ex matris gremio extraxit. Quo super sedem posito, mater cum multis fidelibus aliis fide incalescens ad Dominum clamaverunt, et gratiam sanctæ Elizabeth et misericordiam postulaverunt. Voto ergo matre super mortuo vovente, et quod nudipes et in laneis hostias Domino ad sepulcrum ancillæ Dei vita comite sit oblatura, statim corpus pueri calefactum est, et aperto ore spiravit. Tandem manifeste puer vivificatus est, et [1] baptizatus meritis beatæ Elizabeth animam Domino reddidit.

156. Item. In diocesi Treverensi, puella duorum annorum de brachiis alterius puellæ casu decidens, in fluvium submersa est. Deinde ab eo loco ad tractum balistæ in aqua reperta et extracta, atque denigrata corpore in cespite posita, ad invocationem beatæ Elizabeth cum solemni voto, revixit.

157. In diocesi Maguntina, quidam adolescens, Fredericus nomine, cum esset peritus in arte natandi, balnea calida naturaliter et profunda, ut balnearetur, ingressus est. Ubi quemdam pauperem ad suffragia beatæ Elizabeth aliquando illuminatum [2] offendit [3], aquam nimis importune in ipsum jaciendo. Super quæ pauper motus, vindictam ei in nomine sanctæ Elizabeth imprecatus est. Tandem ille lasciviens [4] se in aquam mittens et absque signo crucis, ad fundum profundi quasi violenter dilapsus est. Omnibus autem reputantibus quod voluntarie sub aqua latitaret, sicut bene sciebat, demum post multum temporis spatium quæsitus et mortuus inventus. Facto ergo voto quibusdam propinquis illius, super eo sanctæ Elizabeth suffragia attentissime cœperunt postulare. Deportatur sic in domum suam [5]; et sub spe uxore [6] ipsius aliisque sepulcrum sanctæ Dei cum hostiis visitandum promittentibus, post pauca revixit, et solemni gaudio lætum præbuit spectaculum parentibus suis.

158. Item. In eadem diocesi, quidam, Henricus nomine, feria quarta ante " Lætare Jerusalem " filiam suam ætatis anni et dimidii casu reperit in fluvio, supinam jacentem et submersam. Quam extractam, et super miserabilem interitum ejus inconsolabiliter lacrimantem, alii corpus exanime huc illucque volutabant [7]. Os quoque et dentes cultro aperiebant, ut, si qua intus esset aqua, foras efflueret. Sic autem eo jacente ab hora nona usque ad crepusculum noctis, cum nec aqua [8] aut spiramen ex eo exiret et nulla spes vitæ in eo esset, cum votis hostiarum et laudis invocatis suffragiis beatæ Elizabeth, infans [9] cum magna diffi-

[1] (p. v. est, et) vivificatus puer et 2. — [2] illuminationem *ambo codd.* — [3] offendi 2; ostendit 1. — [4] *ita videtur legendum ; codd.* lascivie. — [5] (s. in d. s.) in d. s. sic 2. — [6] *ita* 2; uxoris 2. — [7] *codd.* volitabant. — [8] *ita in* 2 *corr.*; *prius* vox aqua; *in* 1 vox aliqua. — [9] *codd.* infrans.

cultate cœpit anhelitum trahere, et sic sæpius oscitans revixit et circa medium noctis mamillas a matre recepit.

159. Item de mortua suscitata. In eadem diocesi, Helewigis, filia Karmundi, puella x annorum, casu de alta sede corruit in terram, et expiravit. Cujus parentes post multum temporis spatium omnia signa mortis in ipsa cum magno ejulatu experientes, ea quæ exequiis necessaria erant, præparaverunt. Præterea post septem circiter horas mortis ejus, a propter astantibus beata Elizabeth incessabiliter invocabatur super hoc infortunio. Dum ergo ex magna parte omnes votum vovissent, mortua revixit, et cum magna difficultate anhelitum retraxit. Quæ tandem octo diebus absque discretione et sensu remanens, paulatim sanitati perfecte restituta est.

160. Item de submersa resuscitata [1]. In sæpedicta diocesi, feria secunda post " Quasi modo geniti, „ puella quædam in fovea magna et aquis plena casu snbmersa jacuit. Quæ tandem a parentibus inventa et extracta, post trium horarum spatium ad invocationem sæpedictæ sanctæ revixit. Unde et deformitas submersæ, videlicet rigiditas frigiditasque corporis, oculorum hiatus et nigredo, statim in oculis omnium in ipsa disparuit.

161. In eadem etiam [2] diocesi consimile miraculum accidit de Hildegarde, Machtildis filia. Quæ, cum esset annorum duorum, casu in fluvio submersa, post sex circiter horas ad suffragia sanctæ Dei vivificata est.

162. De [3] mortuo suscitato. In diocesi Coloniensi, quidam Henricus. Henrici filius, a fratre suo in die Paschæ securi super nasum ignoranter percussus, post multi sanguinis effusionem expiravit. Qui in deformitate mortis per spatium duorum miliarium [4] teuthonicorum sic jacens mortuus, cum exequiæ pararentur, sollicitante patre omnes simul sanctæ Dei Elizabeth suffragia lacrimabiliter cœperunt implorare. Precibus ergo et votis sæpius iteratis, post longum tempus puer motis [5] labiis sic leniter anhelitum traxit ut vix perpendi possit si spiritus ipsius redierit. Qui tandem sanitati perfecte restitutus est.

163. Ad invocationem sanctæ Elizabeth, in diocesi Maguntii, puella duorum annorum, Mathildis nomine. Helewigis filia, per tres scilicet horas submersa revixit, et alius puer septem annorum, Conradus nomine, a fluvio raptu submersus et intra rotam molendini totus contritus, vitæ redditus est. Hic, priusquam instrumenta haberentur quibus rota molendini levabatur, plus quam trium horarum spatio sub aqua jacuerat. De quo omnes prope sic desperati erant, quod possibilius putarent mortuum eo die tumulatum posse suscitari.

164. Item de suspenso vivificato. In diocesi Coloniensi, quidam, Hermannus nomine, pluribus horis diei suspensus a judice, cum esset mortuus, facta fovea a parentibus de licentia judicis sepeliendus deponebatur. Cui cum decem septimanis tribus diebus vivus in carcere detento beata Elizabeth cum optata consolatione apparuerit, et nunc, amicis [6] ejusdem suffragia attente invocantibus, vitæ et saluti restitutus est.

[1] (s. r.) submerso resuscitato 2. — [2] *loco* etiam, 1 *repetit* eadem. — [3] Item de 2. — [4] vigiliarum 2. — [5] motis motis 2; motus 1. — [6] *ambo codd.* ab amicis.

165. De [1] suspenso liberato. In diocesi Maguntina quidam, Locco nomine, cum quodam fure in itinere deprehensus, ductus est ad suspendium. Qui invocante Deo et beata Elizabeth suspensus, cum populus inde rediisset, audivit super caput ejus dicentem : *Crede firmiter, et hunc funem nunquam de collo tuo deponas, quousque Martpurh ad tumulum beatæ Elizabeth accedas.* Et sic fune fracto, decidit ad terram. Et quamvis graviter et de tam alto cecidisset, ut camisia nova qua indutus erat, in pectore et in dorso rumperetur, nullum tamen cadens sensit dolorem. Hoc cum esset in die sancti Thomæ in præsentia plus quam [2] ccc hominibus factum, homines ad tantum miraculum compuncti cum vestibus suis aliquot ei solidos in eleemosynam largiti sunt.

166. Igitur [3] Deus omnipotens electam suam, quam septemplici munere sacramentaliter in corpore [4] adhuc mortali præventam, omni gratiarum sanctitate et virtute sanctificaverat et decoraverat, his aliisque multis miraculorum insigniis et in morte prosequens, in perenni gloria sublimatam secum vivere et omni exaltatione et veneratione dignam manifeste declaravit. Concedat nunc nobis speciali patrocinio beatæ Elizabeth omniumque sanctorum suffragiis in gratiæ suæ largitate salutem nostram sic perfecte operari, quatinus ipsa duce in gloria Patris æterna gaudia consequi mereamur, Jesus Christus, Dominus noster, cujus gloria et imperium, cujus regnum et sacerdotium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. — **Expliciunt miracula sancte Elyzabet.**

DE BEATO WERRICO PRIORE ALNENSI. (Cfr. supra, pag. 397, 6°.)

Vita domni Werrici (1), prioris de Alna (2), viri venerabilis et Deo digni.

Domnus Werricus, qui corpore pauper obivit,
Ut puto, perpetuo ditatus lumine vivit.
Pauper hic et modicus, habitu despectus et ore,
Ingreditur cœlum, cœlesti dives honore.

[1] Item de 2. — [2] *in* 1 quam plus quam. — [3] *ambo codd. add.* cœlesti : *quod redundare videtur.* — [4] *ambo* corporeo, *sed corr. in* 2.

(1) De B. Werrico tractat Manrique, *Annales Cistercienses*, tom. IV, p. 112-114. De Vita vero qualis exhibetur in cod. nostro Wattenbach. *Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter* (Berlin, 1877), tom. II. pp. 325, 326. Eamdem Vitam legit cl. Karl Gillert in cod. Petropolitano O. XIV, olim S. Mariæ de Camberone, et ex ea unum alterumve capitulum edidit in *Neues Archiv*, tom. VI, p. 501-503. Jam pridem etiam quædam ediderat Baro de Reiffenberg, tom. cit. (supra, p. 396). — (2) De abbatia Alnensi ad Sabim fluvium in territorio Gozeensi (Tornacensi nunc diœcesi et Hannonia provincia) sita atque milliarium a Thudinio oppido (*Thuin* gallice) distante, cfr. Janauschek, *Originum Cisterciensium* tom. I, p. 108.

Hoc puto fas credi, nec erit dubitabile multum,
Quin pius iste Dei jam cernat in æthere vultum.
Qui bene complet opus et votum religionis,
Quis dubitet dignum cœlestibus esse coronis?
Hic bene complevit quidquid sacra norma jubebat,
Insuper et plura superaddidit et faciebat (1).

De eo quod septem vel octo virtutibus evangelicis præditus fuit.

Si monachis veris sua regna Deus dare vellet,
Hunc verum monachum nulla ratione repellet.
Si dare regna potest paupertas spiritualis,
Pauperis hujus erit regni lux imperialis.
Si dabitur terræ felix possessio miti,
Tunc debebit in hanc mitissimus hic homo mitti.
Si quis pacificus fit filius Omnipotentis,
Tunc summi debet hic filius esse Parentis.
Præmia si qua potest patientia vera lucrari,
Jus erit hunc veris patientibus æquiperari.
Ante Deum si quid humilis quis corde meretur,
Hoc humilis noster merito præclarus habetur :
Isto plus humilem nusquam videre moderni,
Nec patientior hoc posset quis in Ordine cerni.
Hic est qui nullum, salvo tamen ordine, læsit,
Cuique nihil penitus maculosi moris adhæsit.
Hic est os cujus detractio nec maculavit,
Nec detractorum furtivum murmur amavit.
Hic est cujus mens, oleo pietatis inuncta,
Lenis erat cunctis, tractabilis ad bona cuncta.
Tantum plenus erat hic mansuetudine mira,
Ut semper fieret animus sibi liber ab ira.
Mansuetudo Deo multum placet : hanc docuisse
Discipulos legitur, ubi dicit : *Discite de me.*
Mansuetudo facit animæ requiem reperire;
Hanc requiem tollit culpabilis impetus iræ.
Ira tenax est culpa gravis; nec religiosus
Quem movet ira frequens valet esse Deo pretiosus.
Vix dolus inventus unquam fuit ejus in ore.
Fraude doloque carens in verbo vel leviore.
Sed nec adulantem potuit reperire quis ipsum,

(1) Editum est hoc capitulum in *Neues Archiv,* loc. cit. supra.

Cujus corpus erat cum Christo jam crucifixum.
Contemni potius gaudebat quam venerari,
Martinum modicum cupiendo sic imitari.
Vir justus, fortis et prudens et moderatus :
Quatuor his costis semper stetit iste quadratus.
Hac quadratura lapis hic perfectus habetur,
Dignus ut in muris cœlestibus ædificetur.

Nunquam curavit habere sapientiam hujus mundi.

Ad res mundanas simplex fuit et quasi stultus;
Ad res divinas sapiens satis et bene cultus.
Non sensus terræ, qui fit via versus abyssum,
Sed sensus cœli per scripta repleverat ipsum.
Vix hunc audires ultro mundana loquentem,
Præter quando nequit ab eis avertere mentem.
De bellis regum comitumque ducumque querelis
Nunquam dilexit propriis recitare loquelis.
Famine dulcis erat; vix aspera protulit ore :
Plenus amore Dei, fraterno plenus amore.
Si quis in hunc voluit grave quidquam promere verbis,
Nec gravibus gravia nec acerba rependit acerbis.

Valde misericors erat pauperibus.

Cum prior hic esset, fervens pietatis amore,
Afflictos inopes donis refovebat et ore.
Hoc ad opus quandoque prior pia furta tegebat,
Clamque dabat, celans bonitates quas faciebat.
Panes et carnes, butyrum, sal, pisa, farinas
Ipsemet acquirens, animas recreabat egenas.
Hæc mendicabat a fratribus hic homo lenis
Occultis precibus, et sic tribuebat egenis.
Sic prior antiquus, domnus Walterus (1) agebat,
Cujus adhuc mores domnus Werricus habebat.

(1) De hoc Waltero ita Henriquez, *Menologium Cisterciense,* ad 26 novembris : " In monasterio Alnensi beatus Walterus prior, qui cum esset Canonicus sancti Lamberti Leodii, a sancto Bernardo conversus, monasticam vitam in Claravalle amplexus est. Ubi, qui jam dudum seculi vanitatibus renuntiaverat sibimetipsi etiam renuntians, Christo in dies perfectius adhærebat. Directus tandem in monasterium Alnense, ibidem in priorem eligitur; et longo tempore cum magna sanctitatis opinione munus illud exercuit. Sed terrena quæque fastidiens, ad superna anhelans, cupiebat dissolvi et esse cum Christo, hoc quotidie inter orandum repe-

Usque ad obitum suum non cessavit a scriptis acquirendis.

Semper quæsivit scripturas ædificantes,
Sanctorum vitas, exemplaque gestaque fantes.
Totus in his studuit et talia semper amavit;
Ex quibus et libros numerosos accumulavit.
Vix sinus illius unquam fuit absque libellis;
Quos ita dilexit ut apis libamina mellis.
Sæpius et collo saccellum ferre solebat
Codicibus tumidum, quæ lata cuculla tegebat (1).

De omnibus præcipuis festivitatibus præparabat sermones.

De festis quibus est sermo communis habendus
Sermones per se faciebat vir reverendus;
De magnis festis, quamvis non diceret illos,
Sermones solito faciebat more novellos.
Hos prius in tabulis conscriptos sæpe videbam,
Quos ejus precibus in pelle notare solebam (2).

Nunquam eum otiosum diabolus potuit invenire.

Otia nulla sibi penitus; sed semper agebat
Corpore vel mente quod rectius esse sciebat.
Inter conventum residens, si quando loquentem
Aspiceres illum, scripturas sæpe tenentem.
Raro loquebatur, nisi forsitan hospes adesset;
Vel talis quando reticendi non locus esset.

Hospitibus laicis et superbis breviter loquebatur.

Militibus vel divitibus prior iste superbis
Pauca loquebatur, nec erat vox prodiga verbis.

tens : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Cumque hoc semper orando persisteret, vox illi e cœlo respondit : *Regem in decore suo videbunt oculi tui.* Qua promissione consolatus, spiritus ejus alacriter mortem expectavit : quæ tandem desiderata venit. Dumque vir sanctus spiritum redderet Creatori, stella lucidissima die clara et sole splendente super locum migrationis ejus apparuit. „ De hoc eodem beato viro agit clar. v. J. de Theux, *Le chapitre de Saint-Lambert à Liège,* tom. I, pp. 154, 155. Sed errare videtur dum asserit eum post Werricum prioratum gessisse ac post Franconem in abbatem Alnensem fuisse electum. — (1) Hoc capitulum edit. apud Reiffenberg, tom. cit. (1842), p. 132. — (2) His manifestum est carmen quod hic edimus, a coævo fuisse conscriptum.

Quam citius poterat, studuit dimittere tales,
Qui monachis non sunt justa ratione sodales.
Non sic hospitibus faciebat religiosis.
His socialis erat, residens horis spatiosis.

Sancto Martino præcipue devotus erat.

Sancto Martino devotus erat vehementer,
Ipsius vitam recolens et gesta libenter.
Ad minus in festis Martini quolibet anno
Calciamenta duo dabat hic pro præsule magno.

Post messem nolebat conversos qui messores custodiebant et nummos habebant, ad confessionem recipere, nisi darent ei denarios.

Quando magister erat conversorum laicorum,
Sæpe rogabat eos nummos ad opus miserorum.
Bursigeros siquidem conversos tempore messis
Culpabat quod erant duri vehementer egenis.
Qui præerant messi, messoribus æs tribuentes,
Post messem dicebat eis ad se venientes :
Non ero confessor vester ; non suscipiam vos,
Nec vos absolvam, nisi solvitis antea nummos.
Percussistis enim mulieres atque pusillos ;
Absque timore Dei tractastis turpiter illos.
Ergo mihi detis nummos, quos pauperibus dem,
Ut plagas vestras nummi medicamine curem.

De equo domni Werrici, cum magister esset conversorum.

Hic conversorum fuerat quando magister,
Religiosa serens in eis documenta decenter,
Tunc equitabat equum, qui cognoscebat egenos.
Præteriens dites et clara veste serenos,
Obvius hic et equus quotiens venisset egenis,
Sponte sua stabat, tentis a nemine frenis.
Donec finitus cum paupere sermo fuisset,
Stabat equus per se, vel donec pauper abisset.
Irrationale jumentum consuetudo
Addocuit stare sic coram paupere nudo.
Pauperibus coram palefridus stabat ad horam ;
Divitibus spretis ibat sine mora quietis ;

Hos neque curabat quos mundus magnificabat.
Hunc equitavit equum quadam vice domnus Alardus,
Qui vocitatur adhuc veteri cognomine Rufus.
Obviat huic pauper, et equus stat, non removetur.
Mox intellexit monachus cur non graderetur.
Dicit Alardus equo verbum ridendo jocosum :
Ite viam vestram, quia non Werricus ego sum ;
Si vultis, stetis, Werricum quando feretis (1).

Quod temperatam refectionem sumebat.

Carnis jumentum tali moderamine pavit
Quod neque pingue fuit neque justo plus maceravit.
Ut bene portet onus, sic corporis urget asellum,
Sic cibat hunc, et opus sic temperat atque flagellum.
Vix reperiretur in claustris mille vir isti
Moribus æqualis, aut par in tramite Christi.
Si quos denarios prior idem posset habere,
Paupere non poterant secum poscente latere.

De vetula ingeniosa.

Nobilis ad portam quædam matrona priorem
Mandavit, veniens ipsius propter amorem.
Vadit ad hanc, loquitur quod oportet et illa volebat.
Denarios tunc sex domnus Werricus habebat.
Stabat ibi vetula cœpitque rogare priorem ;
Denariumque prior ob Christi præbet amorem.
Post eadem capite velato denuo poscit;
Donat idem nummum vetulæ, quam non bene noscit.
Post modicum quasi clauda redit subnixa bacillo;
Mutat ei vocem, ne cognoscatur ab illo.
Tertius hic nummus datus est : quasi flendo recedit.
Quid moror? Omnes sex nummos hæc una recepit.
Advenisse putans prior ad se sex mulieres.
Ingenium vetulæ non sensit cœlicus heres.
Vir tamen innotuit vetulæ simulata priori,
Et quod ei totum tribuisset inutiliori.
Et prior inquit ei qui scivit et hæc referebat :
Sic Dominus voluit ; paupercula forsan egebat.
Rem similem legitur fecisse Gregorius ipse,

(1) Hoc capitulum edit. apud Reiffenberg, tom. cit. (1842), p. 133.

Cum ter venisset quidam quasi naufragus ad se.
Unaquaque vice numismata sex tribuebat;
Quis tamen accipiens esset, non ipse sciebat.

De optima tunica sua nova et data.

Temporibus domni Frumaldi (1) cum prior esset,
Cum quo gaudebit in cœlis et requiescet,
Venit ad hunc juvenis conversus sublacrimando.
Conqueritur tristis, et consulit hunc ita fando :
Quid faciam, domne? Mater mea nuda vagatur,
Et non est ullus qui porrigat unde tegatur.
Cogito deserere claustrum matremque juvare :
Postea, cum fuerit hæc mortua, tunc remeare.
Hunc prior errorem reprehendit et inquit ad illum :
Non exibis ob hoc; expecta, quæso, pusillum.
It prior ad lectum : tunicam tulit inde recentem,
Converso dedit, ut vestiat inde parentem.
Hoc custos cameræ qui vestes distribuebat,
Scivit, et iratus abbati rem referebat.
Abbas, juxta se faciens residere priorem,
Quot tunicas habeat, interrogat hinc seniorem.
Hic habeo geminas, dicit prior; *ecce videtis.*
— *Immo quot ad lectum*, pius abbas inquit, *habetis?*
— *Una remansit ibi*, prior addit, *et angelus unus*
Unam sumpsit ibi, cœlestis forte tribunus.
Subdit ad hæc abbas : *Verum dicatis apertum.*
Tunc prior abbatem fecit de munere certum.
Abbas subridens tunicam jubet inde priori
Restitui, simili de vellere vel meliori.

De alia tunica data vetulæ in via repertæ.

Tempore brumali domnus Werricus abivit
Ad curtem quemdam pro causa quam bene scivit.
Hoc in iter vetulam reperivit non tunicatam,
Sed ferme nudam, jam frigore pene necatam.
Hæc tremebunda rogat : *Miserere, prior, miserere :*

(1) Frumaldus de Fontanis, perquam familiaris Alberto a Lovanio, episcopo Leodiensi, florebat annis 1190 et 1195 (*Gallia Christiana*, tom. III, p. 1017). Venit ejus nomen in diplomate dato anno 1190 (videsis Devillers, *Mémoire sur un cartulaire de l'abbaye d'Alne*, p. 55). Dicitur vita functus sub 1198 (Lebrocquy, *Histoire de l'abbaye d'Aulne*, p. 32).

Protege me, domne, quia nil queo vestis habere.
Descendens ab equo prior illi dat [1] meliorem
De geminis tunicis, retinens sibi deteriorem.
Inque domum noti cujusdam divitis illam
Duxit, ad ignemque fecit prandere misellam.
Gartio servus equi reprehendit quod faciebat
Et quod iter cœptum pueriliter impediebat.

De alia tunica sua data clerico caduco.

Clericus advenit ad eum quandoque caducus,
Tegmine pene carens, hiemali tempore nudus.
Ille dari vestem sibi postulat; at prior inquit
Nunc non esse sibi quod tradere posset ei quid.
Tunc desperatus pauper properando recedit,
Quem prior ille foris, ut staret ad ostia, credit.
Post prior inquirit ubi pauper clericus esset,
Et qui scivit ait quod jam festinus abisset.
Custodem curtis de Baldribus (1) ipse Johannem
Mox prior accivit et misit post abeuntem.
De propriis tunicis prior unam porrigit illi,
Ut tegat ex illa patientis membra pusilli.
Mox ascendit equum valde properando Johannes;
Investigat eum qua transit, quærit ad omnes.
Cumque venisset apud Fontanas, repperit illum
Ante fores curtis, cernens astare pusillum.
Jactat ei tunicam missam de parte prioris.
Ille refert grates, benedicens omnibus horis.
Conversus facit hunc discedere, ne videatur,
Et sibi quis tunicam dedit illam non fateatur.

De alio clerico priore et cellerario [2] obviante.

Clericus alter adhuc domno Dodone vidente
Obvius occurrit equitantibus ecce repente.
Ille scholaris erat, non dives, non opulentus.
Hic petit ut non sit prior ad dandum sibi lentus.
Nil prior argenti quod ei dare posset habebat.

[1] illi *add. codd., sed perperam.* — [2] *cod.* cellerarario.

(1) Semi-leucam circiter Alna distans, Thudinium versus. Vid. Devillers, tom. cit., *Table onomast.,* ad hanc vocem, et Lebrocquy, tom. cit., p. 135.

Dodo tumens bursis celerarius [1] æs bajulabat.
Dodo duos nummos voluit conferre scholari;
Nec poterant ab eo tunc plures excoriari.
Hoc nimis est modicum, prior inquit. Plus dare dixit;
Sed transire duos Dodonis gratia nescit.
Descendens ab equo, caligas sub veste latentes
Abstulit a scapulis, novitatis flore nitentes.
Has puer accepit, gratissimus inde datori.
Hoc vidit Dodo; celavit et ista priori.

De propriis et necessariis sibi rebus dabat.

Taliter ex propriis rebus tribuebat egenis,
Quas furabatur sibimet devotio lenis.
Non plus quam geminas vel tres caligas retinebat;
Quod superaccrevit, hoc totum pauper habebat.
Sic ejus tunicas numerum summæ Deitatis
Dum prior esset adhuc nunquam transisse sciatis.
Sæpe minus quam tres tamen hic habuisse putetur,
Sicut in exemplo, quod mox recitabo, videtur.

De porta nudus rediit ad officinam conversi.

Cujusdam fratris cameram prior iste subivit
Qui superest et adhuc conversus in Ordine vivit.
Totus erat nudus domnus prior, absque cuculla :
Præter quam solam [2], vestis sibi non fuit ulla.
Ille videns risit; et postea, mente misertus,
Quid prior egisset de veste satis bene certus,
Unam de propriis tunicis concessit egenti,
Nil præter cappam monachilem vestis habenti.
Huic caligas pedulesque novos soccosque recentes
Domno Werrico tribuerunt Fusniacenses (1).
Noluit his vetera dimittere calciamenta;
Utraque sed retinens, tulit Alnæ distribuenda.
Quo cum venisset, nec vel semel utitur illis;
Sed nova sicut erant tribuit sua dona pusillis.

[1] *cod.* celararius. — [2] *ita videtur legendum ; cod.* sola.

(1) Fusniacum, *Foigny* (départ. de l'Aisne).

Sic fecit apud Camberom.

Sic et apud quamdam, quæ Cambero (1) dicitur, ædem
Talia suscepit et taliter egit hic idem.
Multaque præterea tribuebat dextra prioris
Quæ tribuenda silet claustralis regula moris.
Hunc tamen excessum Benedictus non reprehendit.
Sic prior ad miseros palmas cum munere tendit.
Duritiam sterilem pater almus damnat ubique,
Corripiens graviter monachum qui fecit inique,
Non tribuens oleum sicut pater inquit ad illum,
Sed voluit cupidus illud retinere pusillum.

De occultis ejus disciplinis.

Ecclesiæ custos, quem dicimus esse sacristam,
Rem quam nunc scribo cognovit sæpius istam.
Post primum sæpe nocturnum sive secundum
Hic exire chorum solitus fuit [1] ad latitandum,
Justitiæ cellam subiens quæ de capitellis
Nomen habet, macerans ibi se sine teste flagellis.
Cumque sacrista foris in claustro cerneret astra,
Audivit virgas crepitantes post sua terga.
Hic prius audito nescit sacrista quis esset,
Donec in ecclesiam prior hoc cernente redisset.
Temporibus multis in eadem postea cella
Custos audivit noctu crepitare flagella.

De orationibus ejus post Completorium.

Sic post Completam diuturnis sæpius horis,
Retro chorum recubans, augebat pensa laboris.
Taliter in precibus ad noctes usque sacrista
Reperiebat eum recitantem de Citharista.

De eo quod lux magna apparuit ei oranti in ecclesia.

In templum quandoque jacens orabat hic idem.
En lux clara nimis rutilans apparet eidem.

[1] *cod.* fur.

(1) Monasterium super fluvium Asbra, prope Cerviacum oppidum in Hannonia. Cfr. Janauschek, tom. cit., p. 113.

Luminibus septem radiorum lux rutilabat.
Hic mirabatur numerus quid significabat.
Dum sic admirans oculos in lumine fixit,
Audivit vocem manifestam quæ sibi dixit:
Corpus erit quod habes onerosum nunc et amarum,
Post istam vitam septemplice lumine clarum,
Ultra quam lux sit quam respicis et tibi luxit.
Quidam conversus qui stabat retro jacentem
Audivit vocem monacho prædicta loquentem,
Et lucem vidit conversus religiosus,
Vir bonus et verax, nullo sermone dolosus.
Qui tamen hoc siluit et nulli talia dixit
Omni quo post hæc Werricus tempore vixit.

De eo quod magna obscuritas apparuit ei oranti pro presbytero seculari.

Presbyter est, multis bene notus, qui mihi scripsit
Secretum quoddam quod vivens vir sibi dixit.
Ille [1] viro miti dilectus erat vehementer,
Et veniebat ad hunc solito de more frequenter.
Ille rogavit eum quadam vice, talia fando :
Domne, rogate Deum pro me, tunc maxime quando
Utilius scitis. Respondit [2] sibi mitis :
Ut petis, orabo pro te quandoque libenter.
Resque remansit ita per tempus clausa silenter.
Cumque redisset ad hunc hic de quo talia dico,
Domnus Werricus redeunti dixit amico :
Scito quod instanter orans quadam vice pro te
Aspexi tenebras. Videas quid feceris ipse.
Ut reor, est aliquid obscurum quod latet in te,
In cujus signum merui tenebrosa videre.
Me nox obscura circumdedit in precis actu :
Ergo quid lateat in corde tuo videas tu.
Presbyter erratum proprium, quod nemo sciebat,
Tunc prius expavit, quod adhuc sine teste gerebat.
Est confessus ei culpam quam nescio grandem,
Confessoque [3] redit bona pax et gratia tandem.

[1] *cod.* illo. — [2] *supple v. gr.* tunc. — [3] *cod.* confessioque.

De muliere apud Landelies a partu liberata.

Landenias [1] Alnæ vicinior est modo villa ;
Parturiens mulier jam pene peribat in illa.
Per sex namque dies partus cruciata dolore,
Non habuit requiem momento vel breviore.
Vir suus ad domnum Werricum postea venit,
Pro muliere rogat, humilique precamine lenit.
Poscit ut hic oret pro conjuge jam peritura.
Domnus Werricus non gestans viscera dura,
Annuit et dixit : *Orabimus illico; sed tu*
Esto fide fortis, et erit cito libera partu.
Vir redit ad villam statimque die sub eadem
Infantem pariens evasit femina cladem.

De ablutione manuum ejus in missæ celebratione.

Ad missam domni Werrici stare solebant
Afflicti febribus, et aquam sibi suscipiebant
Qua vice post vinum domnus Werricus ipse secunda
Abluerat digitos, in eorum vascula munda.
Illa lavatura febres persæpe fugabat,
Ut referebant hi quos gratia sic relevabat.
Hoc fieri vetuit tamen abbas, nescio quare,
Ni quod aquam talem debet piscina vorare.
Sed mea mens sentit quod, si non hanc licuisset
Infirmis bibere, medicinæ nil habuisset.

Quomodo a conversis nummos acquirebat.

Hic a conversis, quibus æs portare licebat,
Nummos jocundis [2] sermonibus accipiebat.
Nam juxta summam nummorum quos rogitavit
Sermonem faciens, sic illos ingeniavit.

Pro duobus solidis sic dicebat :

Lex vetus atque nova duo Testamenta vocantur,
Sub quibus innumeri sancti sanctæque creantur,
Et duo præcepta sunt spiritalis amoris,
Quæ bene servata tribuunt diadema decoris.

[1] *sic.* — [2] *cod.* iocondis.

Naturasque duas habuit Dominus Jesus in se :
Scilicet æternam qua mundum condidit ipse;
Hac natura potens et filius Omnipotentis
Naturam sumpsit hominis de carne parentis.
Verus homo verusque Deus junguntur in unum.
Talis facta fuit conjunctio matris in alvum.
Ex virtute Dei Dominus Jesus imperat undis;
Ex hoc quod fit homo, dormit, sitit, indiget escis.
Per mortem carnis quam sensit homo crucifixus,
Frangitur infernus et redditus est paradisus.
Ergo duos solidos debes dare pro geminis his
Naturis Domini, per quas salvandus haberis. „
Quid moror? exibant xx^{ti} IIII^{or} albi (1),
Quos prior acceptos genti tribuebat egenti.

Quindecim nummos rogaturus aiebat :

Rex Salomon in monte Sion templum fabricavit
Et ter quinque gradus sursum scandendo locavit.
His gradibus psalmos pater ejus scripserat ante
Quam templum fieret, sancto sibi flamine flante.
Post, cum nata foret pretiosa Maria triennis,
Et lactaret adhuc Virgo sacra, Virgo perennis,
Per ter quinque gradus simili ratione locatos,
Nemine ducente, vi mira scandit ad altos.
Ut possis per eam cœlestia scandere templa,
Da mihi ter quinque nummos pro Virgine clara.
Tu poteris per eam, si vult, ad regna levari :
Nemo perire potest cui vult hæc auxiliari.
Tunc solvebatur hoc carmine bursa ligata
Pro psalmis graduum, pro Virgine dando beata.

De duodecim apostolis et totidem nummis.

Cœtus apostolicus numero micat in duodeno :
Tot mihi propter eos da nummos munere pleno.
Nemo nisi per eos ascendit ad atria cœli.
Hi sunt qui pandunt cœlestia regna fideli.
Si velit ille chorus, per eos super astra sedebis,
Et Dominum Christum sine fine videre valebis.

(1) Albus, moneta argentea minutior. *Gallice* Blanc, *ital.* Biancho (Du Cange, *Glossarium*).

Denarios bis sex tunc marsupium pariebat,
Quos prior hac arte lucratos accipiebat.

De dente domni Walteri, antiqui prioris.

Post obitum domni Walteri venerat unus
De claustri monachis apud Alnam poscere munus
De sancti veste, pro pignore reliquiarum.
Hunc monachum sanctus habuit vir maxime carum.
Quærit hic a domno Werrico si quid haberet
De seniore bono, quod ei conferre valeret.
Domnus Werricus dentem se dicit habere,
Qui detractus erat sancti senioris ab ore.
Hic petit instanter partem de dente pusillam.
Domnus Werricus rogitanti non negat illam.
Dens est ostensus, sed scindi quomodo possit?
Et vir uterque timet et scindere non bene noscit.
Tunc prior oravit Werricus ad Omnipotentem,
Devotis precibus ducens ad sidera mentem.
Nec mora: dividitur dens, in duo particulatus;
Quod multum monachus cernens fuit exhilaratus.

Omnia opera sua bona quantum poterat occultabat.

Pauca referre scio bona; multa latentia gessit,
Nota Deo cœli quæ nostra scientia nescit.
Hoc scio, nec dubito quod eum non præteriere
Omnia quæ monachus perfectus debet habere.
Hoc scio quod mira fuit [1] dulcedine plenus,
Et quod multiplici nituit pietate serenus.
Hoc scio quod monachi tulit inviolabile nomen
Et quod promisit, bene solvit in Ordine totum.
Insuper et plus quam sacra regula censet agendum
Iste prior fecit. Unum reor hic referendum.
Iste suum tegimen quo se de nocte tegebat
In duo divisit, viduæ quæ veste carebat.
Detulit ad vetulam prior illud dimidiatum,
Dimidium retinens mediotenus abreviatum [2].
Militis exemplum Martini sic recitavit,
Qui chlamydem nudo cum paupere dimidiavit.
Hoc fieri tacuit in canone dux Benedictus,

[1] *sic.* — [2] *sic.*

Religiosorum monachorum gloria dictus.
Multa licet fieri quæ regula non jubet alma,
Quæ bona sunt valde facienti, dignaque palma.
Regula non dictat nisi quod communiter omnes
Possunt et debent complere per omnia fratres.
Si minus aut contra quam regula dicat agatur,
Tunc male; si melius vel plus, merces cumulatur.
Non Evangelium Martino dimidiare
Edocuit chlamydem, nec regula sancta secare
Werrico tegimen, sed transit uterque documen.
De secta chlamyde Martini cantat ubique
Ecclesiarum mos, quam Christi vidit in armos:
" O pretiosa chlamys, quam Christus monstrat amicis,
Civibus æthereis angelicisque choris!
Purpura cæsarea non scandit ad illa trophæa;
Nec super ætherea regna levatur ea. "
Sed de Werrico quis dicet quod male fecit,
Palliolum resecans, quod nusquam regula dicit?

Usque ad mortem non cessavit a Scripturis.

Scripturæ sanctæ vehemens et jugis amator,
Ad librum vitæ nunc transit iste viator.
Unus ei satis est liber hic ad cuncta scienda
Extra quem non sunt alibi documenta petenda.
Nam quicumque videt deitatem nube remota,
Sensibus instructis, sibi sunt mox omnia nota.
Qui videt æterni Patris invariabile lumen
Omne creaturæ contemnit habere documen.
Alterius non eget vel scriptis vel documentis.
Omnia scire facit mox visio Cunctipotentis.
Hunc sensum, Werrice, modo vel habes, vel habebis,
Cum fontem lucis in luminis arce videbis.

De eo quod abbas invenit eum furantem farinam (1).

Domnus Alexander (2) quadam vice tempore caro
Pistrinum subiit, abbatis more vagando
Tunc prior implebat saccellum flore farinæ,

(1) Hoc capitulum, sicut et sequens, editum est in *Neues Archiv.*, tom. cit., pp. 501, 502. — (2) Alexander rem familiarem optime administravit annis 1198 et 1204 (*Gallia Christiana*, loc. cit. supra). Ejus nomen legitur in chartis hisce annis datis (vid. Devillers, op. cit., pp. 9, 31).

Quem missurus erat vel egeno post vel egenæ.
Sed prior abbatis oculos vitare nequivit.
Qui superingressus quod agebat mox bene scivit.
Territus abbate conspecto, mox prior exit,
Acclinans saccum sub scarino [1] quem male texit.
Ad precis auxilium statim prior ipse cucurrit;
Ecclesiam subiens Dominum pro pace rogavit.
Dumque jaceret ibi supplex, Dominumque rogaret,
Mens subit abbati quod eum non inde gravaret.
Cumque precaretur loculo recubando secreto,
Saccellum posuit abbas cum polline retro
Orantis talos, non visus, et inde redivit.
Completis precibus surgens prior hunc reperivit.
Tunc prior ad domnum Walterum pergit et inquit :
Terreor, erubeo, ratio me pene relinquit :
Me timor abbatis affligit, qui reperit me
Implentem saccum pistrino flore farinæ.
Hunc ad vicinam languenti mittere villam
Dum studiosus eram, subit abbas et vidit illam [2].
Sed vos orate pro nostra pace, beate.
Tunc senior sanctus subrisit et hæc sibi dixit :
Sitis [3] *securus ; non vos res ista gravabit.*
Nec timeatis ob hoc : nihil abbas inde loquetur.
Ut vos conturbet Deus illi non patietur.
Nam tria super vos descendere lumina vidi,
Cum vos orastis hac pro re corde fideli.
Vos non vidistis, sed ego, tria lumina clara,
Quæ [4] *descenderunt supra vos in precis hora.*

Quomodo dabat nummos pauperibus tempore famis.

Temporibus prior iste famis nummos tribuebat
Pauperibus miseris, quos pene perire sciebat.
Quod tamen occulte faciebat, non manifeste,
Tutius esse putans dare cautius et sine teste.
Domnus Alexander erat abbas, quem metuebat.
Conventus oculos etiam vitare decebat.
Denarios igitur tres insimul ipse ligabat,
Inque sinu proprio nodos sub veste locabat.
Quatuor aut quinque nodi quandoque fuere,

[1] scanno *in* Neues Archiv. — [2] (et vidit illam) vidit et illam *in* Neues Archiv. — [3] *cod.* scitis. — [4] *cod.* qui.

Aut plures, si plus de nummis posset habere.
Cumque laborare conventum duceret extra,
Accurrebat ad hunc miserorum magna caterva.
Tunc velut iratus vel habens in mente furorem,
Exterrebat eos conventus propter honorem.
Conventu post hæc operante, redibat ad illos,
Se simulans veluti vellet lapidare pusillos.
Curvans se terræ, tamquam lapidem rapuisset,
Nodum pro lapide jactabat cui voluisset.
Sic aliis alios nodos prior ejiciebat,
Donec ei nodus aut nummus non remanebat.
Quidam de monachis hoc advertere frequenter;
Sed plures alios latuit res acta latenter.

Finis.

Chartula finiet hic de paupere spirituali,
Qui bene pauper erat omni re materiali;
Chartula finiet hic de paupere nobiliore
Moribus et vita, sed corpore debiliore.
Contemnebatur a pluribus ob brevitatem
Corporis ipsius et sanctam simplicitatem;
Non tamen a justis et vere religiosis,
Sed magis a vanis, animalibus et vitiosis.
Spirituale bonum non novit mens animalis;
Nil apparet ei nisi forma superficialis.
Sed virtutes opes vas istud debile gessit;
In vas vile bonus thesaurus sæpe latescit.
Nil nocet argento, nil auro, nilque smaragdis,
Si turpi vilique domo celans ea claudis.
Scrinia picta foris possunt tamen intus habere
Vel res immundas vel eas quæ nil valuere;
Sed decor exterior nihil infert utilitatis,
Si nihil intus habent pretiosæ nobilitatis.
Gloria Werrici stetit intus, non fuit extra:
Quem Domini Christi circumdedit undique dextra.
Calvulus et modicus, gemmas tamen intus habebat,
Quas contemptorum mens cernere nulla valebat.

De cilicio ejus occulto.

Cilicium sub veste latens sæpissime gessit,
Cilicio digna quem nunquam sarcina pressit.

Ordinis asperitas quæ crux satis esse videtur,
Non suffecit ei nisi cilicio tegeretur.

De reliquiis Sanctorum.

Reliquias collo suspensas ferre solebat.
De sancti veste Bernardi semper habebat;
Et plures alias, quas nescio dicere, secum
Oppositas cordi portari censuit æquum.

Tam studiosum in Scripturis nunquam hominem vidimus.

Mortis ad usque dies studiosus non requievit
Quærere Scripturas, quas nullo tempore sprevit.
Semper agebat ita quasi nuper claustra subisset
Et veluti nihilum mercedis adhuc meruisset.
Et quia tam fervens finaliter egit agonem,
Ut reor, æthercam jam tollitur ad regionem.
Amodo jam dicit sibi Spiritus ut requiescat
Et mercata diu cœlestia regna capescat.

***

Cui studium legere semper fuit et meditari,
Inter lectores habet et nunc intumulari.
Ad dextram tumuli sedet abbas, dum recitatur
Lectio moralis; collatio dum teneatur,
Ad lævam residet monumenti qui legit ante.
In medio recubat tumulatus lector et iste;
Undique circa se fit lectio quotidiana.
Quod sepelitur ibi non est occasio vana:
Sic voluit, sic disposuit Sapientia diva.
Sic decuit quod ibi jacuit pietatis oliva.
Nunc neque defuncto sacra lectio deficit isti,
Qui semper legere studuit de dogmate Christi.
Corpus ibi tegitur nobis, in pace sepultum;
Sed felix anima Christi videt, ut puto, vultum.
Jungitur his monachis quos semita religionis
Extulit ad superos, dignos sine fine coronis.
Si tamen ille velit quem nil latet intus et extra,
Credimus his junctum Werricum jam super astra.
Nunc Deus ille bonus qui præmia centuplicata
Reddit in æternum, det et isti regna beata. Amen.

Septimus et decimus annus [1] cum mille ducentis
Dum currebat, eum posuerunt in monumentis.

Explicit vita domni Werrici quondam prioris S. Mariæ de Alna. Qui obiit Nonas Decembris.

LXIII. Codex signatus n° 4526-33.

Foliorum 147, formæ minoris (0^m, 156 × 0, 095), lineis plenis, passim plumbeo graphio ductis, diversis manibus sec. XIII exaratus. Aliquot folia lacera sunt ; tituli ac litteræ majores minio signatæ. In Vita S. Petri litteræ capitales sunt magis ornatæ, imprimis illa quæ prologi facit initium; rudem tamen artificem manifestat. Præter ascetica multa continetur in eo codice

Vita beatissimi viri Petri Tharentasiensis archiepiscopi, edita a domino Gaufrido abbate (fol. 55^r-100^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Maii, tom. II, p. 323-338. — In cod. (fol. 53^r-55^r) Vitæ præponitur mandatum Sedis apostolicæ cum duabus epistolis editis tom. cit., pp. 322, 323, num. 1-3, ac subjiciuntur (fol. 100^v-107^r) epistolæ editæ ibid., p. 345-348.

LXIV. Codex signatus n° 4564-68.

Foliorum nunc (nonnullis excisis post 21 et 26) 45, formæ minoris (0^m, 158×0, 11) lineis graphio plumbeo ductis, partim plenis, partim (fol. 27^r-33^r) in binas columnas divisis, diversis manibus exaratus seculo XIII. Tituli nonnulli minio signati, itemque litteræ quædam initiales, una tantum cærulea.

Folia insiticia tria, quorum unum in capite, duo ad calcem codicis inserta sunt, exhibent fragmentum diplomatis dati mense februario anni 1229 in gratiam ecclesiæ S. Petri Lugdunensis.

Fol. 1^r in margine superiore adscripta legitur hæc nota : *Collegii Societatis Jesu Brugis;* et rursus in charta tegumento interius adhærente : *Collegii Societatis Jesu Brugis in Flandria, commodatus R. P. Petro Francisco Chiffletio, remittendus Antverpiam ad P. Joannem Bollandum.*

[1] annis *in* Neues Archiv.

Unum tantum in codice continetur opusculum hagiologicum, videlicet :

Vita beatæ Katerinæ (fol. 34r-44v).

Contracta ex Passione quæ indicata est in *Anal. Bolland.*, tom. I, p. 502, 69°.

LXV. Codex signatus n° 4774-79.

Foliorum 141, formæ mediocris (0^m, 277 × 0, 19), columnis binis, lineis graphio plumbeo ductis, exaratus exeunte seculo XII. Superior pars foliorum incendio exesa est. Tituli minio signati sunt, itemque ut plurimum numeri et litteræ initiales capitulorum; nonnullæ tamen harum litterarum viridi colore depictæ. Fol. 1r ac 133r conspiciuntur litteræ capitales magis ambitiose ornatæ.

Folio insiticio in capite codicis, majori parte ex industria exciso, inscripta legitur hæc nota : *[Liber Sanctæ] Mariæ de Villari in Brabantia,* quæ et repetita est in margine inferiori folii ultimi.

Unum rursus continetur in codice documentum hagiographicum, videlicet :

Liber gestorum Barlaam et Josaphat, servorum Dei, editus græco sermone a Joanne Damasceno viro sancto et erudito (fol. 1r-118v).

Translatio diversa ab ea quæ edita est apud Migne, P. G., tom. XCVI, p. 859 sqq. Prologus in codice desideratur. Inc. *Cum cœpissent monasteria construi ac monachorum congregari multitudines...*

LXVI. Codex signatus n° 4797-99.

Constat quaternioribus nonnullis involucro chartaceo contentis, formæ minoris (circiter 0^m, 25 × 0, 19) quos misere depasta est incendii flamma. Inter documenta in his quaternionibus, partim lineis plenis, partim columnis binis, diversis manibus seculi XII descripta, legitur

Vita S. Pachomii abbatis Tabennensis.

Edita apud Rosweydum, *Vit. Patrum,* p. 111 sqq.

LXVII. Codex signatus nº 4815-18.

Foliorum 126, formæ minoris (0^m, 223 × 0, 13), lineis plenis plumbeo graphio ductis, exaratus seculo XII. Tituli rubricati sunt, uno excepto : qui præponitur Vitæ S. Pauli. Capitulorum distinctio notatur numeris identidem rubricatis, ac majoribus litteris ejusdem coloris sed artis rudioris. Ad calcem folii insiticii adscripta legitur hæc nota : *Liber Sanctæ Mariæ de Villari.*

Præter Pastorale S. Gregorii Magni, editum apud Migne, P. L., tom. LXXVI, continentur in eo codice :

1º Actus sanctæ Mariæ Egiptiacæ et pœnitentia et transitus ejus ad Christum (fol. 104^r-117^r).

Vita auctore Sophronio, edita apud Rosweydum, *Vitæ Patrum*, p. 382-392.

2º Vita sancti Pauli primi eremitæ (fol. 117^v-121^v).

Vita auctore Hieronymo, edita ibid., p. 17-20.

3º [Vita sancti Malchi captivi monachi] (fol. 122^r-125^r).

Vita auctore Hieronymo, edita ibid., p. 93-96.

4º Vita sanctæ Eufrosinæ virginis (fol. 126^r-126^v).

Fragmentum Vitæ editæ ibid., p. 365 sqq.; scilicet cap. I-IV, cum parte cap. V, quod abrumpitur in verbis *habere digneris ut mereatur.*

LXVIII. Codex signatus nº 4877-86.

Foliorum 145, formæ minoris (0^m, 165 × 0, 10), lineis plenis (præter folia 113^r-119^r, quæ columnis ternis synonymorum congeriem exhibent) graphio plumbeo ductis, diversis manibus exaratus seculo XIII. Quædam tamen folia, prius vacua relicta, compleverunt postea librarii posterioris ævi, etiam seculi XV. Tituli et pleræque litteræ initiales singulorum capitum minio signata sunt.

Ad calcem ultimi folii adscripta legitur hæc nota : *Liber Sanctæ Mariæ de Villari in Brabantia.*

Unum tantummodo in eo codice continetur documentum hagiographicum, videlicet :

Visio domni Petri abbatis Igniacensis, postea abbatis Clarævallis (fol. 126^r-127^v).

Fragmentum Vitæ B. Petri Monoculi editæ in *Act. SS.*, ad d. 29 Oct., tom. XIII,

p. 68 sqq., nimirum num. 25-30, in quorum ultimo abrumpitur narratio in his verbis *ad grangias domus nostræ.*

LXIX. Codex signatus n° 4961.

Foliorum 32, formæ minoris (0m, 149 × 0, 096), lineis plenis graphio plumbeo ductis, exaratus sec. XV. Fuit olim *Carthusiæ Capellæ* (scilicet Sanctæ Mariæ apud Angiam, gallice *Enghien*), quod notatum est fol. 32v.

Passio beatæ Katerinæ virginis et martyris (fol. 1r-31v).

Ea est Passio de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 502, 69°. — In cod. nihil desideratur.

Ad finem (fol. 32v) legitur hic hymnus :

Gaude, virgo sponsa Christi,
Quem videre meruisti
Vivens, Dei Filium.

Gaude, quia convertisti
Sapientes quos traxisti
Tecum ad martyrium.

Gaude, virgo Deo plena,
Nam, rotarum fracta pœna,
Non sentis supplicium.

Gaude, flos virginitatis,
Quæ in signum castitatis
Lac fundis mellifluum.

Gaude, quia vox amœna
Cœli patet et serena
Ad tuum naufragium.

Gaude, nam suavitatis
Liquor manat, qui dat gratis
Salutis subsidium.

Gaude, virgo et athleta,
Post * tormenta transis læta
Ad cœli palatium.

Fac nos hic ita vivere
Ut post mortem lucis veræ
Sortiamur gaudium.

* *cod.* Quæ post.

Ant. O cœlestis regni rosa,
Katherina generosa,
Quæ probata velud aurum
Coram Christo defers laudem.

℟. Esto nobis medicina,
Veneranda Katherina,
Ut tecum laudis jubilum
Simus canentes in cœlum.

Oratio. Ineffabilem misericordiam, Domine, suppliciter imploramus, ut sicut liquor qui de membris beatæ Katerinæ virginis et martyris jugiter manat, langui-

dorum corpora sanat, sic ejus oratio cunctas a nobis iniquitates et infirmitates expellat, et ad vitam æternam perducat.

LXX. Codex signatus n° 5333-35.

Foliorum 201, formæ minoris (0^m,21 × 0,16), quæ nullis numeris notata sunt, lineis plenis, stylo ferreo ductis, nullis ornamentis, exaratus seculo XI (præter folia duo cum dimidio). Fol. 1^v adscripta est hæc nota litteris rubricatis : *Liber ecclesiæ sancti Petri Gemblacensis.*

Totum fere codicem complet Lucani Pharsalia. Ad calcem in paginis vacuis (fol. 200^v-201^r) descripsit manus seculi XII brevem relationem translationis S. Jacobi, quam, quia nusquam editam reperimus, visum est hic integram exhibere.

TRANSLATIO S. JACOBI IN HISPANIAM.

1. Nemo putet quod iste sit Jacobus qui cognominatus est Alphei et Justus, qui a phariseis de pinnaculo templi est præcipitatus et cum pertica fullonis capite confractus, et juxta templum humatus. Sed iste est Jacobus, filius Zebedæi, frater beati Joannis apostoli et evangelistæ, qui jussu Herodis tetrarchæ capite est truncatus in Jerusalem et inibi humatus.

2. Postea vero discipuli ejus collegerunt ossa et deportaverunt ea usque ad mare, posueruntque illud in navicula et simul cum eo introierunt in mare. Sex autem dies navigantes, iter fecerunt per mare sine remigio, manu Dei eos gubernante. Septima namque die requieverunt ad littus maris inter Ulia et Saram, in loco qui dicitur Iria, inter duos rivos qui dicuntur Bisra. Cum autem sol declinare cœpisset, sic inde levatum est sanctissimum corpus ejus. Discipuli flendo et indulgentiam Domini petendo, elongaverunt se duodecim millibus, ubi sanctissimum corpus ejus tumulatum est sub arcis marmaricis. Discipuli autem, qui cum eo mare introierunt, fuerunt VII.

3. Erat tunc tempore illo quædam mulier, nomine Luporia, manens in extremis finibus Galatiæ. Hæc itaque Deum nesciebat et idola manu hominum facta colebat. Habebat autem idolis suis magnum habitaculum, in quo corpus beati apostoli Jacobi modo requiescit. Venerunt autem discipuli apostoli ad supradictam mulierem et petierunt ab ea locum illum, ut ibi reconderent corpus beati Jacobi. Illa autem noluit, sed direxit eos ad regem qui tunc illud imperium tenebat. Luporia autem recessit super oram maris in montem qui Luporius vocatur. Discipuli autem apostoli venerunt ad regem et constanter introierunt ante regem, petieruntque ut concederet eis supramemoratum locum. Rex autem ut audivit hos sermones, iratus est valde nec adquievit sermonibus eorum, sed jussit eos interfici,

quia gentilis erat. Illi autem ut cognoverunt insidias ejus, fugerunt a conspectu ejus sine ulla læsione, revertentes per viam qua venerant.

4. Rex autem ut cognovit quod fugissent, magis iratus est; et statim insecutus est eos multitudine militum usque ad fluvium Zare, ad portum qui vocatur Mariæ, cupiens eos ibi interficere. Erat autem ibi fons antiquitus constructus et magnis lapidibus muricis crypta valde fortis. Et ingressi sunt discipuli apostoli in eam, sed non fecerunt ibi moram ; sed velocius inde pertransierunt. Rex autem et qui cum eo erant venerunt ad memoratum fontem, et omnes una illuc introierunt. Placuit autem Domino et apostolo Jacobo, et ruit crypta super regem cum suis, nec remansit unus ex eis, et nusquam comparuerunt.

5. Discipuli autem apostoli reversi sunt illæsi, glorificantes Dominum. Et iterum venerunt ad memoratam mulierem, et petierunt ab ea locum illum, ut ibi reconderent corpus beati Jacobi apostoli. Illa autem noluit; sed cum vidisset eos flere, dixit : *Ite in montem qui Illicinus dicitur, et apprehendite boves meos, et quod volueritis, laborate cum eis, et facite domum apostoli vestri.* Erat autem ipse mons non longe ab eo loco ubi modo requiescit corpus beati apostoli. Et erat ibi draco immanissimus, qui cunctas in gyro villas flatu suo extinxerat et inhabitabiles fecerat.

6. Cum autem discipuli apostoli subissent in montem illum, sibilavit draco et impetum fecit contra sanctos. Illi signum crucis facientes et nomen Domini invocantes, effugaverunt draconem, et nusquam comparuit. Post hæc requirentes boves, invenerunt eos exorbitantes, et fugerunt eos, quia indomiti erant. Discipuli autem apostoli cum cognovissent quod illusi essent a muliere Luporia, orationes fuderunt ad Dominum. Boves quoque per merita Jacobi apostoli adquieverunt; et veluti jugarios cum mansuetudine illos eduxerunt quocumque voluerunt. Deinde reversi sunt ad mulierem Luporiam et intimaverunt ei de dracone et de bobus.

7. Luporia vero audiens tanta mirabilia, quod rex cum exercitu suo in profundum demersus esset, draco evanuisset, boves mansueti facti essent, compuncta corde credidit et gratiam baptismi cum omni domo sua per manus supradictorum discipulorum consecuta est. Postea autem, ipsa præcipiente confractis omnibus idolis, emundatus est locus ille atque in honorem Domini et apostoli ejus consecratus, et ibi honorifice corpus apostoli est reconditum VIII Kl. Augusti.

8. Unde et tres discipuli ejus in eodem loco habuerunt sortem et ibi requiescunt, qui flatum draconis extinxerunt et argumenta ejus dirruperunt et boves edomuerunt et adduxerunt de monte, qui ab initio vocatus est Illicinus, nunc vero vocatur mons Sacer. Nomina autem discipulorum : unus Torquatus, alter Tizephon, tertius quoque Anastasius. Ibi requiescunt prope locum sancti Jacobi, apostoli Domini nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria, virtus et potestas in secula seculorum. Amen.

LXXI. Codex signatus n° 5339-42.

Foliorum 148, formæ minoris (0^{m},24 × 0,16), lineis plenis (præter pauca folia ubi carmina columnis binis disposita sunt) stylo ferreo ductis, exaratus seculo XI. Nulla ornamenta, nisi quod tituli et multæ litteræ initiales minio sunt signata.

Nulla quidem nota indicatur cujusnam monasterii fuerit; sed facile ex comparatione cum aliis codicibus hujusmodi nota insignitis apparet et hunc codicem fuisse monasterii Gemblacensis.

Continet autem carmina multa Aurelii Prudentii, inter quæ *Peristephanon*, editum apud Migne, P. L., tom. LX, p. 275 sqq.

LXXII. Codex signatus n° 5354-61.

Foliorum nunc 90 (quæ, præter octo priora, numeris notata non sunt), formæ mediocris (0^{m},27 × 0,20), columnis binis, lineis stylo ferreo ductis, exaratus seculo XI. Tituli capitalibus vel uncialibus litteris signati et (usque ad fol. 65^{r}) rubricati sunt; ceterum nulla ornamenta.

Codicem olim fuisse Musei Bollandiani, indicant nota ✠ MS 94 et altera *Collegii Societatis Jesu Antverpiæ D. P.* in ejus capite inscriptæ.

Continet præcipue carmina Venantii Fortunati prout eadem edidit anno 1881 Fridericus Leo inter *Monumenta Germaniæ historica* (*Auctorum antiquorum*, tomi IV parte I), hoc tamen codice non adhibito. In quo desiderantur : a) Ob excisa duo folia post fol. 3, finis carminis ii libri I (a versu 10 med.) et quæ sequuntur usque ad versum 17 carminis xiii (Ed. p. 8-15); b) Carmen v libri II (Ed. p. 32), cujus loco legitur epistola Alcuini ad Eligium episcopum, non eadem manu exscripta quæ præcedentia et sequentia descripsit; c) Epistola ad Syagrium (Ed. p. 112), cujus tantum inscriptionem et duo prima verba descripsit librarius, reliquo folio (id est ex quatuor partibus tribus) vacuo relicto; d) Versus quinque subjecti carmini acrostichico ad Syagrium Augustodunensem (Ed. p. 117); e) Finis (a versu 13) carminis xxvi libri XI (Ed. p. 269-270); f) Appendix carminum (Ed. p. 271-292); g) Epistola ad Gregorium papam in capite Vitæ S. Martini (Ed. p. 293-294). — Denique, præter versus 1-31 hymni in laudem S. Mariæ (Ed. p. 371-372), desunt reliqua spuria (ibid. p. 372-386).

Ad calcem codicis adjuncta sunt Aurelii Prudentii hymnus de S. Eulalia (ed. ap. Migne, P. L., tom. LX, p. 340) et Alexandri quæ ferebatur epistola ad Aristotelem de situ Indiæ.

LXXIII. Codex signatus nº 5374-75.

Foliorum nunc 140 (nam initio mutilus est), formæ minoris (0m,23 × 0,17), lineis plenis stylo ferreo ductis, nullis ornamentis, exaratus seculo IX. Etsi autem nulla adscripta nota indicetur codicis antiquum domicilium, ex tota ejus facie manifestum est eum pertinuisse quondam ad cœnobium Gemblacense.

1º [Vita sancti Eligii] (fol. 1r-130r).

Vita auctore S. Audoeno, Rotomagensi episcopo, edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 479-592. — Initio mutila est in cod. ob folia excisa ; incipit enim cap. xv ab his verbis : *Eligio concessum toto nisu atque conatu...* Ad calcem Vitæ legitur epistola Audoeni ad Rodobertum cum ejus responso, ut in editis p. 592-594.

2º Alterius manu conscripta vita sancti Eligii rethorice atque commatice expolita, lib. III (fol. 130r-140v).

Inedita, ut videtur : unde jam subjicitur.

Incipit alterius manu conscripta vita sancti Eligii rethorice atque commatice (1) expolita lib. III (2).

Innumeros homines sublimia facta ferentes
et virtutes in tempora honos frequentat*[1] longinqua :
Quorum famam laudesque poetæ plectro ingeniis nectentes,
ficta mendacia diversis carminibus aptant.
Quod si pravi gentiles Deoque qui Domini rebelles
tamque[2] longa in ævum meruere carmina vatum,
eorumque si vana tantum discurrat gloria,
adest et nobis fides certa digna Christo narrare gesta.

* *Contulimus hunc textum cum apographo codicis monasterii Rubeævallensis quod servavit nobis cod. Brux.* 8961-62. *In margine autogr. legitur hæc nota manu Heriberti Rosweydi :* Scripta Vita sec. IX. Vide in fine ubi Vitam alteram citat per Dadonem i. e. Audoenum scriptam, et rationem dicit cur hæc ita composuerit. Sigebertus et Molanus et Surius putarunt hunc esse tertium librum Audoeni de vita Eligii. *Apographum signavimus numero* 2; cod. Brux. 5374-75 *numero* 1. — [1] *ambo codd.* frequentant, *sed in* 1 *littera* n *supra lin.* — [2] tamquam 2.

(1) Commaticus, versificator, *ait Isidorus.* Glossarium. *Cfr. Du Cange.* — (2) *Vita quæ præcedit in cod. in duos libros divisa est. Hanc autem quæ in cod. sequitur quamque hic edimus, fecit librarius esse Librum III.*

Jamdudum cogito, fateor, aptare carmine plectro :
sermone tandem vel tenui acta narrare Eligii.
Nitor arripere modo opus olimque optatum :
conor componere novam canendi congruam lyram.
Ex multis audaci sensu perstringere pauca relatu :
vix animis committo potentem meis carpere tramen.
Opto quoque ut sanctificus adsit narranti Spiritus
puroque inriget ut mente canentis pectore amne.
Igitur quisque sanctissimi requiris vitam Eligii,
pone hic supercilium, hinccine sumis exemplum.
Non quæras hic aut fumos Donatistarum vanissimos :
attentus esto plus animo quam extolle [1] verbo.
Nunc jam ingrediens pauca nitor perstringere acta :
quis vero explicet cuncta ? nec centum si habeat ora [2].
Tentabo ergo stupidis tangere corda [3] digitulis,
cum mihi non suppetat gurdus [4] in arte hujuscemodi [5] manus.
Scabrida insuper verba resonat rubigine lingua :
erumpit vix et incomptus raucus ab ore sonus.
Vix quippe dabit in veteri ferrugine cutis acumen :
sed amor dulcis Eligii cogit utcumque me fari.
Quamquam ardua transmisse jactet mente pergentis,
dulcedo tamen adpulsans [6] plus quasi malleus instat.
Idcirco celeri volatu adgrediar, jamque propositum
comitante nunc voto properabo inpiger gressu.

Fuit igitur in diebus Lotharii [7] regis venerandus
speculum vocitatus sui nominis Eligius.
Hic christiana prosapia seculariter natus,
Aquitaniæ [8] Galliæ originaliter genitus,
Lemoveceno in cespite liberaliter ortus,
cujus quondam præsagium mater sensit desursum.
In diebus antefati Francorum regis Lotharii,
de cunabulis eductus cautisque moribus alitus.
Ævum dein adolescentiæ gerens, immoque strenuæ [9] habens
serpentis prudentiam simplicitatemque columbæ,
Fabrili arte adultus insigniter jam inbutus,
honorabilem se ex moribus suis reddebat adfinibus.

[1] *ita* 1, 2 ; *forsan pro* extollere ? — [2] *cod.* hora. — [3] *sic ambo codd. pro* chordas. — [4] *i. e.* obtusus, imperitus, *veteri idiomate gallico* gourd, *unde* engourdi. *Supplendum ergo* nonnisi *vel legendum* mihi gurdo ; *nisi accipiatur* gurdus *in bono sensu. Cfr. Cangium.* — [5] *ambo codd.* hujuscemi. — [6] appulsas 2. — [7] Clotarii 2, *et mox iterum.* — [8] *cod.* Aquataniae. — [9] strennue 2.

Post nec [1] longa spatia, relicta urbe et patria,
cognatis et lare propria, secessit extera terra,
Sedibusque externis exulavit pluribus annis;
armatus virtute Christi, adversa æquanimiter tulit.
Tenens mente præceptum Domini Christi verissimum,
pollicens veras qui justis sublimi in vertice sedes :
Hic quicumque sui caros linquet [2] parentum affectus,
centiplicata capiet atque vitam perennem.
Hæc [3] jugiter angustam volvens pergebat per orbitam,
declinans sane [4] præruptum iter caliginis atro.
Humiles semper diligens, mitibus se conjungens,
carum se omnibus reddens, essent qui Christo fideles.
At contra, superbos pugnaci mente rebelles,
potenti fide armatus, respuebat ceu ut cænum.
Erat ergo [5] Eligius robore corporis validus,
animoque fortissimus habituque conspicuus.
Natura utique lenis, ingenioque alacris,
conscientiæ viribus fretus, manu etiam promptus.
Qui si cerneret proprium delictoque commaculatum
fratrem, moxque secreto dictis corripiebat solum,
Oculumque alterius purgare elaborans, prius
deripiensque sed proprio pravo de lumine tignum,
Subditus semper Deo sectabat monita patrum,
dilatans [s]e in bonis operibusque eximiis.
Si quis ad se peregrinus adventasset vel monachus,
replebatur collata ex cœlo sibi lætitia.
Inter cetera obsequia, hora congrua adventa,
aqua lavans parata lassabunda vestigia.
Cotidieque uberius augmentabatur in melius,
undique colligens pauperes, benigne cunctos refovens;
Præbens obsequia feniis [6], lavansque capita singulis,
squalida ora [7] mulcens osculoque blando suscipiens;
Dein conpositis sellulis, aquam manibus fundens,
ipseque cibum adponens, poculum ipse præbens.
Sic vir Deo devotus totis corporis nisibus
omnibus Christi visceribus famulabatur ut servus.
Idemque ulcera cicatricum more fovens evangelico,
oleoque perfuso [8] mulcebat morbi contagium.
Sed inter hæc hoc mirandum, unde tot thesauri peregrino,
ut jugiter ministraret uberiusque et [9] habundaret.

[1] nunc 2. — [2] relinquit 2. — [3] Hic 2. — [4] *ita* 2; sanæ 1. — [5] igitur 2. — [6] *i. e.* pauperibus. *Cfr. Cangium v.* feneus, fœneus. *In* 2 feminis. — [7] *cod.* hora. — [8] perfusa 2. — [9] et *deest in* 2.

Apud quem vox egeni numquam inaniter sonuit,
nec ipse surda quemquam aure clamantem quondam præteriit.
A cujus largitate positi nec longe [1] abssentaverunt se monachi :
et sicubi pede ire non poterat [2], misso munere circuibat.
Quoties linteum vel pallium aut quodcumque opificium
in manu ejus venisset pulchrum, mox dirigebat loco sancto.
Et illud qua pietate prævidebat [3] sollicite
ut, quæ construxerat cœnobia, nullam paterent [4] indigentiam.
Hoc quoque, quam prudenter cœlo pulsaret inhianter,
quis modo aut sermone narrare valeat digne?
Is [5] inter epulas optimatum more trium puerorum
legumina sibi frugum vindicabat in cibum.
Induebat cilicium ad carnem, utique asperrimum,
desuper veste optima, dulci portans in sarcina.
Idem nocturno tempore arciens [6] membra mollimine,
jacebat humi prostratus, frigore geluque vallatus.
Plerumque solo cilicio strato in pavimento,
hoc reputabat pro lecto, ex consuetudine noctu.
Totaque carne præmortuus, insistebat attentius;
non curans corporis tormento [7], mens intenta Olympo.
Illud vero quis dicat, quisve audiens credat,
qualiter tota instantia se in oratione mactabat,
qualiter tamquam præsentis pedes Domini lambebat,
quantoque amoris ardore cœlum suspiciens fleret?
Aut quæ oratio poterit explicare cuncta per ordinem,
quantum proficeret jugiter ad tempus semper in tempore?
Qui semper futura sitiens [8] præsentiaque refellens,
antea pene carne carens, quam caro meta ruens.

Inter hujusmodi acta quæ nunc prædixi magnifica,
diligebatur a rege quasi filius unicus.
Nam quidquid ei poscebat protinus impetrabat;
nec erat grande vel parum, quod non haberet effectum.
Quicumque etenim pro culpa ut adsolet quam nefanda,
mortis lata sententia, traheretur ad pœnam,
concurrebat per proceres sanctus vir et optimates,
ut deputatum tormentis arceret reum periclis [9].
Prostratus pedibus regis inprecabat cum lacrimis,
quo pietate permotus revocaretur moriturus.

[1] *junge* longe positi. — [2] *ita* 2; *cod.* poterant. — [3] providebat 2. — [4] paterentur 2. — [5] His 1, 2. — [6] *ita perspicue* 1, 2; *intelligendum forsan* arcens, prohibens. — [7] tormenta 2. — [8] *cod.* stiens. — [9] *cod.* pereclis.

Cujus blandissima verba ita mulcebant regis [1] viscera,
ut unde processerat sors mortis, inde mox curreret vox salutis.
Præter ista quæ dixi aliaque quamplurima,
ita se egit intonsus, ut esset merito jam sacerdos.
Celsa denique fide promeruit dignus honore,
gentibus ut pastor foret, præsul credentibus esset.

Nam post annorum cursum plurimorumque decursa,
Christi nutu adtonsus, consecratur sacerdos.
Ecce Dominus humilem levat de stercore pauperem,
et facit celsum egregias intersedere catervas.
Exin [2] Francorum jam rura sanctam serens doctrinam,
milesonis [3] quoque plectris præsentia munera Christi.
Tractanti sedule in cœtu digna adhæret miratio,
de præsulis namque verbis, senibus et effœbis.
Sic pastor bonus obsequiis plebem jugiter monens,
ad proprium semper trahens [4] nectebat [5] amorem omnes.
Vocis apostolicæ rures pio dogmate implens,
cursibusque assiduis dulce opus revolvens,
Flagranti studio villas, domus plebemque inrigans,
certatimque cunctos monet ire Olympo quis prior velit.
Sollicitus [6] etiam quemquam ne devoret luporum ira,
collegit ad caulas omnes pastor providus oves.
Assiduis monitis vocans, ad pascua vitæ invitans,
excitat segnes animas alto sopore depressas.
In vultu et ore solers, modestiam plebi prætendens,
ad deponendas cæni maculas clamore indefesso vocans.
Fluminis ut liquidi optata miranda caperent lavacra,
et quique jam essent tincti adsequerentur pœnitentiam.
Corrigebat anfractus linea itineris actus,
ex baptismo et pœnitentia pollicens aboleri peccata.
Instruens quoque stratas sublimi judici amplas,
semitasque quas Christi digne vestigia inhabitent.
Supplicia cunctis gehennæ [7] virtute monstrans vitare:
Facite, inquiens, *fructum si tandem pœnitentiæ aptum.*
En, infit, *Filius* [8] *hominis veniet Patrisque ministris*
stipatus, celsa judex in sede paterna.
Justos dehinc secernens labe malorum ab hædis,
dextra in parte libens collocabit ovantes.

[1] rei 1, 2. — [2] Exinde 2. — [3] mellesonis *et in marg.* millesonis 2. — [4] trahent 1, 2. — [5] nectibus 2. — [6] *ita* 2; *cod.* sollicitos. — [7] *cod.* gehenae. — [8] *cod.* flius.

Tunc jam vitæ secundæ adest reparatio læta,
non thalamo sponsa anxia, non tetra gaudia [a]eque [1].
Sed similes hi beatis, Christi juxta ministros,
fulgebunt gloria magna regni sublimis in aula.
Erit quoque jam gloria justis et pœna malignis :
utrisque suis pro meritis justissimæ retributiones.
Hæc monita Eligius serebat assidue plebibus,
seque magis operibus exercebat bonis enixius.
Vallatus undique serie, digno parebat honore :
decebat namque ut talem Christi haberet antestitem [2].
Inde nam sacerdotum, leviticus hinc micans ordo :
medius utrosque Eligius decorabat sacerdos.
Regens inde juvenes, hinc surrigens [3] senes :
hos gradiendo [4] movens moderando et illos trahens.
Ipse tamen sic sensim incedebat, ut Aaron alter,
non de veste nitens, sed immo sanctitate refulgens.
Iste satis melior veteri quam legi [5] sacerdos,
hic quia vera colit, umbra prius quod fuit.
Is [6] omnia legitime solemni cura peregit,
non minus [7] exemplo, Christi virtutis imago,
Multoque diversis agmen [8] partibus orbis
progenitus cœli regnum vocabit sublime.
Idem sic longo [9] jejunio satiabatur cum luctu,
ut quis repletus deliciis vel suavibus cibis.
Pervigiles isdem noctes ad prima crepuscula jungens
gressibusque exertis proposita cœpto persistens,
Vim factura Olympo acuens arma nisu,
staminaque psalterii texens cum modolamine.
Angore seculi gravem sustinebat valde mœrorem
eatenus sed pene mortis somnum depellebat segnem.
Voce creantis revolvens hos esse beatos quos vigiles
Dominus, dum venerit, videt, secumque in regnum adsumit.
Hæc secum crebro revolvens, noctes agebat pervigiles,
ne raperet seque horrida fœdus hora fur ignota.
Orans [10] et ideo intente Christum cuncta regentem :
Tua, dicens, *monita* [11] *mea de sorte voluntas.*

[1] *cod.* gaudiaeque. — [2] *intellige* Vallatus serie (*i. e.* caterva), parebat cum eo honore qui dignus erat. Decebat namque Christi antestitem ut talem haberet. — [3] *cod.* subrigens, *sed sub littera* b *punctum delens. Intellige quasi* suberigens. — [4] *cod.* gadiendo. — [5] *sic* 1, 2. — [6] His 1, 2. — [7] *sic prius* 1 ; *post corr.* nominis *ut in* 2. — [8] agmine 2. — [9] *ita corr. ; prius* longa 1 ; longa 2. — [10] Orabo 1, 2. — [11] *sic* 1, 2 ; *forsan pro* non ita.

Cujus nimirum quæ gesserit si quisquam cuncta percurreret,
ipsum tam confessorem prædicaret quam martyrem.
Cujus etiam bonum si conscribatur in unum,
verborum nam largitate inmensum aptat volumen.
Attamen ex multis pauca narrabo perplexis :
corporis explendi [1] dono membrorum postulat ordo.
Hic nempe tales in tempore res laudandas peregit,
ut quoque suum post obitum miracula clara micarent.
Idola namque subruit, templa nefanda destituit :
merito ob hoc talem tulit actus honorem.
Quique tanta pro fide, pro magno miroque opere,
Dei armatus virtute, mira gessit in corpore.
Illo vero sub tempore tentabo fari quod egerit :
pauca pangam de multis utilitatem ob legentis.
Poscenti pravato [2] cuidam duo capitis lumina,
ad crucis signum diu clausas reseravit sub fronte fenestras.
Una carpebat dierum [3] nobiliter comitatu,
cum turba quoque fortuitu fit ei obvia pauperum.
Inpertiri ilico potum jubet pauperum cœtu
ex vino flasco [4] exiguum quod continebat falernum.
Actum dein miraculum ex Dei præferens donum,
cum ex vini pauxillum potatis non defecit merum.
Simillimumque et illud actus [5] tulit miraculum ;
cum in apoteca vel peno [6] exundans [7] aluit baccum [8].
Nam ex meritis sancti succrescens liquor falerni,
vasculum pene vacuum fit in crastino refluum.
Splendeat jam et aliis virtutis gloria factis :
præteriensque sed forte partes lustrat provinciæ.
Occurrit ei repente quidam nimis truci mente
vesanique spiritus obsidione captivus.
Imperat mox Eligius mentem linquere hujus,
statimque stupidum linquit pectore dæmon,
Inseratur et operi res tam digna memoriæ :
una tantum ex plurimis quæ contulerit clodis.
Quidam æger horrenda confixus viscera tabe
decumbebat nam claudus, in pavimento artatus.
Hujus manu porrecta purgavit lurida membra,
confestimque morbus mortem, morbidus accepit salutem.

[1] *cod. prius* explendo. — [2] privato 2. — [3] *littera* i *supra lin.* — [4] *constat ex Vita auctore S. Audoeno (cap. XXV) vocem hanc hic adhiberi in sensu* flasco, flasconis, *i. e.* lagena. — [5] *intellige* precibus coactus. — [6] penu 2. — [7] *forsan legendum prius* ex undas *pro* ex undis. — [8] Bacchum 2.

Soliditatem et[1] insuper[2] elemosinam tribuit;
incolumi jam dehinc celare gaudia jussit.
Adjiciatur et illud quod contigit miraculum,
quod reis contulit bonum, erutos mortis periclo.
Præteriens nam sed[3] claustra forte ergastuli tetra,
orante ilico ostia patescunt sancto et vincla.
Est et in rebus minimis magna gloria Creantis:
imperaverit fructiferæ nuci indicabo quo ordine.
Stabat ecce aut[4] mediis sublimis frondea in arvis,
referta nucibus optimis, quibus inhibetur vescendis.
Olli conversus Eligius: *Arescat in te*, inquit, *fructus*,
nullumque herus subsidium ex te percipiat in ævum.
Post dictum viduata suis arbusta aruit succis[5],
et siccis demum medullis permansit mortua ramis.
Hæc nec nempe[6] inmerito Eligii comitata sunt verbo,
qui Christi semper commonentis meminerat fidemque tradentis.
Quæcumque robusto, inquit, *fides pectore poscit*,
credentum et digna semper virtute mens obtinebit.
Idem semper condigna Christi secutus præcepta,
pro insignibus gestis meruit præmia digna.
Membra sanctorum namque cura sub grandi quæsivit;
ita nemo supra ac post nec taliter egit.
Fuit salus orfanorum redemptorque captivorum,
consolator debilium, munerator largus egenum.
Pater peregrinorum pius, defensor pauperum providus,
omnibus quippe largus, sibique soli restrictus.
Distribuit omnem miseris sui substantiam juris,
jejunis tribuens cibum, sitientibus haustum,
Hospitibus præbens tectum, nudis largiens amictum,
captivos solvens servitute, ægros refovens in carne.
Ubique ibat ob merita magno vulgatus exemplo,
fama circuiens, tota residens sub sidera secla.
Docebat singulos castam tandemque agere[7] vitam:
placebat patriæ principis et dogmata universis.
Semperque circumspeciens, divina jussa perficiens,
linguæ valde nectareos profundens tramite sensus.
His pro talibus actis quibus fruatur nunc bonis,
nec valet mens comprehendi, nec valeo ego quippe fari.

[1] et *in marg.* — [2] *erasum diceres* et *post* insuper. — [3] *ita perspicue in cod., sed forsan mala lectio pro* secundum. *In* 2 namque. — [4] *cod.* aut, *at occurrit in fine lineæ, et censendus est librarius oblitus esse apponere signum pro* em. — [5] *erasa parte postrema vocis, nunc* sucis. — [6] *cod.* mempe. — [7] augere 1, 2.

Quique omnia de Christo per Christum cuncta locutus,
fidelis namque ut servus mansit semper sollicitus.
Nec dubie quin substantiam in cœlo percepit illam
quæ Christo pie conlata datur sub pauperis forma.
Cum jam venerit ultima rationis dies pro talentis,
tunc ecce capiet digna Eligius meritis præmia.
Reddet utique tunc credita Christo mercanda pecunia,
seque geminasse dona olli concredita monstrat.
Recipietque pius decies millena talenta ;
constitutus perpetua regnat in multis sic gloria.
Æquabitur quoque solidis viro fundamina saxis
ponentique libratam torrentibus larem inlæsi.
Lætabiturque indepta æternæ lucis tentoria,
his similibus mitis [1], quos mansuetudo coronat.
Illum laudat herus, committens potiora muneribus
tantæ qui rebus commulatæ sortis habundat,
Dicens : *Huic detur possessio ampla uberior,*
inveni quem duplis commulas [2] *talenta lucris.*
Huc veniat athleta, jam olim debita sumat :
bona quippe Patris quæ sunt mundi æqua nitentes.
Namque fameses summe gratis quondam refecit :
potu etiam mihi sitim sæpe removit.
Hospitiumque domus patuit mihi vocato,
et nudus hujus vestis blandissima tegmina sumpsit.
Carceris in [3] *pœnis hujus solatia cepi* [4] *:*
nec famis oppressum dira ditione notavit.
Hæc mihi in meis jugiter tribuit membris :
testor quod fecit et mihi quod [5] *minimis fecit.*
Idcirco promissum non differo reddere fructum :
concessa ex hoc æterna manebunt eidem præmia.

Longius sed qui verbis exivimus, nunc ad tramitem redeamus :
cedamus ad tempus loco qui immorari pridem.
Igitur Eligius virtutum mole ornatus,
proficiebat uberius diebus namque ex diebus.
Constantque cujus multa istic quæ gessit magnifica,
quæ, nec si ferrea ora essent, expleret aut lingua.
Postque cuncta peracta, cum jam rediret ad patriam,
hæc verba extrema fundebat poscens in hora :
Nunc, nunc me famulum Dominus, nunc pius liberat artis
corporisque e vinclis, finemque imponit laboris.

[1] *intellige* similis mitibus. — [2] *intellige* cumulantem. — [3] et 1, 2. — [4] *cod.* coepi. — [5] in 1, 2.

Sicque trahens animam per gaudium suspiriis mixtam [1],
sub pressæ [2] vocis sono ambrosia dicta volutat.
Magnificas laudes Deoque Christoque rependit;
orantem simul halitus et vox et calor sic deserit.
Adsistunt mox cœlicolæ, angeli, cœtus micantes :
summa animam fastigia advectant poli ovantes.
Sic aurea in regna delata anima læta,
qua levis aerios [3] non exprimit semita sulcos.
Iter sic sidereum penetravit curru corusco,
quam bene fulmineo splendens orbita polo.
Transvectus æther amplius oberrans sorcidis pedibus,
lustrat passibus agros paradisi amœnos,
Opem radians libertatis, ubi regia fulvis
emicat aula tholis, quo dantur præmia dignis;
Ubi principe Christo, nobile perpetua caput
ambiente corona, gaudet milis [4] de præmiis.
Ibi possidet regnum cui tempora non succedunt per ævum;
ubi dies caret fine, nescit quia tempus habere.
Gaudet se ex ludibrio seculi vinclis eruto,
eique ad speciem nivis micant velamina vestis.
Florigera in sede amœni blandique odoris,
magnam adeptus larem Christi incola sanctis.
In loco ab omni felix adversitate remotus,
qua nempe patet æterni porta maxima poli.
Non patitur jam æstivus [5] hiemisve [6] immoderatos,
sed blanda ejus semper quies lætificat mentem.
Non ibi adest morbus, non ægra omnino senectus;
neque mors crudelis nec hydros serpit colonos.
Non scelus infandum nec cupido vesana opum,
neque metus ardens : cedit amore furor.
Abest luctus acerbus et eruta consuta pannis [7]:
egestas omnino procul, nec violenta subripit famis.
Non ibi tempestas furit, nec vis horrida venti,
neque gelido terram stringit pruina sata.
Nulla super campos prætendunt vellera nubes,
nec cadit ex alto jam turbidus aquæ humor.
Non ibi sunt escæ nostro [8] concessæ in urbe,
quodque istic magnum illic putatur exiguum.
Procul abest tristitia, certa manet lætitia :
non jam occurrit postulatio, sed totos tenet laudatio.

[1] mixtum 2. — [2] suppressæ 2. — [3] *littera* i *supra lin.* — [4] miles 2. — [5] *intellige* æstates. — [6] *intellige* hiemes. — [7] *i. e.* ejecta quæ sunt consuta pannis? — [8] nostra 2.

Tantus ibi est decor tantusque refluit honor,
cuncta ut mundi nitentia ducantur ibi pro nihilo.
Locum hunc beatorum agmen incolit magnum;
Agnum ubique sequentem, nusquam lapsurus per ævum.
Turba omnis cohabitans munere læta pio,
a Christo æternam vitam muneris indepta dono.
Cum his omnibus vernans Eligius nanctus honore,
insigni albigat lumine, regali plenus decore.
Mira luce stipatus, Christi in laude fusus,
gaudet pangere sacri modolamina cantus.
Inter angelica agmina indefessa [1] dicentia:
Sanctus trina, persona, voce magna continua.
O quam ille beatus tanta brevi adeptus micavit,
ita qui in arvis nostro sub tempore fulgens.
Namque apprehendit suis cœlorum regna rapinis;
jam fores adiit supremas Olympi receptus valvas [2].
Et quia implevit secundum suum apostolum cursum,
ideo pro brevi labore est nanctus corona justitiæ.
De cujus felici quidem omnimodis consummatione
sancti quique lætantur, summi et nuntii gloriantur.
Exultat etiam mundus, gratulatur Dominus Christus;
concelebrant quoque grates cœlicolæ festalia agentes.
Amictus idem splendifica refulget nanctus stola;
metit jam fructum bona mundo quæ contulit semina.
Paradisi deliciis florentis inter adsistens
redolentes aromatum silvas æternæ frondium.
Inter candentia lilia rubentesque et rosas
roscidis incedens plantis, blandiente sibilo aeris.
Inter ea nempe agmina quæ pulchræ vestibus albent,
ubi candent rutilis lilia mixta rosis.
Corpus undique decens velamine fulget candens,
ambrosios namque libat nectareosque odores.
Inter varios nemorum gratissimosque nitores
delectatur, et insuper ex visione Creantis.
Ejus et pompa verticem, non ut seculi simile,
sed vernans ambit corona paradisi inmarcida.
Non mirtum decore, non laurum frondet ut viride,
sed inmarciscibilis serta faustum tegit cesariem.
Undique eum cingit honor, comitatur par decor,
munus largum suorum adeptus ovat laborum.

[1] indefesse 2. — [2] valvis 2.

Sicque, gratissime bonis [E]lesiæ [1] fruens deliciis,
percepti tenet jam muneris, verbis quod credidit divinis.
Latex hinc paradisi ejusdem viscera rigat,
illinc spiritus lenior conclusum hortulum perflat.
Ibi candida turba, purporeis togis compta,
profundit nimium claro fulgentia corpora visu.
Sacrati quibus est capitis pretiosa corona liliis
omnium pleni odorum purpuraque violarum.
Ingemit ibi colonum serpens habitare reductum
invidus, quemque dudum gustando ejecerat vetitum.
O felicia tecta, o nempe domus beata,
quibus cum justis inclitus felix vernat Eligius.
O quam rerum beata hæc communicatio celsa :
pro brevi mundi ærumna adeptus præmia æterna.
Flevit quondam in mundo, ut nunc exultet in cœlo ;
sitivit et esuriit, ut nunc bonis reflueret.
Vestitus setis asperrimum caprearumque cilicium;
ut nunc amictus albifica [2] veste decantet verba :
Saccum meum conscidisti, meque lætitia induisti,
gloria mea ut canam tibi, in æternum ne conpungar.
Pro mundi ergo adversis fruitur bonis inmensis,
oculus quæ nec vidit, auditu nec auris percepit;
Illa videlicet bona ab ævo quæ sunt præparata,
quæ disposuit omnibus se Deus diligentibus.
Concelebrent [3] ergo cuncti laudes, gratesque frequentent
astrorumque et terræ hominumque parentis.
Dives nunc municipius nomen nanctus Noviomo,
quæque cujus ob merita celsa fulget ad imo.
Inde iteris [4] ætheriæ [5] sidera cuncta transcendit,
auras flammis sulcantem summo quoque cum lumine.
Gaudet jam in perpetuum repertum in cœlo thesaurum.
ubi numquam nocturnum jam pavitabit incursum.
Ubi nec tinea sulcat, ærugo mordax nec vorat,
necne male defossum famulatur furibus aurum.
Amœna illic in loco deget sancta ejusdem anima,
placidumque et jocundum corpus fruitur somnum.
Meritis, semper vigil numquam dormit in ævum;
auxilio succurrit pio se petentibus voto.
Nam quæ fiunt ad tumbam quis nunc enumeret mirabilia,
quæ ibi [6] jugiter misericordis Christi operatur clementia ?

[1] *i. e.* Elysæi. *Cod.* lesiæ. — [2] *cod.* abbifica. — [3] *ita corr.; prius* concelebrens. — [4] *sic, pro* itineris ? — [5] ætherei 2. — [6] *ita* 2; ubi 1.

Confluunt ibi[1] quotidie languidorum catervæ;
favente ilico præsule adipiscunt salutem.
Sani remeant propere, salutem mirantes celerem;
cursitant inde ovantque, confessorem ubique prædicant.
Quos ergo tibi præ tantis dignos demus honores,
beatissimi bonis Christi referte donis?
Optimum duco[2] lætus procerum ad me decus,
ut referam tibi dona tuasque laudes viribus canam.
Dignum opinor affectu sincero pangere affatu,
laudesque tuas perpetuo sacrare et psallere cantu.
Pectoris atque mei succendis igne caminum;
obsequor quoque voto, tuus quod me adigit amor.
Auxilium imploro tuum, te custodem deposco,
cujus laudem per secla mitto cuncta canendam.
Te nam pio affectu veneramur, amamus,
meque viribus cunctus plaudentem reboat cœtus.
Tu advocate digne, sacer, Galliæ inclite,
cujus plebis solatia videns, gaudet miracula.
Mitis tu et humanus, sola Summi gratia plenus,
ut Helyseus ditatus, si fas est, geminum munus,
Farinamque scilicet nanctus munere triplo,
mens cujus stabilis, sapientia comis et consiliatrix.
Prudentia nempe sagax, alacer et fortis animo,
Deo subditus soli, summo supplex tonanti.
Te nam ditavit honore alto quem Christus amasti,
throno tonans sublimi, summi filius Dei,
Cui flectitur soli omne genu, priscorum,
præsentium et futurorum, nempe nunc et in ævum;
Qui est testis et arbiter, cuncta occulta qui perspicit,
humana mens quæque concipit: hunc nemo judicem fallit.
Ille omnium caput, idemque summi Patris Verbum,
lux æternæ formator, Deus, rerum et auctor.
Cujus nempe stelliferum fecit sapientia polum,
fundavit et terras, vestivit floribus agros.
Formavit hominem, solum ratione replevit,
vivificans siccum sacro spiramine lutum.
Ille te nam ditavit quo frueris honore celso,
ad regnum quoque vocavit paradisi jocundum.
En micant regis castra, reboat vox herilis,
porta patet beata, suscipiens te athletam.
Janua te æterna recipit, quæ janua Christus,
aureaque perpetuæ te manent præmia vitæ.

[1] *codd.* ubi; *sed in* 1 *signum sub littera* u. — [2] *vel* duc? duo 2; *et etiam* 1 *prius*.

Te jam Christi dulcia lætum reficiunt ubera,
exuberantia favos atque omnia mella.
Quas tibi persolvet tanto pro munere grates
humana, Christe, fragilitas, nisi referat laudes?
Laudamus ergo te supplices, æterna in cantica dictis;
oramus genibus flexis, palmis Olympo erectis.
Murmur erigit vocum, jocunda carmina vulgum,
oculos purasve palmas præferentem in cœlum.
Augetur nimirum maximus psallenda ad cantica cœtus,
honorans hymnis continuis te Deum vocibus altis.
Præsta ergo optata simul nobis præsidia,
orante, Deus, antestite Eligioque pro plebe.
Per Christum quippe, genitum, summe [1] Pater, tuum,
in quo visibilis celsa stat tibique gloria,
Quique noster Dominus, quique tuus unicus
spirat de patrio corde Paraclitum,
Per quem splendor, honor, laus, sapientia,
majestas, bonitas et pietas tua,
Regnum continuat ævis, nomine triplici texens,
omnibus perpetuis altis secula seclis. Amen.

Satisfecisse me reor succincto carmine plectro;
plura nam referre gravor, necesse quoque nec opinor.
Hæc pauca hexametris reciprocare studui versiculis,
adludentibus digitis tanti amore antestitis.

Cur autem hæc metrica voluerim immoque [2] per pauca ratione componere, non differam breviter explanare.

Ea itaque causa : quia multi sunt quos studiorum secularium disciplina per poeticas magis delicias et carminum lenitates oblectat, quam simplex quamvis luculenta historia trahat; et quod denique [3] quod versuum viderint blandimento mollitum, hoc nimirum intenta mente animoque defixo sæpius avidiusque libentissime percurrunt. Horum equidem studiis utcumque consulens, hæc quæ omnimodis simpliciter atque prolixe degesta a sancto viro Dadone episcopo habebantur quantulumcumque altius breviter perplexa repetivi : ne videlicet non haberent quod in tanto volumine doctiores quique delectabiliter sumerent. Quid ergo [ut]ilius, seu quid nitidius exequi potui ? Decretum animo fuit, ut parcitatem ingenii quam ab Omnipotente accepi, in laudem confessoris ad gloriam Omnipotentis expenderem, ipso adjuvante qui regnat in Trinitate perfecta Deus per cuncta secula seculorum. Amen. — Explicit vita sancti Eligii episcopi et confessoris. Amen.

[1] sume 1, 2. — [2] hymnique ? — [3] *ita* 2; *forsan* idemque 1.

LXXIV. Codex signatus nº 5380-84.

Foliorum 126, formæ minoris (0^m, 215 × 0, 145), lineis plenis ductis stylo ferreo, exaratus seculo XII. In priori parte codicis tituli litteris capitalibus signati et ex parte (alternis lineis) rubricati sunt ac litteræ initiales majores pleræque subnigro, quædam minio, nonnullæ aliis etiam coloribus tinctæ, sed tres tantum (fol. 41^v et fol. 47^v) insigniori arte delineatæ. Nulla nota indicatur cujus olim ecclesiæ vel monasterii codex fuerit; sed ex tota ejus facie facile conspicitur fuisse Gemblacensis, ut recte eum signavit Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, Scr. tom. II, p. 434.

Præter librum metricum Oratoris in Actus Apostolorum, Claudiani poemata in Rufinum, in Eutropium et de bello Gothico, et Vitam item metricam Waltharii et Haganonis auctore Geraldo de Gualterio, unum in codice exhibetur documentum hagiologicum, videlicet

Vita domni Karoli imperatoris (fol. 116^v-126^v).

Auctore Einhardo, edita inter *Monum. Germ. Hist.*, tom. cit., p. 443-463.

LXXV. Codex signatus nº 5387-96.

Foliorum 216, formæ minoris (0^m, 235 × 0,15), lineis plenis stylo plumbeo ductis, exaratus diversis manibus seculi XIII. In priori parte (usque ad fol. 143) tituli minio signati, itemque litteræ initiales majores; harum nonnullæ sobrie ornatæ. In posteriori parte tituli desiderantur, sicut et multæ litteræ initiales; nonnullæ vero rudi manu rubro vel cæruleo vel viridi aut horum simul duobus coloribus depictæ sunt.

Folio insiticio in capite codicis inscripta est hæc nota seculi XV : *Iste liber pertinet monasterio Gemblacensi.*

1º [Vita sancti Martini Turonensis episcopi].

Vita auctore Guiberto Gemblacensi de qua mentionem facit Lecoy de la Marche, *Saint Martin*, p. 616. — Guibertini operis analysim exhibemus, unde ejusdem ratio perspiciatur. Est enim, paucis exceptis, congeries excerptorum ex iis quæ et alii et ipse Guibertus alias de beato viro scripserunt.

Liber primus. [Cap. I.] De regali progenie beati Martini (fol. 1^r-8^r).

Descriptum nonnullismutatis tum ex *Historia Septem Dormientium Turonensium*, cap. 1-3 (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 1107-1112), tum ex *Vita S. Martini*, auctore Sul-

pitio Severo (P. L., tom. XX, cap. v-viii, p. 163 sqq.), additis iis quæ edita sunt in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 218-220, num. 4-8.

[Cap. ii.] De Septem Dormientibus (fol. 8r-8v).

Edit. apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 1113-1115 (capp. 4, 5).

[Cap. iii.] De novem filiis Mauræ, qui a beato Martino baptizati sunt (fol. 8v-10r).

Desumptum ex prolixiori legenda S. Mauræ adhuc inedita, ut videtur, mox autem edenda in *Anal. Boll.*

[Cap. iv.] De beato Martino sanctum Victurum consecrante in episcopum Cenomannensem (fol. 10r-11v).

Narratio de qua supra, p. 240, 12°.

[Cap. v.] De sanguine martyrum a terra erumpente beati Martini oratione (fol. 12r-13r).

Editum in *Anal. Boll.*, tom. III, pp. 223, 224, num. 4-6.

[Cap. vi.] De Martino communicante excommunicatis pro liberatione damnatorum (fol. 13v-15r).

Desumptum maxima parte ex Sulpitii Severi Chronicis, lib. ii, cap. 46-51 (Migne, P. L., tom. XX, p. 155-160).

[Cap. vii.] De familiaritate sancti Martini et sancti Florentii (fol. 15r-17v).

Ex Passione S. Floriani martyris, edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, p. 462 sqq., num. 1-4, et ex Vita S. Florentii confessoris, edita ibid., ad d. 22 Sept., tom. VI, p. 428 sqq., num. 5 sqq.

[Cap. viii.] De Maurilio in episcopum ordinato (fol. 17v-19r).

Ex Vita S. Maurilii, Andegavensium episcopi, auctore ut fertur, Gregorio Turonensi, edita apud Mombritium, tom. II.

[Cap. ix.] De Martino frequentante ecclesiam beatæ Mariæ (fol. 19r-19v).

Agitur de ecclesiola decem milliariis a vico Condatensi distante, de qua in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 252, num. 17.

[Cap. x.] De Maximo submerso quia non obediverit sancto Martino (fol. 19v-20r).

Miraculum de quo Gregorius Turonensis in libro *de Gloria Confessorum*, cap. 22 (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 846) et *Act. SS.*, ad d. 20 Aug., tom. IV, p. 56, ubi tractatur de S. Maximo, abbate Cainonensi. Vide Append.

[Cap. xi.] De beato Martino apud quemdam leprosum hospitato (fol. 20r-21v).

Editum supra, pp. 242, 243, numm. 1, 2.

[Cap. xii.] De cantu gallorum restituto (fol. 21v-22r).

Edit. ibid., pp. 243, 244, num. 3.

[Cap. xiii]. De beato Martino et sancto Maximino (fol. 22r).

Ex Vita S. Maximini Trevirensis edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Maii, tom. VIII, p. 21, num. 21.

[Cap. xiv.] De muliere asinum beati Martini adaquante (fol. 22v).

Ex Gregorio Turonensi, *De miraculis S. Martini*, lib. iv, cap. 31 (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 1003).

[Cap. xv.] De arboris erectione (fol. 22v-23r).

Ex Gregorio Tur., *De Gloria Confessorum*, cap. 7 (tom. cit., p. 835).

[Cap. xvi.] De reliquiis sanctorum Gervasii et Prothasii (fol. 23r-23v).

Ex Gregorio Turonensi, *De Gloria Martyrum*, lib. i, cap. 42 (ibid., p. 748).

[Cap. xvii.] De Gratiano tumulato et respondente beato Martino (fol. 23v).

Ex Gregorio Turonensi, *De Gloria Confessorum*, cap. 4 (ibid., pp. 832, 833).

[Cap. xviii.] De Vitalina virgine vi^am feriam non observante (fol. 23v-24v).

Ibid., p. 833-835, capp. 5, 7.

[Cap. xix.] De sepultura beati Martini (fol. 24v-25r).

Edit. in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 124, num. 7.

[Cap. xx.] Epitaphium sancti Martini (fol. 25r-26r).

Elogium quoddam beati viri in quo prædicatur *confessor meritis, martyr cruce, apostolus actu.*

[Cap. xxi.] De custodia cilicii ejusdem sancti apud Turonicos (fol. 26r-27r).

Edit. in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 253-255, num. 19-21.

[Cap. xxii.] De strament[is] lecti ejusdem sancti (fol. 27r-27v).

Edit. ibid., pp. 255, 256, num. 22.

[Cap. xxiii.] De Gauberto successore beati Martini (fol. 27v).

Ex historia *Septem Dormientium* (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 1116).

[Cap. xxiv.] De transitu VII fratrum patruelium beati Martini (fol. 27v-28r).

Ibid.

[Cap. xxv.] De odore VII dierum (fol. 28r-28v).

Ibid., pp. 1116-1118.

Incipit liber secundus. [Cap. i.] De miraculis beati Martini post transitum ejus declaratis (fol. 28v-29v).

Edit. in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 256, num. 22 et p. 224, numm. 7, 8.

[Cap. ii.] De ratione nominis hujus *Turonis* (fol. 29v-30r).

Proponitur in cod. duplex etymologia, sive a thure, sive a Turno Brictii filio, additis quæ edita sunt in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 225, num. 15, lin. 16-26.

[Cap. III.] De reparatione basilicæ (fol. 30r-31r).

Ibid., p. 226-228, num. 11-13.

[Cap. IV.] De beato Martino dedicationem suam commendante (fol. 31r-31v).

Ibid., p. 228, num. 13.

[Cap. V.] De consortio sanctorum Martini, Albini et Evurtii (fol. 31v-32v).

Ibid., p. 228-230, num. 14-16.

[Cap. VI.] De beato Martino sanctum Maglorium glorificante (fol. 32v-34r).

Prolixa narratio de quodam languido a S. Maglorio sanato, ad cujus sepulcrum monente S. Martino fuerat a parentibus delatus.

[Cap. VII.] De beato Martino præcipiente angelo ut reduceret animam pro qua sanctus Maglorius Domino supplicabat (fol. 34v-37v).

De eodem juvene postea apud sepulcrum S.Maglorii ad vitam revocato et referente quid angelo suo duce viderit et quomodo testante ipso Martino ad preces sancti Maglorii revixerit.

[Cap. VIII.] De experimento pietatis beati Martini a quodam monacho Signiacensi recitato in hunc modum (fol. 38r-38v).

De quodam novitio fervente quidem spiritu, qui tamen ob tentationum molestias fugam meditabatur, sed a sancto Martino sibi apparente confortatus in religione perseveravit.

[Cap. IX.] Narratio cujusdam servi Dei de contracti sanatione (fol. 38v-40r).

Vid. Append.

[Cap. X.] Narratio cujusdam viri Dei (fol. 40r-42r).

Vid. Append.

[Cap. XI.] De igne infernali extincto per beatum Martinum (fol. 42r-42v).

Ex testimonio cujusdam Anselmi abbatis narratur luem quamdam quæ velut edacibus flammis interiora hominum depascebatur, interventu beatæ Virginis Mariæ fuisse sedatam.

[Cap. XII.] De missa beatæ Mariæ in sabbato (fol. 42v-43r).

Narratur hanc institutam fuisse ob ædes B. Mariæ sacras in urbe Suessonica a ruina servatas.

[Cap. XIII.] De S. Martino ad beatam Mariam ardentes dirigente (fol. 43r-44r).

Narratur quomodo S. Martinus " ardentibus „ nonnullis Parisiis in ecclesia suo nomini dicata sanitatem precantibus apparuerit, mandans eis ut sanitatis causa confugerent ad ædes B. Virginis Mariæ ; quos tamen quum ecclesia discedere nollent, curavit, addens ceteros non nisi ad Sanctam Mariam sanatum iri.

[Cap. XIV.] De excellenti remuneratione summæ humilitatis Martini beatissimi (fol. 44r-46r).

Prolixum sancti Martini encomium, additis iis quæ edita sunt in *Anal. Boll.*, tom. III, pp. 246, 247, numm. 7, 8.

[Cap. XV.] De conventuali missa in beati Martini ecclesia (fol. 46r-47r).

Edit. ibid., pp. 247, 248, scilicet num. 9.

[Cap. XVI.] De secundo monasterio beatini Martini (fol. 47r-48r).

Ibid., pp. 248, 249, num. 11 et p. 250, num. 13.

[Cap. XVII.] De ecclesiola beatæ Mariæ a sancto Martino consecrata (fol. 48r).

Ibid., p. 252, num. 17.

[Cap. XVIII.] De cilicio et cinere beati Martini (fol. 48r-48v).

Ibid., pp. 252, 253, num. 18.

[Cap. XIX.] De forma electionis prælatorum in ecclesia beati Martini (fol. 48v-51v).

Contractum ex epistola Guiberti ad Philippum, Coloniensem archiepiscopum, edita apud Martene, *Thesaurus novus*, tom. I, p. 606 sqq.

[Cap. XX.] De contracto extero per beatum Martinum sanato (fol. 52r).

Editum in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 231, num. 2.

[Cap. XXI.] De contracto consimiliter erecto (fol. 52r-52v).

Ibid., pp. 231, 232, num. 3.

[Cap. XXII.] De manu mulieris reparata (fol. 52v).

Ibid., p. 232, num. 3.

[Cap. XXIII.] De submerso per sanctum Martinum ad portum reducto (fol. 52v-54r).

Ibid., pp. 232, 233, numm. 5, 6.

[Cap. XXIV.] De contracto sanato (fol. 54r-54v).

Ibid., pp. 233, 234, num. 7.

[Cap. XXV.] De cæco a nativitate (fol. 54v).

Ibid., p. 234, num. 8.

[Cap. XXVI.] De Mathæo milite festo sancti Brictii detrahente (fol. 54v-55v).

Ibid., pp. 234, 235, numm. 9, 10.

[Cap. XXVII.] De quatuor solemnitatibus beati Martini (fol. 55v-56r).

Ibid., p. 235-237, num. 11-14.

[Cap. XXVIII.] De quodam oratorio beati Martini non contemnendo (fol. 56r-56v).

Ex Gregorio Turonensi, *De Gloria Confessorum*, cap. 8 (Migne, tom. LXXI, p. 835).

[Cap. xxix.] De oleo a sepulcro S. Martini allato *etc.* (fol. 56ᵛ-58ʳ).

Ibid., p. 835-837, cap. 9-12.

[Cap. xxx.] De quinque prædicatoribus beati Martini specialibus (fol. 58ʳ-58ᵛ).

Ibid., pp. 908, 909, cap. 110; *Anal. Boll.*, tom. III, pp. 221, 222, num. 2.

[Cap. xxxi.] De vii gratiis Spiritus sancti in beato Martino coruscantibus (fol. 59ʳ).

Brevis enumeratio virtutum quibus beatus Martinus effulsit.

2° Argumentatio probationis quod beatus Martinus sit par apostolis (fol. 59ᵛ-63ʳ).

Tractatus beati Adæ, alias Odonis, abbatis Cluniacensis, editus apud Marrier, *Bibliotheca Cluniacensis*, p. 123-128.

3° Sanctæ et egregiæ recordationis domni Odonis, imperante Theotholeo, de adustione ecclesiæ beatissimi Martini Turonis editus sermo (fol. 63ᵛ-68ʳ).

Editus ibid., p. 146 sqq. — Sed in cod, passim nonnulla omissa sunt; ut quod initio sermonis prologi instar legitur (*Exigitis-delatrent*).

4° Miracula sancti Martini (fol. 68ʳ-98ᵛ).

De beato Martino Nicetium sanante jam desperatum (fol. 68ʳ-68ᵛ).

Apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 1041, num. 1.

De sancta Monegunde beatum Martinum commendante (fol. 68ᵛ-69ᵛ).

Ibid., pp. 1091, 1092, cap. 4 et pp. 842, 843, cap. 20.

De sancto Trojano vidente beatum Martinum in globo luminis (fol. 69ᵛ-70ᵛ).

Ibid., pp. 870, 871, cap. 59.

De contracto [exst]ru[ente] ora[tori]um sancto [Ma]rtino (fol. 70ᵛ).

Ibid., p. 887, cap. 80.

De sancto Albino sanctum Martinum comitante (fol. 70ᵛ-71ʳ).

Ibid., pp. 899, 900, cap. 96.

De beato Martino veniente ad transitum sanctæ Pelagiæ (fol. 71ʳ-71ᵛ).

Ibid., pp. 903, 904, cap. 104.

De beato Martino illuminante cæcam a nativitate cum sancto Juliano (fol. 71ᵛ-72ʳ).

Ibid., pp. 826, 827, cap. 47.

De consortio beati Martini et Juliani martyris [in cru]ciandis [dæ]monibus (fol. 72r-72v).

Ibid., pp. 820, 821, cap. 34.

De beato Martino revelante victoriam de Gothis regi Clodoveo (72v-74r).

Ibid., pp. 233-237, numm. 37, 38.

De Lothario per sanctum Martinum liberato ab exercitu fratr[um] (fol. 74v-75r).

Ibid., p. 262, cap. 18.

De basilica sancti Martini a sancto Perpetuo ædificata (fol. 75r-75v).

Ibid., pp. 212, 213, cap. 14.

De Lothario [mi]nas episcopi sancti Martini reverente (fol. 75v).

Ibid., pp. 270, 271, cap. 2.

De Catone episcopatum [ma]jorem episcopa[tu] sancti Martini ambiente (fol. 75v-76v).

Ibid., pp. 275, 276 seu cap. 11 et pp. 280, 281 seu cap. 15.

De Leone sanctum Martinum sanctumque Martialem accusante (fol. 76v).

Ibid., p. 281-283, cap. 16.

De Austrepio ad basilicam S. Martini confugiente (fol. 76v-77v).

Ibid., p. 283, cap. 17 et p. 283-286, cap. 18-21.

De prædantibus monasterii sancti Martini tempestate absortis (fol. 77v-79v).

Ibid., pp. 310, 311, capp. 48, 49; p. 319, cap. 4; pp. 323, 324, cap. 6.

De Meroveo ad basilicam S. Martini confugiente (fol. 79v-81v).

Ibid., p. 327-330, cap. 14.

De tribus libris ante sepulcrum sancti Martini positis (fol. 81v-82v).

Ibid., pp. 330, 331, cap. 14; p. 338, cap. 19; pp. 412, 413, cap. 46.

De aqua sepulcri beati Martini (fol. 82v-83r).

Ibid., p. 542, cap. 22.

De Guntramno a morte liberato virtute Dei et beati Martini (fol. 83r-83v).

Ibid., pp. 343, 344, capp. 25, 26.

De pallulis altaris beati Martini (fol. 83v-84r).

Ibid., pp. 422, 423, cap. 12.

De prædonibus jumenta beati Martini rapientibus (fol. 84r-84v).

Ibid., pp. 427, 428, cap. 21.

De patientia beati Martini erga tyrannum Erbertilfum (fol. 84v-86r).

Ibid., p. 428-430, cap. 22.

De ultione Dei super illos qui atrium sancti Martini macularunt sanguine impio (fol. 86r-87v).

Ibid., p. 432-435, cap. 29.

Vindicta beati Martini super hominum suorum spoliatores (fol. 87v-88r).

Ibid., pp. 444, 445, cap. 42.

De Guntranno rege [legat]um sancti Martini [reveren]te (fol. 88r-88v).

Ibid., pp. 452, 453, cap. 6.

De morte filii comitis illius qui [Tu]ronicos describere [præ]-sumpsit (fol. 88v-89v).

Ibid., p. 507-509, cap. 30.

De puero sanato per votum elemosinæ factum S. Martino (fol. 89v).

Ibid., p. 539, num. 11.

De rege Sarracenorum volente domum beati Martini evertere (fol. 89v-90r).

Ibid., pp. 674, 675, ad annos 725-732.

De conductu beati Martini probatissimo in fratribus S. Eugendi, abbatis Condatensis (fol. 90r-91r).

In *Act. SS.*, tom. I Jan., p. 53, cap. 10.

De oleo sancti Martini non consumpto in ecclesia combusta (fol. 91r-91v).

Ibid., cap. 11.

De agnina pelle furem accusante (fol. 91v-92r).

Nimirum, secundum hanc narrationem, in vico prope castellum quod dicitur *Crievecuer* juxta Cameracensem civitatem, chirothecæ ex pelle ovis furto ablatæ, dum fur ante judicem se reum criminis negabat, balare cœperunt. — Sequuntur quæ de Cappa S. Martini leguntur apud Honorium Augustodunensem (Migne, P. L., tom. CLXXII, p. 1024), scilicet duæ phrases : *Beati Martini cappa... potiebantur. Unde et custodes illius... cappellani appellantur.*

De ecclesiis dicatis in honorem S. Martini ab incendio servatis (fol. 92r-92v).

Agitur de ecclesia cujusdam pagi Hannoniæ cui nomen *Villare* et de altera cujus nomen reticetur.

Salutatio sancti Martini (fol. 93r).

Pontificum, Martine, decus; Martine, piorum
Gloria; Martine, fons pietatis, ave.

Præsul ave, jubar Ecclesiæ, flos ordinis, hortus
Virtutum, sacræ religionis honor.
Vir meritis insignis ave, qui dote prophetis
Es par, cui Dominus scire futura dedit.
Qui patriarcharum comes es, qui dogmate sacro
Es pater et generas milia prolis, ave.
Quem nec apostolico primatu laude minorem
Prædicat Ecclesia; signifer orbis, ave.
Martyribus conformis, ave; non sanguine fuso,
Sed tamen assidua sub cruce martyr eras.
Flos confessorum, meritis prædives et omnis
Ordinis electi lux specialis, ave.
Virginitatis, ave, speculum; quem vita pudica
Virginibus meritis æquiperare potest.
Præsul, ave; miserere mei; memor esto precantis
Te miseri; solita me pietate fove.
Auxilium deposco tuum; scio namque, potens es
Ante Deum, facile quæque petita capis.
Pro me funde preces, ut, te poscente, salutem
Corporis et mentis det mihi Christus. Amen.

Miraculum S. Martini de filia regis Franciæ (fol. 94r-95r).

Narratio de filia regis Franciæ, speciosa valde, sed a nativitate manu utraque privata; cui, dum ex consilio S. Martini mittebatur ad Britanniæ regem, qui eam sibi uxorem postulaverat, miraculose manus accreverunt. Filius vero ex hoc connubio natus et a S. Martino in fide ac pietate enutritus, ita se erga pauperes misericordem exhibuit, ut patris iram in se commoveret. Ideoque sponte exulavit. Postea tamen reversus, patrem a mortis periculo liberavit.

[Alia miracula tria] (fol. 95v-98v).

Deinde, nullis præpositis rubricis, tria miracula referuntur : scilicet; a) (fol. 95v-96v) de juvene octodecim annorum qui anno 1200 in episcopatu Cameracensi meritis S. Martini a diabolica obsessione liberatus est; b) (fol. 96v-97r) de mortuo quem S. Martinus ad vitam revocavit, ut mendacii argueretur fœnerator qui vineam “ invadiatam „ cedere nolebat pro pretio, asserens se eam legitime emptam possidere ; c) (fol. 97r-98v) de monacho Cisterciensi qui, tentationibus fractus, jam deserendæ religionis consilio inito, in somnis interventu S. Martini mira perpessus, mentem mutavit.

5° [De sancto Romano, apud Blaviam sepulto, qui colitur die 24 Novembris] (fol. 98v-99r).

Desumptum ex legenda majori, de qua agendum erit in descriptione codicis

Bruxellensis 8550. Confer de hoc sancto Gregorium Turonensem, *De Gloria Confessorum*, cap. 46 (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 863).

6° Vita sancti Sulpitii, Bituricensis episcopi (fol. 99v-101v).

Vita hæc, homiliæ in festivitate beati viri habitæ speciem præbens, inedita videtur. Vid. Append. — De sancto Sulpitio Severo cfr. *Act. SS.*, ad d. 29 Jan., tom. II, p. 967 seqq.

7° [Vita S. Gregorii, Turonensis episcopi] (fol. 101v-110r).

Vita auctore Odone abbate, edita apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 115-128.

8° Gregorii, Turonensis episcopi, relatio de episcopis Turonensibus (fol. 111r-115r).

Desumpta ex Gregorio Turonensi, *Historia Francorum*, lib. x, cap. 31 (ibid., p. 563-572).

9° [Epistola cujusdam anonymi in Christianum, Moguntinæ sedis invasorem] (fol. 119v-122v).

Edita apud Martene, *Thesaurus novus*, tom. I, p. 324 sqq. — Inc. *Si nescire misereri, diffiteri est hominem et cum feris habere conventum, quid eorum crudelitate immanius...*

10° [Epistola fratrum capituli Majoris Monasterii et eorum humilis ministri Hervei ad Philippum, Coloniensem archiepiscopum] (fol. 122v-123v).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 217-221.

11° [Epistola Guiberti ad Godefridum, abbatem SS. Eucharii, cum responsione ejusdem et alteris Guiberti ad Godefridum litteris] (fol. 144r-154r).

De his cfr. *Anal. Boll.*, tom. I, p. 605-608. — Ex his jam subjicimus quod hucusque ineditum aliquo modo ad hagiologiam conferre possit.

Scilicet *a*) ex priori epistola Guiberti :

Societatem quam mihi domnus et pater vester abbas L[udovicus], qui vos vere dilexit et provexit, olim cum semel Treverim venissem mihi benigne concessit, vos quoque clementer recognoscere dignemini. Et quia, in finitima ætate positus, jam nil nisi finem et solum sepulcrum expecto, si forte, cum venerit, illum, id est finem vitæ meæ, audieritis, de me quod de fratre faciatis... Obsecro nihilominus ut qualiter sorores ecclesiæ Montis Sancti Roberti, filiæ vestræ et domnæ meæ, se habeant et quæ magistræ inter eos officio fungatur, si nostis certo, insinuetis, et ad hoc, ut, si res bene cedit, gaudentibus congaudeam, sin aliter, fleam cum flenti-

bus, et pro earum vel bono statu confirmando vel adversitatum incursu removendo Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis, licet indignus, utcumque insistam deprecari. Enixius autem et specialius id quoque deprecor, ne aliquatenus obliviscamini quin mihi notum faciatis si adhuc vivat et quomodo se gerat domna Gertrudis, illa specialis in Christo mihi dilecta, cui pro tot et tantis quæ mihi ibi degenti impendit beneficiis hic et in futura quam expectamus requie mercedem plenam et confertam reddat bonorum largus remunerator Deus. Quæro etiam et scire cupio de duobus Gerlacis illis, procuratoribus exteriorum rerum domus, et de aliis qui vel quæ supersunt aut obierunt, ut sciam quibusque sua reddere, viventibus quæ vivis, defunctis vero quæ defunctis debentur, orationum suffragia.

b) Ex responsis Godefridi :

Quod vero caritas vestra super statu nostro et sororum nostrarum de Pinguia quæsivit edoceri, nobis ad lætitiæ cumulum accessit, scientes quod et nostri memoriam et sororum nostrarum in orationibus vestris habeatis. Status enim noster, misericordia Dei et vestris orationibus adjutus, in tranquillo positus est. Sed sorores vestræ in discordia regni multis tribulationibus et angustiis fatigatæ et afflictæ, meritis beatæ Hildegardis et precibus adjuvantibus, in sancta persistunt conversatione, sub magisterio et regimine magistræ Elizabeth, quæ quondam cantrix in loco prænominato.

c) Ex altera Guiberti epistola :

Addebant quoque *(qui cum responsis abbatis ad Guibertum reversi fuerant)* his mei vos firmam tenere memoriam, referendo eis quomodo, cum interdum veniretis Binguiam adhuc junior, in illa sancta Dei domo inter sacras virgines, sponsas Christi, ambulantes in consensu piæ societatis et multæ dulcedinis, dulces æque spiritualium verborum et visionum sanctæ matris Hildegardis simul capiebamus cibos. Asserebant etiam et adhuc asserunt vos me, si opportunitas præberetur, libenter velle videre, quatinus de his quæ ad roborandam amicitiæ fidem et ad animarum salutem spectant, invicem conferendo aliquid ædificationis et gratiæ spiritualis alter ab altero possit percipere. Unde et ipse abbas affectum vestrum erga me, ut credo, intelligens, ultro non semel pollicitus est me secum ad vos ducturum, si deinceps eum aliqua necessitas pro utilitate ecclesiæ suæ Treverim reverti urgeret. Sed et ego ipse, desiderio videndi vos me vehementer afficiente et trahente, in proximo, id est exacta

præsenti quadragesima, paschali tempore, eat vel non * eat abbas noster, illuc proposui venire ad vos, si Deus opportunitatem præbuerit et iter tutum fuerit, aut si nihil impedimenti, quod Deus avertat, interim inciderit... ** vox suppleta.*

Cum ab annis fere triginta pro remotione vos *(Godefridum)* nec viderim nec audierim ...

Ego enim a pueritia abnegato seculo, et voluntate propria expetito monasterio, monachicum * ordinem, obedientiam religionemque professus, impediente fragilitate communi et negligentia propria, nihil horum tenui; et ut brevi mala mea modum et numerum excedentia comprehendam, freno timoris, quo maxillæ eorum qui Deo approximare nolunt constringuntur, disrupto, per declivia voluptatum et abrupta vitiorum totus in præceps ruens, nihil pene quod animum intus et sensus foris oblectaret intentatum reliqui, anteriora et aratrum ad quæ et oculos et manum semper habere debuissem, oblitus et posteriora respiciens, nullos unquam, ut ineptus regno Dei, in agro disciplinæ cœlestis rectos duxi sulcos, nulla amoris Christi dulcedine retractus, aliqua ei placentia, ut mihi videtur, unde spem non dico gloriæ sed saltem veniæ concipiam, hactenus bona * exercui : et ita non facienda faciens et facienda non faciens et utrobique peccans, heu infelix totam fere vitam meam irrecuperabiliter perdidi et perversitatibus meis immutabilem Deum ex benigno, ut vereor, iratum mihi reddidi...

** sic post corr.*

** corr. perperam* inania.

12° [Vita S^tæ^ Hildegardis virginis] (fol. 154^v^-173^v^).

Vita auctoribus Godefrido et Theodorico monachis, edita in *Act. SS.*, ad. d. 17 Sept., tom. V, p. 679-697. — Hæc vero notanda sunt :

Ad finem præfationis, post verbum *negotio* pergit cod. : *Igitur ut qualitas ejusdem operis clarius elucescat, hæc epistola ei cum subjectis capitulis præscribatur, ut quid ubi lector invenire debeat citius agnoscat...* Subjicitur capitulorum index.

Num. 2 incipit : *Igitur anno incarnationis Domini millesimo centesimo, qui erat annus quadragesimus quintus Henrici, hujus nominis quarti regis et tertii imperatoris, cum populus christianus ab apostolorum doctrina fere declinaret et in lege divina jam jamque hæsitaret, fuit...*

Post num. 11 sequitur in cod. prologus in librum II, cui hæc adjecta leguntur : *In primis autem etiam huic libello capitula præsignantur, ut locis suis ea quæ sequuntur facilius inveniantur...*

Finito vero capitulorum indice, sequitur num. 12, hoc exordio : *Sicut ex verbis præcedentis libri quem composuit Godefridus, colligimus...* Desinit vero : *inhiabat. Itaque post primi libri quem fecit sæpedictus Godefridus termi-*

num, aggrediamur hunc secundum librum de visionibus beatæ virginis, benedicentes Dominum, qui...

Num. 25 ita incipit : *In eadem visione quam* (sic) *ab infantia mea mihi infixa fuit, aliam vidi in qua docta et coacta sum...*

13° Epistola sanctæ Hildegardis ad Colonienses de futura turbatione clericorum (fol. 173ᵛ-174ʳ).

Inc. *Adveniente luce, audivi vocem dicentem : " O filia Syon, corona honoris capitis filiorum vestrorum inclinabitur, et pallium dilatationis divitiarum eorum imminuetur...*

14° Epistola Guiberti ac ecclesiæ Villariensis ad sanctam Hildegardem (fol. 175ʳ).

Edita apud Pitra, *Analecta Sacra*, tom. VIII, pp. 393, 394, num. 20.

15° [Epistola eorumdem ad eamdem] (fol. 175ʳ-175ᵛ).

Edita ibid., p. 395, num. 21.

16° Epistola Guiberti ad Sorores ecclesiæ B. Mariæ quæ est in Bingia (fol. 175ᵛ-176ᵛ).

Edita ibid., pp. 396, 397, num. 22.

17° [Epistola Guiberti ad beatam Hildegardem] (fol. 176ᵛ-177ʳ).

Edita ibid., p. 397-399, num. 23.

18° [Epistola Bᵗæ Hildegardis ad Guibertum et ad ecclesiam Villariensem] (fol. 177ʳ-178ʳ).

Edita ibid., pp. 399, 400, num. 24.

19° [Epistola Radulphi ad Guibertum] (fol. 178ʳ-180ʳ).

Edita ibid., p. 400-404, num. 25.

20° [Epistola Guiberti ad Radulphum monachum Villariensem] (fol. 180ᵛ-187ᵛ).

Magna parte edita ibid., p. 575-581, num. 164. — Ex codice nostro hæc supplere licet :

Num. 4, ubi agitur de Satana se transfigurante in angelum lucis, post verba *effigiem Christi* addatur : *quorum alterum testatur egregius prædicator, alterum beatissimi Vita declarat Martini, intendi animum...* Eodem numero post vocem *rejicerem* add. : *Præcavens autem ne cuilibet vilis æstimationis homuncioni id exigendum committerem, expectabam idoneum rei executorem; et tandem Deo, ut arbitror, votis meis favente, occurrit magnæ auctoritatis persona, domnus scilicet Sigerus, vir nobilis de Wavra, qui licet eatenus sub habitu militari deserviret, tamen Deo jam tunc devotus erat; quod hodie evidenter probat ferventissimum ejus in monachatu et servitio Christi vobiscum agonizantis tyrocinium. Quique...*

Num. 7, facta jam mentione de conatibus quos adhibuit Lambertus ut sibi Guibertum sui ad B. Hildegardem itineris socium adjungeret, post vocem *ambivit* add. cod. : *et sciens me, utpote monachum claustralem, sumptibus carere, expensas ob iter necessarias libens obtulit, et tam per se ore ad os, quam per prædictum nobilem virum domnum Sigerum, ut hunc laborem causa Dei secum aggredi dignarer, obnixe rogavit. Ratus...*

Num. 8, post verba *in oratione plurima*, ita pergit Guibertus, de sancta Hildegarde scribens :

... et devota, in meditatione sancta pene assidua, in visionibus Dei compos sui, non amens aut erronea. In audiendis Scripturis sacris studiosa, in elucidandis earum obscuritatibus sine temeritate celerrima. In observatione mandatorum divinorum sollicita, in operibus misericordiæ strenua. Timorata in omnibus, in nullo præsumptuosa, alacris in exhortando, in persuadendo et consolando efficax. Severa in increpandis domesticis, in corripiendis extraneis temperata. In decantatione psalmorum sæpius insomnes ducens noctes, maledicis et detractoribus aures suas obturans, a ludicris avertens oculos, præjudicia nulla recipiens, cor plenum caritate et lampadem semper fulgentem habens in opere. In locutione circumspecta, in perceptione alimentorum parcissima. Nam post prandium seu cœnam in parapside vel calice quod aliquid gustaverit vel biberit vix apparet. Infirmitate et senio fracta, minus jejunare potest; sed dum solvit jejunium, duo vel tres claviculi gariophili aut aliquid simile, et tantum vini quantum testa ovi vix caperet ejus est gentaculum. Talibus ex causis notitiam sanctitatis ejus adeptus sum, hoc ordine; primo ad eam veni præscriptarum merita virtutum in ea diligens investigator, partim per meipsum deprehendi, partim a spiritualibus et maturis sororibus quæ circa illam excubant agnovi. Exactisque apud eam quatuor fere diebus, benedictione et eulogiis ejus cumulati, et pro eo quod invenissemus in ea gratiam quam audieramus, plurimum exhilarati, ego et ille prædictus itineris mei socius ad propria regressi sumus. Dein...

Tandem num. 19, post vocem *suppetit*, additur :

Accipite super hoc, si placet, consilium : videlicet ut, si tanti sunt earum quæstionum solutiones, ipse aut per vos diligenti investigatione e libris doctorum sensus earum elicitos data studii opera in unum compingatis, aut, si hoc non cedet *, alicui magistrorum Franciæ peritissimo ad dissolvendum eas per quemlibet monachum Ordinis vestri, quorum plurimi sæpius Cistercium tendunt, denuo mittatis. Valeat in Christo semper et

* *cod.* sede

crescat sanctitudo religiositatis vestræ, et omnipotentis Domini clementiam mihi precibus assiduis implorare non desistat.

21° [Epistola Guiberti ad Bovonem] (fol. 188r-190v).

Edita apud Pitra, *Analecta Sacra*, tom. VIII, p. 405-414. — Sed in codice desideratur cap. 4 et finis ultimi paragraphi capitis 3. scilicet inde a : *Sed ut priora repetam.*

22° [Epistola decani et thesaurarii Castri Novi ad Philippum, Coloniensem archiepiscopum] (fol. 191r-195r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 230-243. — In cod. desideratur initium usque ad hæc verba : *nullus sequeretur effectus* (p. 232, lin. 35).

23° [Epistola Guiberti ad Philippum, Coloniensem archiepiscopum] (fol. 195r-197r).

Fragmenta hujus epistolæ edita leguntur apud Migne, P. L., tom. CCXI, p. 1290, epist. III; apud Pitra, tom. cit., pp. 581, 582; in Periodico *Précis historiques*, ann. 1881, p. 26, n. 1. In eadem epistola hæc insuper notanda :

a) De conventu Coloniensi :

Hinc astabant vel magis irruebant duces, comites et totius provinciæ magnates cum fere innumerabili militum et clientum multitudine quos undecumque eo contraxerat imperatoris et vester diu prænuntiatus et quotidie suspectus et citissime necessarius pro Ecclesia in pace tuenda in expeditionem Saxonicam contra singularem et ferum aprum illum, devastatorem vineæ Domini, egressus.

b) De tempore quo moratus est Coloniæ Guibertus :

Moratus sum Coloniæ vel circa Coloniam plus quam hebdomada una, aptum captans locum vel tempus pertingendi ad vos.

c) De peregrinatione sua ad S. Martinum ita :

Audito et discusso peregrinationis quam aggredi meditabar voto, salubre dedistis consilium. In omnibus de subventu vestro secure jussistis confidere, ac sine dilatione datis duplicibus litteris, alteris quibus scilicet ab abbate licentiam obtinerem, alteris quibus Turonim adveniens, ne quid de me utpote ignoto perperam sentiretur commendabilis vel receptibilis apparerem ... de religione fratrum Majoris monasterii et magnificentia ecclesiæ Castri novi aliam singularem scribere delibero epistolam.

24° [Epistola Guiberti ad Philippum, Coloniensem archiepiscopum] (fol. 197v-202v).

Edita apud Martene, *Thesaurus novus*, tom. I, p. 606-618.

25° [Epistola ejusdem ad eumdem (fol. 202v-209v).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 243-257.

26° [Epistola ejusdem ad eumdem] (fol. 209^{v}-214^{r}).

Inter opera Guiberti apud Migne, tom. CCXI, p. 1287 non recensetur. Illius exordium est hujusmodi :

Quod ad vos, cum triumpho et gloria, Deo protegente, de expeditione diutina reversum, necdum veni, neque pigritiæ neque negligentiæ est; sed occupationes quibus impediri vos scio me retinent. Quia enim sæpius exire nec volo nec valeo, veniens ad vos aliquando, vellem aliquantulum vos invenire feriatum, epistolas tres relatu dignas a duabus celeberrimis Turonorum ecclesiis, uni vestræ, quam pro me et per me miseratis, respondentes perpetuæque laudi et memoriæ vestræ dicatas, auditui vestro in gaudio et exultatione cordis mei et vestri ut spero per otium recitaturus et aliqua de secretis quibusdam maximeque de verbis, consiliis et moribus dominæ Ascelinæ, dilectæ in Christo filiæ vestræ, ad quam in reditu meo diverti et locutus sum, vobiscum collaturus. Audiens vero vos de rebus magnis acturum venisse Leodium, nec sic quidem per meipsum, licet multum vos videre desiderem, ad vos accedere decrevi, sciens me voto meo morose seu exoccupate loquendi vobiscum illic in tanta frequentia non posse satisfacere; sed epistolam istam, honori et profectui vestro, si dignanter audiatis, secundum Deum multum necessariam, mittere acceleravi.

27° [Epistola ejusdem ad eumdem] (fol. 214^{r}-215^{v}).

Inedita ex parte. Inc. *Benedictus Deus, omnium fons et origo benedictionum, qui munere pietatis suæ dulcissimo cordi vestro jam secundo inspirare dignatus est ut veniendi in partes nostras molesto præsertim et effusione imbrium et dissolutione itinerum tempore impigra alacritate laborem assumeretis.*

In codice nostro mutila sic desinit : *Ista vos de illo mente semper revolvite et intuitu ejus membris ipsius in terra laborantibus.* — Cfr. cod. 5527-34.

Appendix ad cod. 5387-96.

DE S. MARTINO TURONENSI. (Cfr. supra, pag. 485.)

De Maximo submerso quia non obedivit beato Martino.

Quodam tempore accidit ut, dum beatus Martinus ad jam dictam Sanctæ Mariæ pergeret ecclesiam, obvium inveniret sanctum ac Deo dignum Maximum, discipulum suum : viam quippe arripuerat, qua Romam pergere decreverat. Tunc inter dulcia dulcis et spiritualis amoris colloquia ait beatus Martinus discipulo suo Maximo : *Nolo te latere, frater carissime Maxime, quia Deo annuente Romam, mecum communicato labore itineris, properabis.* Quibus verbis cœpit protinus

[* cod. Cainovem.]

abnuere beatus Maximus : *Monasterium*, inquiens, *pater*, *quod apud Cainonem* * *jactis jam fundamentis cœpi construere prius ad perfectum permitte me ædificando deducere; tunc demum quocumque jusseris me properare, tuis sacris monitis obtemperanter properabo.* Quæ verba beatus Martinus paullulum accipiens, cœptum iter agere cœpit; Maximus vero ad monasterium quod ædificare cœperat repedare disposuit. Cumque venisset ad fluvium, et ascensa puppi ipsum flumen transiret ut ad monasterium perveniret, derepente turbato amne et undis nimiis intumescente, concussa navi in qua vehebatur, ipse sanctus vir, amissa navi et procellis impulsus, inter undarum hiatus dejectus est. Turbati qui circumquaque erant homines hæc videntes, concurrentes ac plangentes vociferantur ad littora. Vir autem Dei submersus omnipotentis Dei virtute, mirifica etiam cura custoditur et servatur in profundo gurgite. Nec defuit erga eum dignatio Dei, qui electum prophetam Jonam in ventre ceti servatum superis terris reddidit die tertia. Inter ipsa quippe aquarum volumina, videbatur illi quod vestis beati Martini totum se ambiendo circumdaret; qua et aqua mirifice arcebatur et ipse nulla incommoditate afficiebatur. Mittitur interea nuntius qui hoc beato Martino citius intimaret. Ille rei novitate repentina commotus et quodam angoris mœrore tactus, utpote qui semper in Domino pietatis affluebat visceribus, summa cum festinatione properat ubi vir Dei Maximus, divinitatis ope servatus, imis delitescebat in fluctibus. Elevataque voce, beatus ait Martinus : *Frater Maxime?* At ille respondit : *Adsum.* Et Martinus : *Numquid*, ait, *verbis meis contemptis, mecum pergere Romam rursum te negabis?* Ad hanc itaque vocem beati Martini, subito omnipotentis Dei virtute elevatur de fluctibus illis reverendis, atque circumstantium conspectibus lætus præsentatur et sanus; qui confestim cernua beato Martino devotione spondet * et Romam se cum eo et quocumque jusserit abiturum.

[* cod. spospondet.]

DE EODEM SANCTO MARTINO. (Cfr. supra, pag. 487.)

Narratio cujusdam servi Dei de contracti erectione.

1. Ecclesias Hasbanicus ambitus complures habet quæ Martini reliquiis aut patrociniis plaudunt. Quarum in una celebre ostendisse miraculum sanctum Martinum scio certissime. Nostrorum multi pauperculum ibi viderunt puerum, qui contractus in lectulo tenebatur ab infantia. Enimvero, ut beatum excolere me Martinum hausit, cœpit me ut secundum patronum frequentare; unde factum est ut ipsum me visitantem studiose, rei gestæ veritatem exigendo discuterem.

2. “ Deus, „ inquit, “ justus judex, nescio quo consilio, me strinxit ab infantia “ ligatura contracturæ; nam undecim annorum curricula jacens exegi debilis non- “ nulla corporis parte : crus lateri, talus nati applicatus, et inflexi pedis introrsum “ digiti nulli usui patebant; latus aridum marcebat usque ad brachii summitatem. “ Ita plenus miseriis, sæpe lacrimis madebar; nulla enim spes alimoniæ erat “ mihi, nisi misericordiæ. Festis diebus singulis et dominicis diebus vehebar

“ ad ecclesiam propter rogam cum rotella; inde mihi tam vestitus proveniebat quam victus. Sed cum tempus tantæ cladis terminandæ propinquaret, Dei clementia meis compatiente lacrimis, vir candidus mihi noctu sub prætextu pontificis apparuit dormienti, adorsus ita proloqui : *Qui hactenus fueris imbecilli, esto constantis animi : auxilium namque Dei proxime videbis super te. Nec terrearis stupore insolitæ visionis, evasurus de grabato sabbato instante. Non fiet post longum sed iterum cernar a te; sis interim bona mente occupatus prece jugi.* His finitis, ille meus collocutor est elapsus ex meorum obtutibus oculorum.

3. “ Recurrit natalitium roseum Petri et Pauli, in cujus noctis medio se denuo contuendum mihi refert vir prædictus. Hanc noctem septimanæ feria tertia subsequebatur, et proxima dominica solemnitas celebranda, qua fuerat vel sacratus in præsulem vel translatus a pristini tumuli loco Martinus sanctissimus. Æditui basilicæ jam cœperam habitare domum, satis eidem contiguam basilicæ. Hujus, id est æditui, legitima consors thori, morituræ simillima, rigescebat desperata. Cum secundo videndum se [ob]tulisset ille vir clarus, pio vultu ait : *Tui venit tempus miserendi, ecce jam sanaberis in nomine Salvatoris.* Mox protensa manu figurato sanctæ crucis signo, crus contractum apprehendit et tendit sicut cum quadam vi. Quis talem operarium difficultatem perpessum esse putet? Nil impedit : crus alteri par efficitur cum refluente sanguine et resoluto poplite, venæ micant et aridi prius nervi humectantur; nec omittit et recurvos pedis ipsius digitos cum tractatu manus blande dirigere singulatim *. Qui cum correxisset quidquid morbum depravasse norat, me bene vivere suasit et agere grates, et adjungit : *Non est bonum te sanatum esse solum. Quandoquidem et hic hospita tua languens decumbit, quæ et uxor hujus meæ custodis ecclesiæ est, relinquere eam me sic meus non patitur affectus. Propterea tu sanus factus ipsi huc vocatæ manus præbe, et vos salute reddita ope mutua juvetis : illam ex me tu vocando et perurgendo surgere, et illa te sublevando et te deducendo euntem. Nam expetetis proxima dominica templum ambo, ut pro vobis congregatus populus hymnizet Deo. Sed et mihi tunc geminum festum celebrabitis, et eritis ea die lætitiæ magna pars.* Is ubi hæc verba terminavit, basilicam subintravit, diligenti prospectu me prosequente recedentem.

* *ita corr.*, *prius* singilatim.

4. “ Statim autem evigilans et mecum meam reputans visionem, dulci somno me doleo derelictum; sed cumulo lætitiæ redundantis compesco dolorem istum, dum quod necdum de meipso speraveram recipio. Nam et erectis et paribus me cruribus invenio, resupinum in lectulo et omnino versatum. Jesu bone, quid tunc spei et gaudii conceperim solus nosti, qui cunctorum secretorum es arbiter. Nec oblitus jussionis ex beati Martini parte, meam voco hospitam, ut surgens ad me veniat et dans manus subrigat me. Excubias ancillulis ducentibus attonitis, ad vocem meam domina semimortua viviscit. Quam dum bis et tertio inclamito ne retardet, movet caput, sed defectum virium adhuc causatur. *Immeritus*, inquam, *ego non jubeo, sed præcipit te magnificus Martinus exsurgere ; injunctus pareo tantum ; nec impero, sed moneo ut fidem verbis præbeas et surgens jussa peragas. Moræ nil est in effectu, Deus suo nutu rem tibi peragit.* Mox femina petit vestes

“ et induta intrat ad me, non minimum stupefactis pedissequis. Et videntes celebratum tantum in me miraculum, stupor eis geminatur, et generatur eis extasis. Exhilarata mulier ut sublevet tendit mihi manus, et incitat adhuc rudem, et defessum * ex modico in lectulo reponit me.

* *cod.* defessus.

5. “ Et interim læti Deum in conclavi collaudamus; præstolamur dominicam propter frequentiam plebis, ut laus Dei per nos pluribus spectantibus cumuletur. Adest dies expectata et ecclesia convenit; nullius amminiculo nos intramus. Qui me prius agnoverant et viderant eo sæpissime vehi cum rotella, stupentes consignabant se; et, quoniam vere dignum, justum, æquum, salutare est opera pii Jesu indefesse confiteri, quid egisset Deus in me sanctum per patronum loci expressius quam potui exposui expectantibus. Nec quomodo subvenerit mulieri prætermisi sua Christus largitate, sed sancto mediante Martino. His auditis, qui astabant ingeminant voces laudum; clamorem plebis classicum campanarum adaugebat. „

DE EODEM SANCTO MARTINO. (Cfr. supra, pag. 487.)

Narratio.

1. Dum in Binguensi oppido commorarer obtentu venerabilis ancillæ Christi Hildegardis, in villa Posita hanc accepi ultionem nuperrime factam esse quam subscribo; nec paucis nec levibus est id hominibus traditum. Et hæc villa Magontiæ ecclesiæ cardinali subjecta est, cui Martinus ut patronus principatur; quæ et tanta qualitate se dilatasse dinoscitur, ut mirandum sit cur non meruit magis urbis nomen. Hanc habitabat, strenue sua doctus disponere, mediocris vitæ vir sed probabilis. Cui fortuna pro libitu, cum læto vultu risisset, commutatur; et post dulces haustus desperatum infert absinthium. Et infectus malitia, ejusdem villæ vicedominus hereditatis propriæ virum reddere exsortem suisque illam addere tentat. Quid plura? cito prævalet, supplex patet prædæ ... *(per lineas quindecim invehitur Guibertus in invasorem).* Heredio spoliatus a potente, vir prædictus inquirit quis ferat opem et qui inopem tueatur quærit, sed frustra : aures principum pulsat et judicum, non invenit qui succurrat; nam potentis manus longe vel timore vel muneribus cunctis astrinxerant ora.

2. Vir igitur, de humano jam desperans auxilio, haud segniter ad divinum præsidium sese confert. Et cum et ejusdem villæ ecclesia et major, ut prædictum est, Moguntiæ et undique sint ecclesiæ Martini, non est satis visum viro Martini pontificis de proximo comparare suffragia, nisi petat et de longe. Rumpensque moras, Turonis ad tumbam tendit pontificis. Et procumbens terræ supplex, Christum fletu vocat et prece. Hinc assurgens atque novos calceos, quos illic attulerat, super ipsum sancti monumentum jactans, fit moribundo similis, et vultu pleno lacrimis stat cominus, et obtortis tumbam prospectans oculis deliberat cujusmodi verbis pro re possit uti, sive Martinum alloquens, sive exprimens dolorem. Cujus

adactus stimulis, in penetrali pectoris sui, dicendi post exiguum hoc initium arripuit: *O Martine, quondam tutor tuæ plebis et defensor ; o Martine, quondam pastor et nutritor tui gregis ; o Martine, dulcis, vigil, benignus, facilis, miserorum consolator se tibi committentium, sed nunc durus et pigritans, sed nunc dormitans et surdus, patronus tuos negligens et fallens in te fidentes, cur non de tuæ creditis curæ curas oviculis? Impune quisque læditur, et a suis rebus excluditur. De quorum numero unus ego, ex divite modo pauper, ex heredio mihi jure competenti exturbor, quod et gaudebam de tuo dominio possidere. Itinere fessus longo nunc venio ad te questurus, pater sancte; exsurge ergo, fer opem, nec me inopem contemnas. Sed, ne diutius tuæ delicatæ plantæ transfigantur, ut omnis excusatio de medio fiat, quos attuli tibi calcia te calceis. Et facturus pacem mihi, præveni me revertentem. Si feceris, promptiorem quam hactenus fecerim, servitutem tibi impendam, et te meum dominum non abjurabo. Si non, alterius sancti dominatui me subdam, qui vel ablata mihi reddat, vel restituat ampliora.* Hæc dicens, circumpositos quosque attonitos reddit, et causas sui fremitus declarat exigentibus; quos rogare pro se rogans, et increpitans quasi mutum, quia suis verbis necdum respondisset.

3. A Turonis regreditur et revertitur ad suos, finem rei velle Dei relinquens et Martini. Vir idem cum regressus esset intraturus suam parochiam, terens ripam Rheni oppositam villæ, dum liburnam præstolatur qua transponatur fluvio, audit e turri mugientium classicum campanarum. Nam, ut dudum episcopo ab Roma Briccio post exactam reatus pœnitentiam revertente, hora intempestæ noctis, evulsum morte subita Armentium extruserat, qui obsederat cathedram, et id quoque tam aperti sub judicii censura, ut, dum urbem intrat ille, rigens iste efferatur; — viro quoque præstolanti, ut prædixi, navigium, per organa campanarum complosarum designata a nautis vicedomini declaratur mors extincti. Assunt enim lenbulo, et eo agnito statim revertentem de peregre cum favore excipiunt; et quærentes ejus accidentia, cuncta illi sua notificant. Qui de morte certus sui persecutoris redditus, nihil verens ecclesiam proximam Martini intrat, et se pro se exaudito, fundit preces pro defuncto. Sed dolens res sui juris possideri ab injusto, has qua vellet sibi sorte Deum rogat reddere.

4. Sic et conservavit idem vir innocentiam suam, et recepit possessionis perditam substantiam; qui, per Martinum divinum consecutus subsidium, non jam durum, negligentem, surdum, mutum vel dormientem vocabat, sed celerrimum subventorem.

DE S. SULPITIO SEVERO. (Cfr. supra, pag. 493, 6°.)

Incipit vita sancti Sulpicii, Bituricensis archiepiscopi.

1. Beatus igitur Sulpicius, cognomento Severus, Aquitaniæ provinciæ oriundus, parentibus secundum seculi dignitatem splendidissimis procreatus, Bituricæ urbi a Deo destinatus est pastor egregius. Hic in prioribus annis a parentibus litteralibus

studiis traditur imbuendus : quæ postea congruenti tempore afflatus sancto Spiritu nobis eructuavit elegantissimus. Sane cum jam relictis scholis omni scientia perfectus, Ch[ristum] * sequi cupiens, paupertatis atque humilitatis amator esset effectus, transtulit se ad beatissimum Martinum, Turonicæ civitatis episcopum, ut ejus exemplis atque documentis perfectissime instructus, de virtute in virtutem crescendo proficeret semper in melius. Ejus audita fide, vita atque virtutibus, desiderio illius æstuans, gratam ad eum videndum peregrinationem suscepit, simul quia jam ardebat animus vitam illius atque virtutes scribere. Quas ab ipso, in quantum ille interrogari potuit, sciscitatus est; reliquas ab his qui interfuerant vel sciebant, cognovit.

* *cod.* x *cum spatio vacuo.*

2. Hujus itaque sanctissimi viri exemplis atque exhortationibus in Domino corroboratus, apud eum diu moratus laudabiliter vixit, vitam illius atque opera magnifica laudabili stylo describens, non ad inanem hominum memoriam, sed ut ad veram sapientiam et cœlestem militiam divinamque virtutem legentes incitaret. Et vere apud eum laudabilis ejus conversatio fuit, quia non solum sancte vixit, sed etiam quia digne docuit, attendens illud quod in Danielis volumine, cum de resurrectione mortuorum loquitur, ut ostendat spirituales magistros super omnia bona constituendos, dicens ita : *Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti ; et qui erudiunt ad justitiam plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

3. Hoc desiderabile et ineffabile gaudium adipisci desiderans pater noster Sulpicius, cujus hodie festivitatem celebramus, qui talentum sibi traditum bene vivendo et bene docendo, non solum in Bituricensi urbe, sed etiam in multis regionibus studuit erogare, ut geminatum illud Domino reportaret, non tantum docendo pios, sed etiam comprimendo non pios. Quoniam, juxta Scripturæ vocem, *Gaudium matris est filius sapiens*, tanto ejus excrescunt merita gaudiorum, quanto incrementa proficiunt spiritualium filiorum. Unde necesse est ut unusquisque nostrum, hujus beatissimi patris vestigia sequi cupiens, talentum quod a Domino accepit, non in terram abscondat, sed cum magno desiderio studeat erogare, quatinus geminatum illud Domino deferat. Et quia alius artem legendi, alius canendi, alius prædicandi, alius ea quæ ad ornatum ecclesiæ pertinent, sive ad alios liberales usus, fabricandi talentum accepit, hoc quod didicit studeat erogare. Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo judex veniet et rationem cum servis quibus talenta credidit ponet. Ecce in majestate terribili inter angelorum atque archangelorum choros videbitur, et in illo tanto examine, electorum omnium atque reproborum multitudo deducetur; et tunc uniuscujusque opus, quale sit, ostendetur. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem repræsentabunt.

4. Hoc beatus Sulpicius in animo fixum habebat, hoc ante suæ mentis oculos semper ducebat, ut de commisso talento lucrum faciens Domino reportaret, dum in sancta meditatione atque prædicatione assiduus perseverabat. Timebat enim quod, si pecuniam ligatam in panno haberet et de illa nihil lucratus fuisset, terribilem sententiam quam servus piger audivit, reciperet. Ideoque assiduitati lectionis

atque prædicationi cum piis actibus invigilabat, ut cum psalmista dicere posset: *Domine, justitiam tuam non abscondi ; in conspectu omnium veritatem tuam dixi.*

5. Igitur cum Biturica urbs proprio fuisset desolata antistite, vox clericorum atque laicorum una efficitur : Sulpitium episcopatu esse dignissimum ; felicem fore tali ecclesiam sacerdote, cujus floribus atque documentis non solum occidentalis Ecclesia sed etiam orientalis referta atque ornata congaudet. His et pluribus aliis assertionibus roboratus, electus a clero, testificatus a populo, auctore Deo, cathedræ Bituricensium ecclesiæ episcopus subrogatur. Jam vero sumpto episcopatu qualem se quantumque præstiterit, non est nostræ possibilitatis evolvere. In summo enim honore summa erat ei humilitas. Quamvis summus esset, humilitatem tenebat ; quamvis sublimis potestatis, in se celsitudinem reprimebat. Non se extollebat honore ; possidebat humilitatis culmen. Impositas sibi curas humiliter explebat, traditum ministerium mente susceperat, existens obediens divinæ dispensationi. Potestatis jura ac cœpta ordinato animo et tranquillo corde disponebat. Non igitur amabat damnare, sed emendare potius atque corrigere.

6. Postea vero sentiens beatus Sulpitius angore, vigiliis, jejuniis multisque aliis passionibus membra sua debilitari, inter ceteras quas pro Christi amore jugiter in corpore suo deportabat, unum sibi proprium atque speciale elegit, quatinus præteriti, si qui fuerint in eo, decoquerentur errores, seu ad æternæ beatitudinis promerenda præmia, ut semetipsum proprii oris perpetuo damnaret silentio. Sciebat enim vir sanctus quia *Regnum cœlorum vim patitur et violenti arripiunt illud.* Revera, fratres, regnum cœlorum violentia acquiritur. Vim enim sibi faciunt qui illud aperire volunt. Novimus quia familiariter mens humana in diversis mundi hujus illecebris et concupiscentiis devicta fugit laborem, expetit voluptatem* et vix adducitur ut consuetudinem vitæ prioris excludat. Sed si cœperit cogitare ultimi diei necessitatem ac futuri judicii pondus, incitata et stimulata vel spe præmii vel timore supplicii, voluntarium bellum indicit et vim facit pristinis desideriis suis, et violenter se vincere ipsam præsumit. Non enim sine violentia fieri potest, ut de abundantia et deliciis ad famem et sitim * et crucem transeat atque odio amicam carnem, contritione, vigiliis conficiat. Non sine violentia fieri potest ut unusquisque iracundiam patientia, superbiam humilitate commutet, amore paupertatis sufficientiæ affluentiam superet, vinolentiam sobrietate, luxuriam castitate condemnet, et homo subito in virum transformetur perfectum, et quodammodo alter reddatur ex altero : ac sic a talibus per violentiam regnum cœleste arripitur..... Quæ violentia major aut quæ res magis ardua in homine quam in beato Sulpitio fuit ? Qui, pro amore cœlestis patriæ et propter spem remunerationis æternæ, cum esset summus pontifex, licita propter illicita derelinquens, cui mundus et qui mundo ita crucifixus et mortuus erat, quod multo tempore perpetuum silentium usque ad mortem dicitur tenuisse. Carnales voluptates in se mortificaverat, terrena despiciens, cœlestia per martyrium adquirens, illos sequi eorumque consortio cupiens associari de quibus egregius prædicator ait : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*

7. Discessit autem a seculo, quarto Kalendas Februarii, in bona confessione,

* *cod.* voluntatem.

* *cod. add.* ad abundantiam.

plenus diebus atque sanctitate. Per multas tribulationes expurgatus, spiritum cœlo reddidit; positumque est sanctissimum corpus ejus a fidelibus in basilica sancti Juliani martyris prope muros urbis Bituricæ. Cujus meritis si coæquari non possumus, saltim patronum in cœlis habere mereamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

LXXVI. Codex signatus n° 5397-5407.

Foliorum omnino 187 (quamquam series numerorum quibus notata sunt tantummodo ad numerum 168 pertingere videtur, sed numeri 9, 82 et 163 binis foliis sunt inscripti et post fol. 90 repetita est series inde a numero 75), formæ mediocris (0^{m},285 × 0,19), columnis binis, lineis atramento (usque ad fol. 51^{r}) et deinde graphide ductis, exaratus diversis manibus seculi XIII. Tituli minio signati. Litteræ initiales rubro et cæruleo colore, altero eorum ad ipsam litteram efformandam, altero ad ornamenta adhibitis, non ineleganter; nonnullæ vero ingentes, exordio documentorum, variis coloribus satis insigni arte depictæ.

Quamvis nulla nota id indicans codici inscripta sit, facile ex tota ejus facie et præcipue ex compactionis ratione deprehenditur fuisse monasterii Gemblacensis.

1° Gennadius in libro illustrium virorum de Severo, scriptore vitæ sancti Martini (fol. 1^{v}).

Edit. apud Migne, P. L., tom. LVIII, p. 1071, cap. XVIII.

2° Vita sancti Sulpicii archiepiscopi (fol. 1^{v}).

Vita auctore Guiberto Gemblacensi, de qua agitur in *Act. SS.*, ad d. 29 Jan., tom. II, pp. 968, 969. Vide Append.

3° [Versus de sancto Martino] (fol. 16^{r}).

O Martine, flos præsulum, o conculcator Zabuli,
O monachorum speculum, o vani spretor seculi,
Quem in mundi climatibus tot ammirantur populi,
Audi preces cum fletibus te venerantis famuli.

Alter ego Sulpicius, me tuo patrocinio
Commendans specialiter, te venerari gestio.
Si te velim attollere singulari præconio
Præ cunctis confessoribus, justa fiet laudatio.

Tu polles sanctimoniæ totius privilegio,
Totus cœlestis gratiæ perfusus stillicidio.
In terra manes corpore, sed in cœli palatio
Conversaris mente pia cum sanctorum consortio.

Datum est tibi cœlitus donum vere mirabile,
Donum ignotum ceteris, donum nimis laudabile,
Qui in tumultu populi facis sine gravedine
Quod facere non prævalet latens in solitudine.
Martine, martyr inclite, sed non lictoris gladio,
Qui pro Christo viriliter decertasti in stadio,
Te fecit esse martyrem corporalis afflictio,
Bellum carnis ac spiritus, cinisque cum cilicio.
O Martine dulcissime, implora pro me Dominum,
Ut ad ipsum perveniam post hujus vitæ terminum.
Rex Christe clementissime, domine dominantium,
Esto mihi placabilis per Martini suffragium.
O præsules et monachi, caveamus insidias
Versipellis Leviathan ; sustinentes molestias
Cum Martino pontifice, semper inter angustias
Benedicamus Domino, Deo dicamus gratias.

4° Sulpicii Severi scripta de S. Martino, videlicet Vita S. Martini cum Epistola dedicatoria ad Desiderium (fol. 16v-26r), tres Epistolæ ad Eusebium, ad Aurelianum et ad Bassulam (fol. 26r-29v) et Dialogi (fol. 29v-50v).

Edita apud Migne, P. L., tom. XX, p. 159-222.

5° De vita sancti Martini (fol. 51r-53r).

Vita auctore Alcuino, edita apud Migne, P. L., tom. CI, p. 657-662.

6° [Tractatus beati Adæ, alias Odonis, abbatis Cluniacensis : Quod beatus Martinus par dicitur apostolis] (fol. 53r-55v).

Editus in *Bibliotheca Cluniacensi* (Parisiis 1614), p. 123-128.

7° Visio sive revelatio Hildegardis de sancto Martino (fol. 55v-60r).

Edita apud Pitra, *Analecta Sacra*, tom. VIII, p. 369-378.

8° De sancto Martino (fol. 60r-65v).

Homilia auctore S. Bernardo, edita apud Migne, P. L., tom. CLXXXIII, p. 489 sqq.

9° [S. Gregorii Turonensis de miraculis beati Martini Libri quatuor] (fol. 66r-93v).

Editi apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 911-1008.

10° Epistola domini Fulconis cognomento Boni, incliti Andegavorum et Turonorum comitis, ad sanctum

Odonem, collactaneum suum, primum abbatem Cluniacensem (fol. 93v-94r) et S. Odilonis ad eamdem responsoria (fol. 94r-94v).

Vide supra, p. 239, 5°.

11° Textus Hystoriæ translationis in Burgundiam et relationis in Turoniam corporis beati Martini, a sancto Odone abbate ex veteri cultiori stilo editus et Fulconi comiti Andegavorum transmissus (fol. 94v-100v).

Vid. supra, p. 239, 6°.

12° Textus miraculorum post relationem beati Martini ad sepulchrum ejus ostensorum (fol. 100v-110v).

Ibid., 7°.

13° Venerabilibus sanctæ Ecclesiæ prælatis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, presbyteris omnibusque ubique terrarum catholicis, beati Martini Turonensis ecclesiæ conventus salutem et fideles in Christo orationes (fol. 111r-113r).

Epistola qua referuntur miracula acta Turonibus anno 1141, dum huc delata sunt corpus beatæ Burgundoforæ et caput sanctæ Agnetis virginis : edita est apud Toussaints Du Plessis, *Histoire de l'Eglise de Meaux*, tom. II, p. 36-39. — Sub finem ea quæ in editis verbo *etc.* significantur, hæc sunt : *Unde quædam rationabilis admonitio est hujusmodi sanctuarium cum honore suscipere, beneficiumque impertiri cum benivola caritate.*

14° [S. Martini Trinæ unitatis et unius Trinitatis confessio] (fol. 113r-113v).

Edita apud Migne, P. L., tom. XVIII, pp. 11, 12.

15° [Inscriptiones Turonicæ in laudem S. Martini] (fol. 113v-115v).

Editæ apud Le Blant, *Inscriptions Chrétiennes de la Gaule*, tom. I, numm. 166-184, pp. 228-246. — Sed lectio codicis est mendis respersa, et inscriptiones, nulla locorum quæ exornant facta mentione, continua serie conscribuntur.

16° Miraculum sancti Martini (fol. 115v-117r).

Editum supra, p. 242-244.

17° Historia de regali progenie sancti Martini (fol. 117r-123r).

Edita apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 1105 sqq., sub hoc titulo : *Historia Septem Dormientium.*

18° [De combustione basilicæ beati Martini] (fol. 123^{r}-134^{r}).

Sermo auctore S. Odone, abbate Cluniacensi, editus in *Bibliotheca Cluniacensi*, p. 145-160.

19° [De sancto Martino] (fol. 134^{r}-135^{r}).

Sermo auctore S. Odone, abbate Cluniacensi, editus apud Migne, P. L., tom. CXXXIII, p. 749-752.

20° Vita S. Odonis abbatis (fol. 135^{r}-162^{v}).

Vita auctore Joanne, monacho Cluniacensi Italo, ipsius discipulo, edita in *Bibliotheca Cluniacensi*, p. 13-56. — Sed quæ in editis leguntur p. 39 D, E, usque ad p. 46 C (*Jam ad bonorum-malis propitiatus averte*) posita sunt in codice quasi inserenda sint p. 50 E inter *Martini convertit* et *Eodem namque tempore*.

21° [Vita B. Sulpitii cognomento Severi] (fol. 162^{v}-$163^{bis\,r}$).

Edita supra, p. 503, ex codice Brux. 5387-96.

22° [Vita S. Gregorii Turonensis] (fol. $163^{bis\,r}$-168^{v}).

Vita auctore Odone abbate, edita apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 115 sqq.; sed ob folia excisa abrumpitur in cod. in his verbis *Sede apostolica subrogatur* (p. 126, cap. XXIV initio).

Appendix ad cod. 5397-5407.

DE S. SULPITIO SEVERO. (Cfr. supra, p. 506, 2°.)

Vita sancti Sulpicii archiepiscopi.

1. Sulpitius Severus primo beati Martini discipulus, post Bituricensis archiepiscopus (1)... se contulit, cujus illis diebus cœlestis conversatio multos sacræ religionis æmulos et sequaces efficiebat, et apostolicorum claritas operum instar solis orbem universum irradiabat. A quo (2)... conversatus est. De quo scilicet monasterio idem Severus in primo Vitæ præsulis libro, cum ad episcopatum Turonicæ civitatis illum retulisset assumptum, ita subintulit: " Aliquamdiu (3)... statuit. „ Porro quod, suis vel seculo posthabitis, beati magistri disciplinæ se tradidit, ipsius certissime verbis comprobatur. Cum enim altissima quæ per magistrum

(1) *Act. SS.*, tom. II Jan., p. 968, num. 14. — (2) Ibid. — (3) Migne, P. L., tom. XX, p. 166, num. X.

Deus operatus est, ex parte descripsisset magnalia, post relatam ingentem illam tentationem, qua diabolus Christum se fingens decipere eum conatus est, protinus subjungit : “ Hoc ita gestum (1)... fabulosum. „ Statimque annectit : “ Nam cum olim (2)... suscepimus. Quo quidem tempore credi non potest qua me humilitate, qua benignitate susceperit, „ et cetera quæ de sua susceptione et de illius conversatione usque ad finem libri prosequitur. Per totum quoque textum epistolæ quam de sanctissimo ejus obitu ad Aurelium scripsit diaconum, lacrimosis questibus optimi institutoris desiderabili præsentia se queritur destitutum. Sed et in secundo Dialogo Gallus, qui in eo loquitur, admirabiles illas relaturus apparitiones quibus a sanctis inter vitæ præsentis miserias positus ob consolationem frequentabatur : “ Quadam, inquit, die ego et iste (3)... dicatis. „ Et post pusillum cum idem Gallus de Nemausensi ageret synodo, ad quam quidem vir beatus ire noluerat, sed quid in ea gestum esset scire volebat : “ Casu, ait, cum (4)... nuntiavit. „ Ex quibus omnibus luce clarius est hunc ad illum venisse non visitandi causa, sed gratia cohabitandi, eumque, ampliori præ ceteris condiscipulis suis dilectione complexum, majorem familiaritatis ausum apud eum meruisse atque ejus secretis vel consiliis vel miraculis frequentius interfuisse. Quod vero post magistri obitum ad episcopale officium sublimatus sit, ex verbis vel scriptis ejus, quæ adhuc legerim, minime mihi innotuit, sed in præscripta illius Vita id manifeste asseritur ; et inter illa quæ de specialibus Majoris Monasterii institutis edita leguntur, hæc ad verbum scripta repperi : “ Recepto (5)... acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Quapropter confiteantur Domino misericordiæ ejus ... (6).

2. Itaque quandoquidem tota hominis vita tentatio est super terram, quid tandem certi de tentatione sancti hujus viri, in qua ad horam succubuisse videtur, arbitrabimur, pro qua etiam excusanda et nota ejus de cordibus obtrectatorum abolenda tantopere laboramus? quid? nisi quod pium et justum est sentire tentationem illam humanam fuisse, id est venialem, non diabolicam nec peremptoriam, quia mox ut agnovit, culpam emendavit, cum, a seductoribus illis injustis qui ei fabulationes impias narrando a tramite veritatis eum abduxerant, resiliens, ad piæ matris Ecclesiæ sinum refugit, et collectis pœnitentiæ copiis correptisque armis virtutum ipsum tentatorem suum aggrediens, eique acerbiora quam accepisset vulnera inferens, præclare triumphavit. Credendum namque est pii magistri sui patrocinium nullatenus illi defuisse (sicut ipse ad amicum in epistola loquens inquit : “ Crede mihi, ille non deerit „) ; ipsoque suffragante levavit se super se, et sedit tacens. Et qui in lingua delinquendo non custodierat vias suas, ad viam veritatis per silentium, quod est cultus justitiæ, recurrens, posuit ori suo custodiam ;

(1) Migne, P. L., tom. XX, p. 174, num. xxiv. — (2) Ibid., num. xxv. — (3) Ibid., p. 210, num. xiii. — (4) Ibid., p. 211. — (5) *Act. SS.*, tom. cit., p. 968, numm. 15, 16. — (6) Hinc (fol. 3^r-4^r) per coll. 5 (usque ad : *ad propositum recurramus*) diffusa oratione contendit Guibertus manifestum esse multis exemplis culpam olim admissam, sed pœnitentia deletam, non obstare sanctitati, neminem a culpa esse immunem atque id a Deo ad nostram eruditionem permitti.

obmutuit et humiliatus est, et siluit a bonis. Quidni in illa taciturnitate (1)... illius sit. Age et erga nos, oramus, similia (2)... digneris reducere.

3. Satis jam, ut opinor, super excusanda viri hujus sancti deceptione peroratum est, nec tantis forte opus esset, nisi quod obtrectatoribus ejus obviare mihi instantius visum est, dicentibus nihil uspiam de certitudine sanctitatis ejus inveniri, atque per hoc scripta ipsius non pro magno debere computari. Simul etiam, instar galli, qui, alios excitaturus, seipsum prius concussis alis incitat, nacta occasione et me et lectores benivolos ad vigilantiæ cautelam exhortari pium duxi, quatinus, et severitatem et bonitatem Dei semper cogitantes, in prosperis timeamus, non tumeamus, in adversis non desperemus sed respiremus, fideli et sapienti totius vitæ moderatori humillimis nos et indefessis precibus committentes.

4. Ceterum (3)... extiterit. Probat hoc evidenter textus Vitæ sanctorum Septem Dormientium in Majori Monasterio junctis sepulcris quiescentium ab eodem Gregorio digestus et eidem Sulpitio transmissus, epistola operi præfixa : " Beatissimo patri Sulpitio, Dei gratia Bituricensi archiepiscopo, Gregorius, Turonorum indignus sacerdos, in Christo, salutari nostro, salutem. „ Qui scilicet sancti idcirco Dormientes vocantur, quia, cum essent patrueles beati Martini simulque ipso ordinante in uno conclusi degerent ergastulo, eodem patre suo et doctore quadam nocte dominica eis apparente et ante Deum illos se pollicente conducere, post factam confessionem et acceptum sacræ communionis viaticum uno pariter omnes momento læti et alacres obdormierunt in Domino, tam a dolore mortis immunes quam fuerant ab omni contagio commercii carnalis extorres.

5. Sed, ut ad cœpta redeamus, probat et hoc duos fuisse Sulpitios, quod junior in urbe sua, ubi et sepultus est, celebrem sui nominis habet ecclesiam ; senior in basilica sancti Juliani, primi urbis ejusdem episcopi, humatus dinoscitur. Sed utrum ibi remanserit corpus ejus, an alias transpositum sit, incompertum habeo. Potuit enim et de hoc fieri quod etiam de aliis sanctorum reliquiis factum cernimus: quod vel furtim vel violentia, cum a barbaris civitates vastarentur et everterentur ecclesiæ, de locis suis sublatæ et alibi translatæ sunt.

6. Sane unum est de hoc eodem Sulpitio, super quod moveor, sed in neutram adhuc vergens partem ambigo quid inde censeam ; sed id studiosi arbitrio lectoris investigandum relinquo. Hoc scilicet quod in quibusdam codicibus cum sancto Germano, Authisiodorensi antistite, ad refellendam hæresim Pelagianam legitur perrexisse; dum ex aliis diligentius inspectis colligitur propter annorum distantiam istud satis ratum non videri ; siquidem et in ipsius Vita Germani et in plerisque chronicis invenitur, Britannicis præsulibus adversus eamdem pestem a Gallicanis suffragium poscentibus, beatissimum Germanum et semel cum Lupo, Tricassino pontifice, et, cum hac vice parum profecisset, iterum cum Severo, Trevirensi archipræsule, in Britannias transisse ad extirpandum tanti mali seminarium, quod instar cancri serpendo, et latius se diffundendo, divisæ Ecclesiæ par-

(1) *Act. SS.*, tom. cit., p. 969, numm. 16, 17. — (2) Sequitur in cod. (fol. 4^v, col. 2) per lineas 11 adhortatio ad agendam pœnitentiam. — (3) *Act. SS.*, tom. cit., num. 18.

tem sibi communicantem letaliter inficiebat, adversantem crudeliter vexabat. Hujus Trevirensis Severi gesta necdum legi, et an scripta sint ignoro; scio tamen tam ipsum quam Germanum isto Severo, de quo agimus, non temporum alteritate, sed ætatum disparilitate non parum juniores fuisse. Sed plane error iste, qui aut de vulgari rerum gestarum relatione aut de minus cauta annorum (in qua multum dissident chronographi), supputatione oboritur, venialis est, cum vera lex historiæ sit : ea quæ passim narrantur in unum collecta scripto posteritati transmittere (1)... Et istæ quidem suscepti sermonis communes sunt causæ.

7. Porro illa specialis est summa, ut obturarem os loquentium iniqua et transfigerem linguam maliloquam eorum qui virum sanctum despiciunt et ejus opera reprehendunt, dicentes non magni pendendam lectionem quæ auctoris fide et sanctitate non commendatur, dum manifeste is qui eum scribit deceptum, testetur, ut supra diximus, et correctum, asseratque illum non contemnenda scripsisse opuscula, et ad multorum profectum Vitam beati Martini, signis et prodigiis viri egregii, composuisse (2)...

8. Iste quidem Severus ab olim in pace sepultus est; sed necdum in pace facta est memoria ejus, dum etiam nunc ab his qui oderunt pacem impugnatur, et in aliquo librorum quos de vita sancti magistri sui insigni conscripsit eloquio, multa posuisse mendacia culpatur, sicut ei ab uno amicorum suorum cum de his agerent, relatum est, ita dicente : *Horreo dicere quod nuper audivi, infelicem dixisse nescio quem, te in illo libro tuo plura mentitum.* Propter hujusmodi verborum jacula quæ ab hominibus iniquis in eum fallaciter intorquentur, curæ mihi fuit non extremæ [i]d quod in eo reprehensibile videbatur primo positum excusare; deinde, probata et manifestata ejus condigna satisfactione, criminatores ipsius, qui dicunt eum falsa scripsisse vel dubia, refellere (3)...

9. Perpende jam, quæso, saltem ammonitus, fidelis et benivole rerum censor, quanta in scriptis Severi habenda sit fides, quantaque æstimanda constantia veritatis; quanta quoque sanctissimis, quæ conscripsit ille, Martini operibus debeatur reverentia venerationis. **Explicit liber primus.**

10. Incipit secundus. Putabam me tandem, sicut ex verbis superioris tomi apparet, ad metam excurrisse et finem fecisse dicendi; sanctique viri Severi erroris incauti lapsu et exemplis et ratione, prout facultas tulit, excusato, ipsum et opuscula ejus contra æmulos et detractores satis defendisse arbitrabar : sed ecce stilum, quem posueram, resumere compellit ex transverso veniens novus adversarius; instauransque certamen instat et intendit arcum paratque sagittas, quibus non solum me, sed et rectos corde, Severum videlicet et Martinum, sagittet in

(1) Inde auctor fol. 5^v per col. dimidiam refert se ideo " tot auctoritates et exempla „ protulisse, ut omnes semper caute coram Deo ambulent. — (2) Evolvit fol. 6^r per col., hanc sententiam : obtrectationibus, quibus omnes sunt obnoxii, non esse attendendum. — (3) Per columnas tres (fol. 6^v-7^r) probat fidem adhibendam esse Sulpitio de Martino narranti, et affert in specie ex Dialogo III hunc locum : *Miror autem...* (Migne, P. L., tom. XX, p. 214, 215, num. v), concluditque fere ut est apud Migne, tom. cit., in Vita S. Martini (p. 176, num. 27 extr.).

aperto. Cum enim confectam utcumque præcedentis libelli seriem, utpote rudem adhuc et impolitam, ad examinandum judicio audientium in aliquorum auribus diffunderem, audens quidam, et se tenere non valens, quasi ex insidiis erupit, meque aggrediens, ut ait Prudentius, occurrit dubitans hic disceptator et infit: *Cum tantopere et Severi dicta et Martini tui facta stabilire et defendere coneris, quid de ultimo secundi Dialogi* (1) *pulsatus respondebis capitulo? Quod etsi non in omnibus, in nonnullis tamen invenitur exemplaribus. In quo quærentibus de fine seculi legitur respondisse Martinus : Neronem prius et Antichristum esse venturos. In quo etiam quædam de singulis illorum posita sunt, quæ fidei sacræ adversari videntur* (2)...

11. Ad hæc ego inconcussus et nil hæsitans : *Quid*, inquam, *verbis capituli hujus quæ objicis responderem? nisi quod tu ipse in hoc, quod mihi instauras, certamine arma defensionis porrigis, et justæ suggeris occasionem responsionis, dum illud non in omnibus generaliter exemplaribus inveniri confiteris. Nam si idem capitulum ab initio auctor sicut et cetera, de quibus nulla quæstio est, posuisset, nempe in universis, ut opinor, libris haberetur, et nihil aliud restaret, nisi ut aut culpatum defensaretur, aut, si excusari non posset, prorsus amputaretur. At quoniam generale non est, datur intelligi quod aut a falsariis ob invidiam ad fermentandam sinceræ lectionis meram puritatem insertum sit (aut si forte Martinus ea quæ in illo scripta sunt, exigentibus respondit, non hoc prophetando seu affirmando, sed vel æstimando, vel aliorum opinioni assentiendo protulisse credendus est), eoque a prudentibus inspecto, a corpore historiæ ablatum sit, sicque aut isto aut illo modo contigisse ut in paucis jam reperiatur* (3)...

12. Severus quoque insignis et elegans (4) ... perspiciunt. Et quia opere in longo fas est obrepere somnum, et quandoque bonus dormitat Homerus, absit ut modica unius nævi surreptio vel ab ipso negligenter positi, vel ab aliis (ut ex diversitate exemplarium conjici datur) fraudulenter inserti, tam splendidæ et commodæ fulgorem historiæ obnubilet; sed magis legentium pietas, si nævum ipsum in aliquo exemplari reppererit, aut auferat aut venialiter pertranseat, et decor atque utilitas pulcherrimæ et saluberrimæ lectionis brevissimi offensam capituli operiat, celet et abscondat (5)...

13. Nihilominus, ut meus quoque labor, licet exiguus, venerationi sanctorum deserviat et utilitati legentium in aliquo proficiat, non omnes (quia non audeo et incassum caderet) sed eos dumtaxat quos ex affectu et amore beati Martini devotionis fervor accendit, supplex oro et moneo quatinus opusculum hoc, duobus digestum tomis, acceptare dignentur, neque propter inculti sermonis rusticitatem

(1) Migne, tom. cit., pp. 211, 212, num. XIV. — (2) Per lineas 18 (fol. 7^{r} ad 7^{v}) evolvitur objectio. — (3) Hic longo sermone (fol. 7^{v} col. 2-fol. 9^{r} col. 2) S. Martinus ab hæresi vindicatur ; quia tamen spiritus propheticus non semper prophetas comitatur, potuit ut alii in verbo offendere. — (4) *Act. SS.*, tom. cit., p. 969, num. 18. — (5) A fol. 9^{v} ad 11^{r} col. 1, hæc multis evolvuntur : Nihil a falsariis immune est ; varia est de ultimi judicii die opinio ; non sunt tangendi christi Domini, nisi ut ab ipsis benedictio reportetur.

vel tædiosam prolixitatem, quarum alteram peperit inscitia, alteram avida excusandi et laudandi utrumque prædictum pontificem fecit devotio, aspernandum * arbitrentur. Neque hoc solum, quia minimum est, sed illud toto et humili mentis annisu deprecor, sic Deus in suis eos votis audiat et precibus, quatinus, ardentissimæ affectionis meæ causa, Dei faventes desiderio, hoc idem opusculum totius * libris historiæ de actibus et conversatione beati Martini ab ipso sancto Severo luculentissimo digestæ stilo præscribere et dignum et cautum ducant, quatinus impudentes et malivoli ejusdem historiæ, si qui uspiam habentur, impugnatores seu derisores, hoc quasi scuto inexpugnabili adversus detractionum suarum jacula eam undique munitam et armatam inveniant (1) ...

(* *cod.* aspernandam. — * *sic.*)

14. En, ostendo dilectioni vestræ non armariolum, sed armarium adeo plenum et confertum jaculis et armis, necessitati tuitionis vestræ commodis, ut, sicut arbitror, aliunde non sit vobis necessarium ad compescendos Martini æmulos et hostes nostros arma requirere. Quod sane armarium non aliud putari volo quam splendidam domni Adam, viri magnæ religionis et multæ scientiæ, epistolam, qui, ex Majoris Monasterii monacho in rectorem alterius cœnobii assumptus, abbatis nomen et officium quod obtinet, doctrina nunc et opere strenuissime et discretissime tuetur *. Prædicta pertractans verba, id est: " O Martine, prophetis compar „ ... tanta persecutores Martini invectionum prosecutione exagitat instantia, ut converti et obviare nulla præsumant audacia (2) ...

(* *vox suppleta.*)

15. Quapropter enixius obsecro vos omnes, quos devotionis in tantum patronum habeo vel umquam habiturus sum socios, quatinus, ad augmentum gloriæ ejus et ad fiduciam veniæ a Deo vobis ab eo impetrandæ, quisquis vestrum deinceps gestorum ejus historiam ex integro transcribere voluerit, si non vult errare, a tramite exemplaris nostri omnino caveat exorbitare, sed vestigia itineris in eo sibi præostensi incunctanter sequatur; et, ut pateat quod per involucra loquor, seriem ejusdem historiæ cum ordine librorum et epistolarum luculenta et diligenti Sulpitii Severi opera contextorum *, sicut illic invenerit, sibi transcribat. Notet etiam qui transcribit circumstantiam munimentorum ipsius historiæ (quæ cum sit firmissima, tamen propter eos, quibus alicubi nutare videtur, vel propter eos qui ei detrahendo obloquuntur, ad fulciendam illam apposui), nec aliquatenus omittat quin et illa in eisdem locis in quibus posita sunt transcribat, ut his lectis vel auditis nutantes solidentur, obloquentes confutentur. Fulcimenta vero hæc nihil aliud volo intelligi, nisi præsens opusculum et prædictam domni Adæ abbatis epistolam; apologiam quoque sancti Odonis, primi Cluniacensium abbatis, de incendiis ecclesiæ ejusdem beatissimi Martini; sermonem etiam præclarum de ipso domni Bernardi, primi æque abbatis clarissimi Clarævallensium; sed et visionem de excellentia ipsius mirabilem sacræ virgini Hildegardi divinitus ostensam. Quorum primum, id est hoc ipsum opusculum, in capite sæpedictæ historiæ actuum ejus a sancto

(* *cod.* contextum.)

(1) A fine col. 2 fol. 11^{r} usque ad fin. col. 1 fol. 12^{v} invectio in illos qui scandalo habent Martinum apostolis parem dici, qui tamen jure talis prædicatur. — (2) Per lineas 15 commendatur Adami epistola.

Severo, ut jam præfatum est, digestæ, reliqua in fine posui. Obsecroque et hortor ut hic idem ab his quibus nostra dispositio non displicebit, cum deinceps hæc transcribentur, ordo teneatur (1)...

16. Quoniam, si justum, dulce, dignum et laudabile mihi de quovis amico fideli cogitare, loqui et audire velle cuique prædicabilia, quanto justius, dignius, dulcius et laudabilius id mihi agere de senatore cœli glorioso, de patrono ad exaudiendum promptissimo, denique de illo cujus ab ineunte ætate usque ad senii defectum (octoginta quippe duorum circiter annorum sum hodie, de quanto dierum numero queritur psalmista : *Si autem*, inquiens, *in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor*), de illo, inquam, cujus a puero usque nunc, quoties causa justæ necessitatis exegit, beneficia jugiter expertus sum (2) ...

LXXVII. Codex signatus n° 5408-11.

Foliorum 185, formæ mediocris ($0^m,32 \times 0,23$), columnis binis, lineis graphide ductis, exaratus seculo XIII. Tituli minio signati, sicut et litteræ majores initiales, nullis tamen ornamentis, præter unam alteramve et exordio totius codicis litteram O variis coloribus et auro distinctam, at non admodum insigni arte.

Folio 1^r inscripta est hæc nota manu seculi XVII : *Liber monasterii Gemblacensis.*

Præcipuam partem codicis (fol. 1^v-175^r) complet Registrum S. Gregorii M., quo exemplari usus est cl. Ewald in nova editione operis cui titulus *Regesta Pontificum Romanorum ... ad an. 1198* (Lipsiæ 1881) (3); et in ultimis foliis (fol. 184^v-185^v), quæ vacua relicta erant, descripta est notitia de vita Guiberti abbatis (4), in qua præcipue memorantur quæ contulit munera ecclesiæ Gemblacensi et census quo-

(1) A fol. 13^r, col. 2 usque ad fol. 15^r, col. 2 extr., redarguuntur improperantes Martino quod suas ecclesias ab incendio non servet. Deus ipse Filii sui permittit violari sepulcrum, immo et hominum corda peccato fœdari. Incomprehensibilia sunt judicia Dei. In omnes ergo exerceat beatus Martinus misericordiam suam, et fratres Majoris Monasterii cum patientia sustineant præsentis opusculi nimiam prolixitatem, inde ortam quod ipse auctor maximo S. Martini amore tenetur. — (2) A fol. 15^v, col. 1 med., usque ad finem rogatur Martinus ut auctorem libri semper tueatur eique apud Deum remissionem peccatorum obtineat. — Opinamur hanc esse Apologiam Sulpitii Severi, quam in tom. VIII (1884-85) operis inscripti *Biographie Nationale* desiderare videtur auctor articuli GUIBERT, *abbé de Florennes et de Gembloux*, dum pag. 414 sic scripsit : „ J'ignore ce que sont devenues l'*Apologie de Sulpice Sévère* et... „ — (3) Cfr. *Neues Archiv.*, tom. III, p. 461. — (4) Quam sub titulo *Fragment de chronique concernant l'abbaye de Gembloux*, edidit Alph. Wauters (*Compte rendu des séances de la Commission royale d'Histoire, IVe série*, tom. II, p. 259-273).

rumdam redituum quos excipiebant fratres anniversario quorumdam benefactorum die. — Præterea continetur in eo codice :

Vita sive transitus S. Gregorii papæ, qui est quarto Idus Martii (fol. 175r-180r).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 130-137. — Post Vitam (fol. 180r-183r), fere nullis adjectis rubricis, scripta sunt (sub lineis quibus neumata inserenda erant) antiphonæ, versiculi ac responsaria legenda ad divinum officium in festivitate beati Gregorii.

LXXVIII. Codex signatus n° 5485-98.

Foliorum 200, formæ mediocris (0m,335 × 0,24) columnis binis, lineis stylo ferreo ductis, exaratus seculo XII. Tituli minio signati ; multæ litteræ initiales, ingentes, admodum artificiose et eleganter minio delineatæ et coloribus, præsertim cæruleo et subfulvo, obumbratæ sunt.

Facile agnoscitur codex Gemblacensis, præsertim ex compactionis ratione, quamquam nulla nota insignitus.

Complectitur autem homilias et sermones SS. Patrum dominicis, feriis ac festis accommodata, inter quæ hæc hagiologica notari possunt :

1° Sermo sancti Augustini de miraculis ejusdem beati Stephani martyris (fol. 61r-62v).

Narratio desumpta ex opere beati doctoris *de Civitate Dei,* scilicet ex lib. xx, cap. 8, num. 10-21, omisso tamen num. 20 cum ultima parte num. 21, nempe : *Sed ista nec similiter innotescunt,* etc.

Vide Migne, P. L., tom. XLI, p. 766-771.

2° Item ex Historia ecclesiastica relatio de eodem beato Johanne (fol. 63r-64r).

Id est Eusebii *Hist. eccles.,* lib. iii, cap. 23 (Narratio de juvene converso).

3° Lectiones legendæ in natali sancti Benedicti (fol. 196v-198r).

Desumptæ ex Vita auctore sancto Gregorio Magno, edita in *Act. SS.,* ad d. 21 Martii, tom. III, p. 277 sqq.

In fine totius codicis subjuncta est, manu recentiori, narratio de inventione sacratissimi Sanguinis Domini Mantuæ in ecclesia Sancti Andreæ ; quam hic describere visum est.

Rumor erat in Mantua, in ecclesia Sancti Andreæ ante aram

illius templi sanguinem Domini fore sub terra absconsum. Tunc autem Gregorius, loci illius episcopus (1), ante sanctam Parasceven triduanum jejunium indixit generaliter et letanias celebrare, dicens sibi revelatum esse ut in prædicto loco sanguinem Domini perquireret. Ipsa autem die Parasceven, post preces et letanias, in prædicto loco terram fodiendo aperuit, et, cum fodisset viginti passus, invenit cœmentum mirifice factum et subter vas marmoreum. Quod aperiens, infra aliud vasculum minus, marmoreum et ipsum, in ipso autem vasculo invenit capsam argenteam, in qua pretium christianorum, id est sanguinem Domini invenit. Mox autem ut ipsam capsam de vasculo cum magno timore levavit, guttæ tres de ipsa stillaverunt in marmore, quæ hactenus cunctis cernentibus mirabilem reddunt visum et odorem. Sanguis ille sanctissimus madidus erat et parum coagulatus, ita ut digito imprimi posset; et tantus ac talis odor prodiit fraglantissimus, qualem nullus nec mortalium assensit, sicut nec, cum deerat *, potuit. Omnis autem plebs ** lectio dubia.* gaudio et timore, flens et gaudens, perculsa fuit et repleta. Perseverante autem episcopo et cuncto clero ac populo in orationibus, ut Dominus adhuc aliquod signum dignaretur ostendere, die sancto Paschæ octavo, cum legeretur epistola Johannis apostoli, quia *Tres sunt qui testimonium dant, Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt :* in verbo ipsius lectionis de vasculo majori in quo sanguis Domini fuerat reclusus, tres rivuli exierunt in modum aquæ divisi et quasi post duos cubitus junxerunt se in unum. Unde episcopus spongia collegit et ampulam inde implevit. Qui * hactenus ** sic.* apud illum est, et magnum odorem cunctis ingredientibus templum illud præstat. De sanguine autem Dominico plenum calicem ibi dicunt esse.

LXXIX. Codex signatus nº 5504-12.

Foliorum 160 (quamquam 159 tantum notata sunt, sed post fol. 40 sequitur alterum nullo numero signatum), formæ mediocris (0^m,315 × 0,23), columnis binis, lineis stylo ferreo ductis, exaratus seculo XI. Tituli minio signati, sicut et quædam

(1) Iste Gregorius a Leone III anno 808 creatus est Mantuanus episcopus (Ughelli, *Italia Sacra*, tom. I, p. 860).

litteræ initiales; aliæ vero colore fulvo. Nonnullæ litteræ initiales, ingentes, magis artificiose delineatæ sunt et rubro ac fulvo coloribus obumbratæ, una (fol. 40*bis*) valde eleganter minio delineata est.

Codex rursus agnoscitur Gemblacensis ex ratione compactionis.

Continet opuscula SS. Hieronymi, Augustini, Epiphanii et epistolas S. Ignatii Antiocheni, quibus subjuncta est :

1° Kl. Februarii passio sancti Ignatii martyris, discipuli Johannis apostoli et evangelistæ (fol. 155r-157v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Febr., tom. I, p. 29-33. — In codice desinit Passio in his verbis : *solemniter celebratur* (cfr. tom. cit., p. 33, annot. *m.*) et subnectuntur (fol. 157v-158v) quæ Eusebius et Hieronymus de beato martyre tradiderunt.

2° Laus Hironis in eum, discipuli ejus et successoris, qui ei per revelationem fuerat ostensus quod esset successurus cathedram ipsius (fol. 158v).

Sacerdos et assertor sapientissimi Dei, immaculata stola indute, perenni fonte saturate, cum angelis laude candens, Primogeniti certe amice, a peccatis liberate, a diabolo separate, agonista constitutus in stadio veritatis, adquisisti pretiosam salutem, confudisti Trajanum et senatum Romæ, prudentiam nunc non habentem, domesticus factus es Christo in dilectione et fide et vita. Memor esto mei, filii tui Hironis, ut et ego de hac vita exiens sancte sanctis connumerer et dignum nomen merear adipisci, et de injusta statione non inveniar alienus a Deo. Ter quaterque beate, qui ad talia pervenisti, pater Ignati. Currus Israel et auriga ejus, evasisti mortem fugiendo, et de terris ad cœlestia evolasti. Coronam deificam et magnam meruisti, et in amabili Dei agone vicisti. Memento ejus quem nutristi, beate martyr, et præsta mihi colloquium sicut prius faciebas.

LXXX. Codex signatus n° 5519-26.

Foliorum 135, formæ mediocris (0m,285 × 0,205), columnis binis, lineis stylo plumbeo ductis, exaratus diversis manibus seculi XII. Tituli minio signati, sicut et pleræque litteræ initiales, nullis ornamentis, præter nonnullas exordio documentorum satis amplas et variis coloribus haud ineleganter depictas.

Rursus ex tota codicis facie colligitur eum fuisse monasterii Gemblacensis.

1° [Libellus miraculorum Dei genitricis Mariæ] (fol. 1r-19r).

Istud opusculum constat duobus libris, quorum prior, in codice mutilus, optime convenit cum libello de quo actum est in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 180, 13°. Posterior autem est tractatus Hugonis Farsiti *de Miraculis B. Mariæ virginis in urbe Suessionensi*, editus apud Migne, P. L., tom. CLXXIX, p. 1777 sqq. — Ad finem annexum est alia manu Miraculum quod leges in Append.

2° Vita beatissimi confessoris Christi Vincentii cognomento Madelgarii (fol. 20r-31r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Julii, tom. III, p. 668-677.

3° Martyrium sancti Tymothei, discipuli quidem facti sancti Pauli apostoli, primi autem patriarchæ constituti Ephesiorum, metropolis Asiæ (fol. 31r-32r).

Epistola Polycratis, Ephesini episcopi, edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Jan., tom. II, p. 566.

4° Vita sancti ac beatissimi Eloquii confessoris (fol. 32v-37v).

Edita in *Analectes pour servir à l'hist. eccl. de la Belgique*, tom. V, p. 244-354. — Sed in cod. præponitur sequens prologus :

Diem hodiernam, fratres carissimi, sacrosanctæ festivitatis, solemni devotione religiosorum conventui celebrabilem, ipsa revolutio temporis indicit. Et quoniam plurimum in hac plebe hujus penitus expertes sunt, ex tantis actionibus non otiosum duximus notitiam tantæ ac tam gratæ pandere celebritatis. Dignum igitur, immo necessarium credimus, ut, qui istam celebrant et quare celebrent ignorant, cognitionem hujus rei capiant; et qui hactenus minus festivo studio honorabant, gloriosius ac reverentius jam notam excolere atque venerari discant. Primum videlicet qualis quantusque beatissimus confessor Christi Eloquius, cujus natalis dies instat, dum adhuc mortalitatis istius ærumnis teneretur, extiterit, qualibusque inter caligosos hujus seculi anfractus virtutum signis claruerit; necnon et quam immenso jubare miraculorum terrarum tractus tam prope quam longe sitos illustraverit; atque de tenebrosa hujus seculi Ægypto, columna* legis divinæque gratiæ protectione præeunte per varias piorum profectuum mansiones, ad terram repromissionis, per quam patria viventium figuratur, quali fine migraverit; dein vero ad indaganda aliqua de multis divinorum operum magnalibus, quæ circa ipsum ejusque corpusculum post ejus obitum divina clementia præstiterit, quamquam impolitum, sermonis dirigamus officium. Non enim beati viri merita ut clara hominibus appareant mendaciis egent astrui; sed ampliora quam explicari verbis queant, remota omni ambiguitate, debent credi. Sed, quia de eis non pro sui (quod impossibile est) dignitate, sed pro nostri paupertate ingenioli aliqua præloquendo tetigimus, nunc, divina nos præeunte clementia, propositum nobis iter carpamus.

* *cod.* colunna.

5° Vita sancti Hieronymi presbyteri et confessoris (fol. 37ᵛ-43ʳ).

Hæc Vita maximam convenientiam habet cum Vita edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 201 sqq.; discrepat vero ex hoc duplici capite, quod 1° series narrandorum immutata est et 2° nonnulla sunt addita tum ex alia Vita ibid. edita, p. 183, tum ex prolegomenis quæ sanctus doctor suis operibus præposuit.

6° Vita sancti Meingoldi martyris (fol. 43ᵛ-47ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Febr., tom. II, p. 191-196. — Secundum lectionem codicis, ecclesia ad quam translatæ sunt beati martyris reliquiæ (num. 1), vocabatur *beatæ Mamminæ.* Phrasis num. 14 quæ in edit. punctis notata est, ita in cod. legitur : *sperans per illum emollire fratris sui animum erga Meingoldum.* Item num. 16 : *si redeunte animo aliquid bonæ pacis erga Meingoldum vellet habere.* Num. vero 27 nullus est hiatus inter *passione* et *habent.*

Passioni addita sunt in cod. Miracula edita tom. cit., pp. 196, 197; sed codex mutilus est num. 3 medio ad vocem *templum.* Num. 2 pro : *Quod cum fecisset, perfecte curata est,* ita cod. : Mulier vero evigilans, quod divinitus intellexerat viro suo retulit; et ille, resumptis animi viribus ne fugam caperet, visionem adimplere præ gaudio festinavit. Præcessit nox qua ad ægrotam viri Dei facta est allocutio, et secunda die basilicæ illius erat Dedicatio. Multis autem festiva die illic * convenientibus, vir ægrotam sancti ad tumulum detulit. Et dum ibi ageretur divina psalmodia, illa, voce alta, adeo ut omnes mirarentur: *Domine, Domine, venio, venio,* cœpit clamare; et reptando usque ad altare perveniens, postquam deosculata est, consolidato corpore, sana et incolumis surrexit. Seniores autem loci super re tam evidenti accipientes consilium, corpus beati Meingoldi de majori ecclesia ubi erat, illuc detulerunt et celebrato ibidem dedicationis officio iterum retulerunt. Sana quoque et incolumis sub feretro Gerlendis gradiebatur.

* *cod.* illis.

7° Conflictus apostolorum Petri et Pauli cum Symone mago (fol. 48ᵛ-53ᵛ).

Narratio de qua supra, p. 210, 35°. — In cod. passim nonnullæ phrases omissæ sunt.

8° Martyrium sancti Petri apostoli a Lino, papa Romano, græca lingua conscriptum et orientalibus ecclesiis destinatum (fol. 53ᵛ-58ʳ).

Editum in *Maxima Bibliotheca veterum Patrum,* tom. II, p. 67-70.

9° Martyrum sancti Pauli a Lino, episcopo Romano, conscriptum et ecclesiis orientalibus destinatum (fol. 58ʳ-62ʳ).

Editum ibid., p. 70-73.

10° Textus miraculorum sancti Andreæ apostoli (fol. 62r-72v).

Textus omnino similis textui cod. Gandavensis 305 (vid. *Anal. Boll.*, tom. III, pp. 186, 187). — Attamen in cod. Brux. omm. quæ ex Gandav. edita sunt tom. cit., p. 187, scilicet § 2 : *Hæc sunt quæ...*

11° Passio sancti Andreæ apostoli (fol. 72v-75r).

Edita apud Surium ad 30 Nov. Sed num. XIII in cod. ita contrahitur : *Maximilla autem, senatrix pudicitia et sanctitate, cum reverentia colligens, corpusculum condivit aromatibus et in optimo loco sepelivit.*

12° Passio sancti Jacobi, fratris Domini (fol. 75r-76v).

Convenit cum ea de qua supra, p. 203, 4°.

13° Assumptio sancti Joannis apostoli et evangelistæ (fol. 76v-81r).

Vide supra, p. 253, 10°.

14° Passio sancti Thomæ apostoli (fol. 81r-87v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Olim in cod. ipsam Vitam excipiebat narratio cujusdam miraculi; quæ nunc desideratur, ob aliquot folia excisa.

15° [Translatio sancti Bartholomæi ad Lipparim insulam] (fol. 88r-88v).

Hæc narratio partim tantum nec serie continua edita est in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 57, scilicet : num. 30 *(In hac-declaretur)* ; num. 36 *(Nuperrime-possent)* ; num. 49 *(Verum-admonuit)* ; numm. 50-54. — In cod. mutila, incipit :

" ... Etiam mortuus est. Nam hesterno die, hora nona, inter Johannem papam affligendo patritium, discinctus atque discalciatus et vinctis manibus deductus in hanc vicinam Vulcani ollam jactatus est. „ Quod illi audientes, sollicite conscripserunt diem; atque in Italia reversi, eo die Theodericum regem invenerunt fuisse mortuum, quo de ejus exitu atque supplicio Dei famulo fuerat ostensum. Et quia Johannem papam affligendo in custodiam occidit, Symmachum quoque patricium ferro trucidavit, ab illis juste in ignem mitti apparuit. Nam, præ ceteris locis, in ejus terræ insulis eructuante igne tormentorum ollæ patuerunt. Quæ, ut solent narrare qui noverunt, laxatis quotidie finibus excrescunt, ut, quanto mundi termino propinquante certum est illic amplius exurendos colligi, tanto et eadem tormentorum loca amplius videantur aperiri. Quod omnipotens Deus ad correctionem viventium in hoc mundo voluit ostendi, ut mentes infidelium quæ inferni tormenta esse non credunt, tormentorum loca videant, quæ audita credere recusant. In hac...

16° Translatio sancti Bartholomei apostoli a Lippari insula in Beneventum (fol. 88v-90r).

Edita ibid., pp. 61, 62, num. 56-61.

17° Alia translatio ejusdem apostoli in Lipparim insulam (fol. 90r).

Hæc translatio sic narratur in cod. :

Bartholomæum apostolum apud Indiam passum agonis ipsius historia narrat. Post multorum vero annorum spatia de passione ejus, cum iterum christianis persecutio advenisset et viderent gentiles omnem populum ad ejus sepulcrum concurrere, invidia illecti abstulerunt corpus ejus, et ponentes eum in sarcophagum plumbeum projecerunt illud in mare, dicentes : *Quia non seduces amplius populum nostrum.* Sed providentia Dei cooperante per secretum operis, sarcophagum plumbeum, a loco illo aquis subvehentibus sublevatum, delatum est ad insulam Lipparis. Revelatum est christianis ut eum colligerent; collectumque ac sepultum, ædificaverunt super eum templum magnum, in quo nunc invocatus prodesse se populis multis virtutibus ac beneficiis manifestat.

18° Passio sancti Mathei apostoli et evangelistæ (fol. 90r-94r).

Ea de qua supra, pp. 47, 48, 116°. — Pro *nata tristitia-immorari*, ita cod : *natas tristitias temporales quæ corporibus sunt molestæ permittit in rem immorari.*

19° Passio sanctorum apostolorum Symonis et Judæ (fol. 94r-98v).

Ea de qua supra, p. 95, 18°. — Sed hic non desunt cap. XII-XX.

20° Passio sancti Barnabæ apostoli (fol. 98v-102r).

Ea de qua actum in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 512, 41°. — Cfr. tom. II, pp. 301, 302.

21° Passio sancti Marci evangelistæ (fol. 102r-106v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aprilis, tom. III, p. 346-349. — Sed pro numm. 1, 2 (pag. 347), hæc in cod. :

Cernens igitur janitor cœli Marcum, virum sanctissimum, sancto repletum Spiritu, evangelicis mirabiliter insignibus coruscare et juxta præsigium nominis sui ad altiora semper gradu scandere humilitatis, Ægypti eum decrevit apostolum affuturum. *Marcus* enim *excelsus* atque *sublimis* ex hebræa in latinam linguam interpretatus transfertur. Quo ergo excelsius sublimiusque poterat advolare, quam eo quod, Evangelii sui initium ab ipso altissimo Dei Patris Unigeniti nomine, quod est sublimius super omne nomen, incipiens, adorsus sic ait : " Initium sancti Evangelii Jesu Christi, Filii Dei, sicut dicit Isaias propheta? „ Nec immerito doctor gentium prænoscens per Spiritum sanctum præcipuum eum doctorem ad profectum sanctæ Ecclesiæ catholicæ profuturum, scribit Timotheo ita : " Marcum assume et adduc tecum; est enim mihi testis in ministerio. „ Sed et ipsa petra Ecclesiæ, Petrum scilicet loquor, in calce epistolæ suæ specialiter hujus meminit viri : " Salutat vos, inquit, quæ est in Babylone (Romam typice percutit) collecta, et Marcus filius meus. „

Quem quidem beatum Marcum tantæ humilitatis tamque mitissimæ naturæ fuisse asserunt, quatinus, cum divini arbitrii consilio valde idoneus ad gubernan-

dam Ecclesiam Domini haberetur, pollicem sibi manus feratur abscidisse, ne ad sacrum ordinem, quasi imminutus quadam corporis parte, subvehi humano judicio debuisset. Sed contra Dei propositum omnis humanæ intentionis conatus haud dubio inaniter renitens, in ipso incipientis suæ erectionis certamine dejicitur. Quid multa? Venit ergo tempus in quo justi arbitri * sui, Petri videlicet, piæ moderationis dispensatio impleretur, qui ait ad illum : *Fili Marce, perge Alexandriam; prædica Christum Jesum, quod ipse vere sit Dei Filius.* * *cod.* arbitrii.

Suscepto denique ab eo benedictionis donativo, pergit Alexandriam, Evangelium quidem quod nuper ipse Romæ positus, rogatus a fratribus ediderat, probatum Petri auctoritate, secum, cœlestis portitor thesauri, deferens. Christi itaque nomen, quod est super omne nomen, quia non aliud est nomen in quo oporteat nos salvos fieri, primus Alexandriæ innotuit, ibique Domini Ecclesiam consecravit, Christi sanguine exhibitam sine macula vel ruga. Quantæ igitur multitudinis numerus credentium utriusque sexus, virorum scilicet ac mulierum, in exordio sermonis ejus se contulerit ad audiendum, Philo disertissimus Judæorum, in eo qui de *Vita Theorica* titulatus inspicitur libello, refert ita : “ Primo, inquit, ingressu ejus in Alexandriam, exemplo sobrietatis ejus et continentiæ tantæ devotionis multitudo credentium fuit congregata, ut etiam conversatio eorum qui per ipsum crediderant et vita totius continentiæ ac frugi eorum sobriaque convivia librorum memoriæ inseri mandarentur. „ Etiam et Papias, Hierapolitanus episcopus, plurima in suis commentis valdeque præclara hujus Marci iconia præcipuo delucidat stilo et rectissime satis perpetuis commendata memoriis pro futuro utpote describit emolumento. Instituisse fertur etiam canonem apud Alexandriam, hoc est recte vivendi regulam rectæque fidei disciplinam, quam quidem præstabilius exemplo religiosæ vitæ quam graphii fragilitate videas expolivisse *. Nam quemadmodum Lucas luculentissimo stilo declarat Hierosolymis sub beatis apostolis multitudinis credentium esse cor unum et animam unam, et quod nemo eorum audebat aliquid rerum commodum suum dicere, sed erant illis omnia communia ; quidquid autem juris possessionum prædii sui vendicabant, bono venumdantes animo, ponebant pretia ante pedes apostolorum, dividebaturque singulis prout cuique opus erat : ita sub Marco, evangelico doctore, Alexandrina ecclesia cum his qui destinati erant ad vitam æternam, secundum hoc proculdubio apostolicæ formulæ institutum, in sancta se modis omnibus exercere studuit conversatione. * *cod.* expoluisse.

Quem quidem beatum Marcum juxta ritum carnalis sacrificii pontificatus apicis petalum in populo gestasse Judæorum, *Illustrium virorum chronographia* declarat. Ex quo nimirum manifestius datur intelligi de stirpe levitici generis affinitatis eum proprium genus duxisse, de tribu videlicet Levi, qui ex duodecim tribubus filiorum Israel ad cultum sanctuarii proscribitur et ut sacerdotio in figuratis victimis, donec veritas elucesceret fungeretur, eligitur.

Nunc autem ad gloriosum invictissimæ passionis ejus agonem calami est non pigris passibus veniendum, qualiter illa quæ reposita ei apud Alexandriam divino jure per omnia secula servabatur, post eximiæ victoriæ certamen data illi fuerit

* *cod.* circumque.

triumphalis gloriæ corona. Lustrata igitur universa circumquaque* Ægypti regione, adventasse fertur ad partes Libyæ et Amaticæ, Felicis scilicet, et Pentapolim. Cœpit ergo in his regionibus apostolica prædicare voce Dominum Jesum Christum, quod vere sit Dei Filius, qui in hunc mundum pro salute generis humani est dignatus venire. Adorsus est etiam evangelicum ministerium verbo pandere prædicationis, partum scilicet ineffabilem Virginis et prærogativum benignæ passionis ejus cultum ac resurrectionis ejus gloriam. Lavacri quoque per virtutem sancti Spiritus in remissionem peccatorum et in Christo regenerationis concessum exposuit sacramentum. Novæ ob hoc sectæ incolis loci illius visus est esse ultroneus inventor, sui vero ritus præsumptuosus profanator. Erant quippe habitatores regionis illius dæmonum dediti culturis et venerationibus simulacrorum et subditi omni peccato; ædiculisque dæmonum cultui consecratis et delubris deorum nefandorum numinibus constructis, redolentia certatim adolentes thura, sedule inserviebant. Quæ cuncta prædicante beato evangelista Marco, Domini sunt virtute destructa. Cum ergo esset aliquantulum temporis commoratus eodem in loco beatus Marcus, cœpit cum principio sermonis Dei miraculis etiam grandisonis coruscare. Infirmos namque sanabat, leprosos mundabat, mortuos suscitabat immundosque spiritus in nomine Jesu Christi solo verbo ejiciebat. Plurimi autem per eum in Dominum Jesum credentes, fidei fervore succensi, idola sua destruxerunt lucosque succiderunt, igni ad comburendum tradentes. Baptizati sunt quamplurimi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Crescebat namque per idem tempus quotidie credentium in Domino numerus renatorum, paganorum vero insania confundebatur. Deinde...

22° Translatio sancti Marci evangelistæ ab Alexandria in Veneciam (fol. 106v-110r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 April., tom. III, p. 353-355. — Sed in cod. ad finem narrationis notatur dedicationem basilicæ S. Marci agi *die secunda* mensis Januarii. Initio vero non pauca præmittuntur de exordiis urbis Venetiarum.

Inc. Transactis post passionem beatissimi Marci evangelistæ multorum annorum curriculis, cum jam deleta essent nomina idolorum sub cœlo et libere Christo Domino sacrificia libarentur, occupata est regio Ægypti a paganis filiis Ismael, qui alio nomine Saraceni vocantur. Qui universam illam regionem crudeliter devastantes, urbem pariter Alexandriam invaserunt. Unde factum est ut beatissimi corpus Marci, quod usque ad illud tempus apud ecclesiam in loco Buculi quiescebat, a Veneticis negotiatoribus Domino largiente sublatum, ad Venetiam duceretur, ad illam scilicet regionem quæ in maritimis insulis constituta Venetiæ nomen tenet, non ad eam quæ quondam apud Italiam vocitata est. Sed siquidem Venetiæ duæ sunt (*hic nonnulla referuntur quæ habes in* Chronico Veneto ac Gradensi (1) *auctore Joanne diacono*) ... Vuinidorum quæ et Langobardorum gens ... parte Septemtrionis ... Narses ... propter victoriarum triumphos patriciatus ... Simulque

(1) Vid. *Monum. Germaniæ historica,* Scriptorum tom. VII, a lin. 20 paginæ 4 ad lin. 29 paginæ 5.

multimoda* pannorum genera... Ad cujus honorem Heraclius ... sederat Hermagoras. At vero cum Langobardorum gens Italiam introisset, hinc inde populi multitudo, eorum gladios formidans, ad proximas insulas transiit, sicque Venetiæ nomen de qua exierant, eisdem insulis indiderunt. Quibus et habitantes usque ad tempus istud Venetici nuncupantur: qui licet apud Latinos una addita littera Venetici * nominentur, apud Græcos tamen Venetici *, laudabiles *, dicuntur. Gens omni nobilitate perspicua, catholicæ fidei cultrix divinisque præceptis sufficienter intenta. In cujus terra non sunt furta, non latrocinia, nemo injuste aliquem angarizat; sed ea patrantur quæ Deo sunt placita. Sed quia hæc diximus ideo ut Veneticorum originem monstraremus, nunc interim ad narrationis ordinem redeamus. Igitur Saraceni cum universam Ægyptum et Alexandriam invasissent...

* *ita corr.; prius* multitudo.
* *intellige* οὐαινετικοί.
* *hic cod.* venetici, *alibi* uenet...
* *intellige* αἰνετικοί.

23° Passio sancti Tymothei apostoli (fol. 110r-111r).

Eadem quæ supra, 3°.

24° Vita sancti Silvestri papæ (fol. 118r-134v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — In lib. I cod. habet additamenta notata supra, p. 5-7. In lib. II nonnulla sunt omissa; deinde sub finem inter *affluentiam gaudiorum* et *Expletis ergo illis* (apud Mombrit. p. penult., col. 1, lin. 7 a fine) leguntur quæ edita sunt supra, pp. 119, 120 (*Post hæc...*); itemque loco clausulæ editionis Mombritianæ leguntur hic quæ sunt edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 160 (*Sed quia...*).

25° Vita sancti Hylarii, Pictavensis episcopi (fol. 134v-135v).

Vita auctore Fortunato, edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Jan., tom. I, p. 790 sqq. — In cod. omissa præfatio et desinit Vita, utpote mutila, in his verbis: *B. Hilarius agnoscens* (num. 11 med.).

Appendix ad cod. 5519-26.

DE B. MARIA VIRGINE. (Cfr. supra, pag. 519, 1°.)

1. Memoriam gloriosæ virginis Dei genitricis Mariæ frequentantibus gratum fore non ambigo, cum ea quæ ad laudem et honorem ejusdem Virginis pertinere creduntur, veritate in omnibus suffragante, conscribuntur. Quid enim crebra beneficiorum ejus nobis exhibita dignatio, nisi major ad fovendam in nobis ejus dilectionem provocatio? vel potius, ut ita dicatur, quædam dulcis irritatio? Tunc quippe humanus animus perpendere potest quid ei venerationis impendere debeat, cum quid beneficii ab ea collatum sit sollicite pertractare non cessat.

2. Miraculum itaque quod nuper, id est anno incarnationis Dominicæ millesimo centesimo XLII, in civitate Atrebatensi per beatam virginem Mariam factum

est, silentio oblitterari dignum non est, maxime cum idem miraculum tam clero quam universo ejusdem civitatis populo innotuerit et beata Virgo pietatis beneficium quod ad declarandam nominis sui gloriam uni tantum personæ præstiterat, in multas utriusque sexus personas postmodum transfuderit. Ne quis autem veritatem oppugnare conetur, ut scilicet * hæc quæ dicturus sum non veraciter facta sed mendaciter conficta esse calumnietur, testor Deum ab ore veridico domni Alvisi, venerabilis episcopi Atrebatensis (qui veritatem et vidit et audivit), hæc quæ scribimus audisse, nec quidquam mendosum adulationis gratia huic narrationi inseruisse. Neque enim Mater veritatis nostris indiget mendaciis; nec nos ad scribendum adeo sumus præcipites, ut non magis nobis optabile sit etiam a nobis silere quam mendaciis deservire. Sed jam ad originem rei Domino opitulante veniamus.

* *cod.* si licet.

3. Erat igitur in suburbio civitatis Atrebatensis quædam juvencula, in eodem loco nata et educata, quæ sub tutela utriusque parentis annos puellaris vitæ in magna mentis transigebat simplicitate. Hæc dum quadam die spatiandi gratia per hortum simpliciter sola deambularet, repente ei beata virgo Maria, regio habitu ornata et miro splendore corusca, apparuit. Illa vero quam et sexus et ætatis infirmitas aggravabat, insolitæ visionis novitate attonita, quid ageret prorsus ignorabat. Tunc ut impleretur quod scriptum est, quia *Cum simplicibus sermocinatio* Dei est, illa vere mœrentium consolatrix juvenculam, visione ejus obstupefactam, benigne consolata est, et sic ei locuta est : *Scis*, inquit, *quæ sum ego?* Cui cum illa se nescire quæ esset, humiliter responderet, beata et intemerata Virgo hoc verbum consolatorium pia voce deprompsit : *Ego sum mater Dei, Maria.* Qua illa responsione confortata et quodammodo quadam spei fiducia ad respondendum salubriter animata, dixit ad eam : *O Domina benignissima, unde mihi hoc ut ad me, tantillam ancillulam tuam, venire dignareris?* Cui beata Virgo benigno, ut erat, vultu respondit: *Noveris quod te mihi in ancillam elegerim et idcirco tibi, ut a me mandata salutis audires, apparuerim. Præcipiendo itaque tibi denuntio, ut florem virginitatis immaculato corpore simul et corde custodias, a mundi desideriis et carnis illecebris te omnino subducere studeas, immo etiam, si te pater et mater carnali conjugio obligare voluerint, nullatenus eorum voluntati consentias. Cave igitur ne carnis voluptatem animæ integritati præponas, si me tibi in omnibus adjutricem habere desideras.* His itaque finitis, visio sanctæ Dei Genitricis disparuit. Illa vero fidem adhibens visioni, siluit et nulli eam manifestare voluit.

4. Postquam vero ad annos pubertatis venit, quidam juvenis ejus amore captus est ; et vim amoris non sufferens, quomodo eam sibi in matrimonium copulare posset anhelabat. Itaque patri et matri puellæ arcana desiderii sui reserat et ut suo matrimonio puella jungatur expostulat. Illi vero illius visionis quam filia eorum viderat * ignari, voluntati juvenis aurem accommodantes, filiam advocant, petitionem juvenis insinuant et ut ejus nuptiis assensum præbeat elaborant. At illa, suæ visionis et beatæ virginis Mariæ jussionis non immemor, visionis ordinem utrique parenti reserat et se omnino nec velle nec posse confirmat. Tunc illi adversus puellam indignantes et nullam visioni reverentiam exhibentes, potestate qua parentes filiabus præsunt utentes, in filiam insurgunt et eam, velit nolit, licet

* *vox suppleta.*

reclamantem, reluctantem juveni in matrimonio conjungunt. Jam cogitur inire fœdera maritalia, quæ jam carnis proposuerat calcare contagia. Jam fere incipit periclitari castitas, nisi divinæ protectionis quantocius succurrerit pietas. Sed quid agimus, quod rem tam in arto positam videmus? Numquid inanis erit illa Dei Genitricis visio, quæ hanc permanere præcepit immunem ab omni corruptulæ vitio? Absit. Succurre itaque, Mater totius integritatis, ne corruptulæ subjaceat, quam tibi in ancillam te teste elegeras. Sed jam in arto constitutus, dum cupio miraculi excellentiam attollere, timeo ne quolibet modo meus sermo castas aures possit offendere : et rursum, dum sermonis verecundiam tenere desidero, timeo ne miraculi minus clarescat magnitudo. Verum, quia utrumque observare cupio, et in sermone temperantiam et divinæ pietatis manifestare gratiam, quam magna misericordia * Dei Genitrix supradictam puellam in naufragio constitutam et pene submergendam protexerit *, breviter exequamur.

* *add. cod.* qua.
* *cod.* protexit.

5. Omnibus itaque quæ nuptiarum ordo exigit ex more completis, postquam ad cubilis secreta silentia ventum est, ut compendiose eloquar, affuit divina protectio et beatæ Mariæ semper virginis intercessio, quæ ancillam suam protexit ab omni corruptelæ contagio. Quantoque juvenis majori stimulo urgebatur, tanto Dei gratia quæ eam ne corrumpi posset conservabat, amplius per illam magnificabatur. Sicque aliquantum temporis elapsum est, ut nec ille a propria concupiscentia refrenaretur, nec tamen illa ullo pacto ab eo corrumperetur. Verum quid est quod fœda cordis humani concupiscentia non excogitet? Cum ille, pravis desideriis suis illectus, quodammodo gratiam Dei oppugnaret nec a peccandi voluntate ullatenus cessaret, facinus inauditum et quod nescio an possit pronuntiari, male callidus excogitavit, ut vel sic concupiscentiæ suæ satisfacere posset. Sed interim facinus ejus patienter audiatur, ut pietas beatæ virginis Mariæ quæ calliditatis ejus exquisita consilia redegit ad nihilum, dignius prædicetur. Itaque præ nimio pravi amoris desiderio in quamdam mentis rabiem conversus, nec jam propriæ rationis compos, cultellum arripuit et, quod dictu nefas est nec tamen omitti potest quin dicatur, in uxorem insurgens januamque ventris ejus ampliare volens, cultellum per inferiorem meatum in viscera ejus immersit et, naturalis aquæ receptaculum incidens, loca etiam maritalia, ex marito jam sævus homicida effectus, crudeli vulnere perfodit. Igitur ab inferiori parte corporis sanies undique profluebat; et qui carnis voluptatem in carne quærebat, jam, ut dignum erat, nihil ex carne nisi fœtorem et putredinem hauriebat. Sicque miserum et miserabilem sua undique circumvallabat miseria et perituræ voluptatis suæ fructu penitus frustrabatur, quia nec post tam grande piaculum ei ullomodo commixtione carnali potuit sociari.

6. Illa itaque, gravi mentis angore fatigata corporisque infirmitate prævalida cruciata, potius de salute animæ quam de recuperanda corporis sanitate cœpit cogitare. Tandem id ei consilii sedit, ut domnum Alvisium, venerabilem ejusdem civitatis episcopum, expeteret et ei calamitatis suæ historiam manifestaret. Igitur ad supradictum episcopum, licet debilis et nimis afflicta, venit et ei omnia, quæ scilicet juvencula viderat et quæ jam adulta ab utroque parente vel marito perpessa fuerat, seriatim exposuit. Episcopus vero, tanta rei novitate

turbatus, altius ingemuit et quid facto opus esset intra se deliberare cœpit. Cogitavit de divortio inter eos faciendo; sed mulieris infirmitati compatiens, ne forte, si viri adminiculo destitueretur miseriæ ejus calamitas *, id est infirmitatis et paupertatis augeretur, eos ab invicem separare noluit, ut vir mulieris necessitati subveniendo frater esse disceret, qui maritus esse non poterat. Igitur episcopus illam benigne consolatus abire præcepit, ut et * Domini misericordiam expectaret patienter admonuit.

* *cod.* calamitatis.

* *sic.*

7. Illa vero dum in hac infirmitate oppressa cum viro suo simpliciter degeret et semper infirmitas in deterius proficeret, ut gratia Dei per eam omnibus innotesceret, alio graviori incommoditatis genere postmodum laborare cœpit. Cum enim Dominus, populi sui peccatis irritatus, judicio suo, quod ipse novit, licet occulto semper tamen justo, multos adustione membrorum cruciari permitteret multique necessitate compulsi ad patrocinia sanctorum confugerent, præcipue tamen ad civitatem Atrebatensium hac plaga percussi undique quotidie confluebant et in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ supernæ pietatis auxilium meritis et intercessione ejusdem virginis se adepturos sperabant. Cumque hujusmodi plaga per multos crudeliter grassaretur, illa de qua sermo est, graviter in mamilla percussa est. Quotidie tormentum doloris ejus augmentabatur, et crudeli grassante incendio mamilla sensim consumebatur. Quantoque tenerior corporis pars erat quæ torquebatur, tanto ad tolerandum erat dirius tormentum quod sentiebatur. Igitur mamilla jam pene consumpta, incendium illud novem pectori indidit foramina, quæ patulo hiatu horrorem quodammodo cernentibus incutiebant*. Quantus dolor eam undique circumvallaverit, etiam me tacente quisque advertere facillime potest.

* *cod.* incutiebat.

8. Itaque omni solatio destituta, jacebat in ecclesia gloriosæ virginis Mariæ cum ceteris qui eodem incendio cruciabantur; et in solius Dei misericordia atque advocatricis suæ intercessione benignissima spem suam ponens, respectum divinæ pietatis præstolabatur. Cum igitur quadam nocte longo ejulatu fatigata in eadem ecclesia paululum quiesceret, ecce repente attollens cernit totam ecclesiam immenso cereorum lumine coruscare et quasi a meridiano sole illustrari. Cum vero pro insoliti luminis splendore jaceret attonita, ecce cœli reginam cum magno gloriæ apparatu videt adesse. Quæ ad eam usque perveniens, sic ei benigna voce locuta est: *Si sanitatis remedium adipisci desideras, surge quantocius et usque ad altare sanctæ Dei genitricis Mariæ progredere, ibique pro salute tua rogatura in oratione prosternere.* Cumque illa querula voce responderet se tantis afflictam doloribus, ut nec usque ad altare procedere nec de loco quo jacebat posset surgere, illa vere mater misericordiæ respondit: *Da manum tuam, ut mihi possis inniti et sic mecum usque ad altare progredi.* Illa, recúperandæ salutis avida, manum tetendit et sic cum ea usque ad altare processit. Quo in loco dum paululum membra sopori dedisset, rursus ei sancta Dei genitrix in visu astitit et dixit: *Noveris te ab omni doloris angustia liberatam et plenarie sanitati restitutam. Ut autem probare possis verum esse quod dico: mox ut a somno surrexeris, omnibus qui in ecclesia hujus incendii adustione torquentur, pacis osculum præbere non negligas, et statim ille ignis pestifer in singulis extinguetur.*

9. Dormivit itaque in præfato loco usque mane. Cum autem illuxisset et populus ad ecclesiam confluere cœpisset, quidam videns eam coram altari jacentem et nesciens quæ esset vel quomodo illuc advenisset, eam calce percussit et retro abire præcepit. At illa expergefacta, cum nullum doloris sentiret incommodum, mirata qualis paulo ante extiterat et qualis jam esset, nomen gloriosæ Virginis præ nimio gaudio fortiter inclamavit : *Adjuva*, inquiens, *sancta Maria*. Quæ illius mandati quod acceperat non immemor, mox ad omnes qui in eadem ecclesia torquebantur accessit, singulisque pacis osculum præbuit : et in ipso osculi momento statim vorax illud incendium in singulis ex toto refrixit. Illa vero ita ad plenum sanitati restituta est ut et mamilla, quæ pene jam consumpta fuerat, integra ei restitueretur et foramina, quæ horrido hiatu patebant, clauderentur ac inferior pars corporis plenissime sanitati redderetur. Sic itaque Dominus, ut scriptum est, *Percutit et sanat*. Qui hanc tot dolorum generibus affligi et cruciari permisit, quam meritis gloriosæ virginis Mariæ intercedentibus tam perfectæ sanitati in momento restituit. Hoc miraculum, immo hæc tam præclara miracula cum (ut superius præfatus sum) domno episcopo Atrebatensi Alviso referente audissem, et cur tam diu latuissent, immo cur minime scripta fuissent, quodammodo indignando conquererer, incidit mihi cogitatio ut illa, licet inculto sermone, scribere attentarem, non quod mihi alicujus scientiæ conscius essem, sed ad hoc tantum ne jocunda miracula ab hominum memoria aboleret oblivio, et ad hoc etiam ut, si ea alicui disertiori venustius comprehendere et litteris mandare libuerit, hic posset invenire materiam per quam nobis suam valeat demonstrare scientiam.

LXXXI. Codex signatus n° 5527-34.

Foliorum 267, formæ mediocris ($0^{m},31 \times 0,21$), columnis binis, lineis partim (usque ad fol. 128) atramento, partim stylo plumbeo ductis, exaratus diversis manibus seculi XIII. Tituli minio signati (in fine codicis fere prætermissi), sicut et litteræ initiales; quædam tamen colore viridi. Exordio præcipuorum documentorum conspicitur littera major, duplici colore, plerumque viridi et rubro, haud ineleganter sed non multa arte depicta.

Facies codicis manifestat Gemblacensem, quod confirmatur ex nota fol. 2^{r} inscripta, his verbis : *Hic liber de laudibus sancti Martini, a domno Guiberto Gemblacensi abbate editus,* etc., et alia ultimo folio verso : *Guibertus abbas hujus monasterii.* Folium 1 insiticium est, cum titulo : *Liber miraculorum B. Martini.*

De eo codice cfr. Reiffenberg, *Annuaire de la Bibliothèque royale*, 1846, p. 51 sqq.

1° [Miraculum S. Martini, quod contigit apud Ipram.] In vigilia S. Martini dicitur ista collatio (fol. 1r-1v).

Editum apud Pitra, *Analecta Sacra*, tom. VIII, pp. 591, 592, et apud Lecoy de la Marche, *Saint Martin de Tours*, p. 691-693 (1).

2° Prologus sequentis opusculi a G(uiberto) Gemblacensi monacho ad Philippum Coloniensem archiepiscopum editi (fol. 2v-3v).

Edita ope hujus codicis apud Pitra, tom. cit., p. 582-584.

3° In nomine Domini incipit libellus panegericus in sanctum Martinum rithmice descriptus et IIIIor thomis distinctus, in quo tota ejus vita et transitus secundum priorem hystoriam operose describitur (fol. 3v-58v).

Iste libellus aliquando edetur in *Analect. Boll.*

4° [Disticha in laudem S. Martini] (fol. 59r-62r).

Item aliquando edenda.

5° Epytaphium [1] dompni Guiberti abbatis (fol. 62r-62v).

Alnule (2), tune Thago, licet usque coruscet arenis,
Præcluis? Eridani major es amne senis?

Cur? Quia fers [2] aurum, quia fers [3] electra, patronos
Quos pater [4] et patriæ totus honorat honos.
Dulce solum, polis (3) æqua polo, lux, gloria cleri;
Orba priore viro, desine, sponsa, queri.
Floruit hic, marcet; stetit hic, jacet; albuit, aret.
Enituit, sordet: non caro sorde caret.
It cinis ad cinerem. Pars major in æthere degit [5]:
Jura quidem terræ debita [6] terra tegit.

[1] *ita titulus recentiori manu margini additus; sed carmen conditum videtur (forsan a Joseph, de quo infra, p. 546), quum Guibertus inauguratus est abbas Gemblacensis, non vero post mortem ejus (ut asseritur in opere* Biographie nationale, *tom. VIII, p. 415, errore orto fortassis ex parum accurata carminis inscriptione). Aliqua insuper notare juvat ibidem in edendo hoc ipso carmine mendose expressa.* — [2] *edit.* fert. — [3] *edit.* fert. — [4] *edit.* patris. — [5] *edit.* vergit. — [6] *edit.* debitæ.

(1) Ubi tamen indicatur (cum cod. Brux. chartaceo sec. XV) cod. 5337-92 (*sic*), qui nihil de miraculo continet; sed neque codex 5387-96, cujus analysin vide supra. Addere juvat narrationem hanc aliquid forsan conferre posse ad illustrandas origines cultus *Nostræ Dominæ a Tuyne* nuncupatæ, quæ Ypris in Flandria colitur, de quo cultu cfr. inter *Ypriana* cl. v. Alph. Van den Peereboom, tom. V, *Tuyndag ou N. D. de Tuyne.* — (2) Alnulus, id est *Orneau*, fluviolus qui Gemblacense territorium medium transit et in Sabin influit. — (3) Intellige *urbs*, πόλις.

At [1] jubar in tenebris oritur, de lampade solis
    Justitiæ; tibi se dat polus, alma polis.
Guibertum Guibertus (1) habet; novus hic erit heres
    Par veteri, cujus dogma perenne feres.
Martini Martinus (2) erit, nec, ut ille, labori
    Abnuet in Christo vivere sive mori.
En Astræa redit, redeunt simul aurea plane
    Secula : gens absit ferrea; Virgo, mane.

Nunc Helyos duplicet radios, ut pugna geratur
    Ad Gabaon Josue, qui novus ecce datur.
Pugnat item [2] Gedeon, Madian stupet arma, minacem
    Fert recidiva tubam dextra, lagena facem.
Flet Babylon rea, flat [3] zephyrus, tepet aura, caminus
    Rorat, obest Sydrach caumatis ira minus.
Tu mihi major apex, mea portio, pacis asylum ;
    Lassabisne meum, thema perenne, stilum?

Ante per elatam vagus effluet Alnulus ædem,
    Ante quidem clivi deseret ille pedem,
Ante petet Scythiam vapor Ethnæ, Trinacrin Hæmus,
    Ante tegent frondes æquor et alga nemus,
Quam titulos mihi surda tuos oblivia * demant, * *cod.* oblivio.
    Dum, licet ægra, situs frigore, membra tremant.
Si nolim meminisse tui, mihi lingua palato
    Hæreat, Enea, Cesar, Homere, Cato.

Proh pudor! intumui [4], quid [5] dico? Potestne juvare
    Campum spica, nemus virgula, stilla mare?
Sed, licet exilis videatur et ultima rerum,
    Fundere dulce potest uva relicta merum.
Cum Lachesis mihi nere [6] volet, dum pectore deget
    Mens bona, dum molem corporis illa reget,
Nostra Thalia tuo vigilans inhiabit honori;
    Inque tuo demum constat amore mori.

Forsitan emeritus meriti quæ [7] præmia quæram [8],
    Quæras : esse tuum detur, et ampla feram.

[1] *edit.* Ut. — [2] *edit.* idem. — [3] *edit.* flet. — [4] *edit.* indumui. — [5] *edit.* quod. — [6] (mihi nere) *edit.* minere. — [7] *edit.* quum. — [8] *edit.* quæramus.

(1) S. Guibertus seu Gilbertus vel Wibertus, cujus sumptibus fundatum fuit monasterium (*Act. SS.*, ad 23 Maii, tom. V, p. 259 sqq.). — (2) Subintellige *heres.* Alludit enim ad cognomen " Martini „ quod sibi assumpserat Guibertus noster.

* *cod.* rure.

Vive, vale, cleri specimen, mage thure * Sabæo
Dulcis odor ; dulcis sit tua vita Deo.
Te loca, te tempus negat hoc mihi; quique negaris
Ad præsens nobis corpore, mente daris.
Te Guibertus ad hoc ut sis, Guiberte, levamen
Mite suis, misit. Vive saluber. Amen [1].

Sequitur in cod. rubrica : *Incipiunt epistole Dompni Wiberti abbatis Gemmelacensis.*

6° Epistola Wiberti ad Philippum, Coloniensem archiepiscopum (fol. 62v-71r).

Edita, sed minima tantum parte, apud Migne, P. L., tom. CCXI, p. 1287-1289, epistola I (ex Martene et Durand, *Amplissima collectio*, tom. I).

7° [Epistola ejusdem ad eumdem] (fol. 71r-80r).

Minima tantum parte edita ibid., p. 1289, epistola II.

8° Epistola Philippi, Coloniensis archiepiscopi, ad abbatem Majoris Monasterii et primicerium ecclesiæ Castri Novi (fol. 80r-81v).

In margine superiori codicis legitur rubrica : *Commendatio Guiberti et de duobus miraculis quæstio.*

Philippus, gratuito Dei munere Coloniensium archiepiscopus, dilectis in Christo et reverendis dominis abbati Majoris Monasterii et primicerio ecclesiæ Castri Novi et fratribus sub eorum censura immortali Domino beatoque Martino famulantibus, pro merito piæ servitutis præmium æternæ retributionis. — Cum Deus omnipotens per incomprehensibilem suæ majestatis essentiam omni æqualiter loco adsit, sed, locorum nec circumscriptione constrictus nec distentione * diffusus, non æqualiter tamen in omni loco gratiæ seu virtutis suæ effectus ostendit ; sed, alia ab aliis discernens, quædam arcano consilii sui arbitrio, propter eos qui inibi erudiendi sunt et exercendi ad salutem, ad sibi specialius in eis serviendum et servanda vitæ mandata, uberiori munerum suorum largitate insignita nobilitat. Unde vestra quoque loca singulari reverentia digna censuerim, quæ, ab æterno ordinans omnia, divinæ benignitatis dispositio eo patrono illustravit, eo defensore munivit, quo post beatos apostolos nullus invenitur vel sanctitate sublimior vel nominis diffusione celebrior. Vos etiam, tantæ prærogativæ magnificentia insignes, non immerito beatos et felices dixerim, quos eorumdem habitatores et possessores locorum Deus firmavit, quorum alterum idem clarissimus et piissimus patronus vester in carne vivens ædificavit et conversationis sanctissimæ præsentia consecravit, alterum mortuus, immo regnans cum Christo, sacratissimi corporis sui repositione fovens omni dignum veneratione effecit.

* *cod.* distensione.

Proinde justum et rationabile est ut, impensæ vobis largitatem benedictionis

[1] *edit.* amet.

devota cum gratiarum actione suscipiendo cognoscentes, dignos vos tanti patris irreprehensibili conversatione filios exhibeatis, cujus protectione civitas sancta pace et abundantia perfruitur; cujus interventu locus conversationis ejus, impressam ab eo servans formam, puritate religionis Deo gratus et multimoda beneficiorum exhibitione commodus* et venerabilis omnibus invenitur; cujus meritis sedes requietionis ejus et copia divitiarum et miraculorum gloria ubique terrarum incomparabilis prædicatur. Vere locus primitiarum locus uterque, dum tanto quisque specialis privilegii munere fulgescit ut, secundum partem datæ sibi benedictionis, vix loco alicui secundus inveniatur. Gaudete itaque in Domino et exultate et ex corde diligite et laudate Deum qui vos ea gratia dignatur, ut eum inter se et vos intercessorem posuerit, cujus adjunctu cœli chorea lætatur, cujus protectione Ecclesia roboratur, cujus virtute nocens quisque reprimitur et devotus erigitur; cujus largitionibus mœrentes hilaritate, decumbentes sospitate, perturbati securitate munerantur. Quidni enim lætemini et tripudietis, qui gemmam illam splendidissimam omnique auro et topazio pulchriorem obtinetis, quæ in conspectu regis æterni velut sidus egregium perennibus flammis rutilat, inter angelos coruscat, omnem christiani nominis orbem irradiat; quæ, et urbem vestram speciali decore et honestate exornans, fidelium mentes et suæ devotioni et vestræ venerationi et attrahit et inclinat?

* *pro* commendandus ?

Hinc est quod inter ceteros qui de diversis mundi partibus ad obtinenda ejusdem patroni suffragia confluunt, etiam hic noster dilectus in Christo filius sacram beati corporis ejus continentem reliquias aulam expetit, ea proculdubio post longam animi fatigationem ad eam perductus devotione* quam nec ineptus discurrendi et vagandi ambitus, nec repentini fervoris impetus afflavit, sed quam diuturna et matura religiosi desiderii deliberatio concepit et aluit. A puero siquidem, ut refert ipse, delectatus egregio quo a Severo vita ejus digesta est stilo, cum eam instantius relegeret, tam gestorum magnitudine quam virtutis admiratione allectus cœpit eum specialius diligere, venerari, præferre, loca nomini ejus dicata supplicandi voto frequentare. Et, audita opinione religionis vestræ, nullius habitationem loci Majori Monasterio præferret, si non alteri jam loco professione esset alligatus. Æstuavit tamen continue hactenus et sæpius proposuit, si opportunitas se præbuisset, orationis gratia sepulcrum beati pontificis expetere, optans et visione locorum quæ vir sanctissimus et vivens et sepultus sua sacravit præsentia perfrui, et super aliquibus quæ de illis ex fama comperit certa vel relatione vel lectione firmari, et præcipue beneficiorum quæ apud vos fiunt particeps ascribi. Et cum ad hæc vehementer et diu anhelaverit, Deo, ut conjici potest, melius aliquid in posterum disponente, prohibitus est usque adhuc. Sed, jam provectior, obtenta per nos licentia et nostra abbatisque sui benedictione munitus, gratum et evidens secretæ devotionis in manibus ferens testimonium, quod non deferret, si cum primo tentavit venire licuisset, nunc demum ad vos exultans accedit.

* *vox suppleta pro* est *eraso.*

Vos ergo, quibus et ex officio caritatis et ex proposito religionis universos supervenientes colligere inolitum est, suscipite et hunc dilectum nobis fratrem, eo majori hilaritate quo fortiori alacritate venit; suscipite, inquam, eum, magis suo affectu

vel potius effectu quam nostro interventu commendatum, et longiori desiderio quam itinere * fatigatum. Opusculum autem (... *supra, p. 240*) ... auctoritate emitti. De ipso vero ejus auctore precamur ut, in his quæ justo expetierit desiderio, benigne ei assistatis, et votorum compotem cum merita illum ad nos benedictione remittatis.

* *cod.* temere.

Duo maxime sunt (... *supra, ibidem*) ... ex corde gratias referemus. Præter hæc etiam, si qua sunt alia quæ de patrono in partibus nostris non inveniri a carissimo præsentium latore audieritis, pro intuitu retributionis divinæ, nobis mittere non abnuatis.

Quod vero, pro solemni more epistolarum, hujus quoque frontem propriorum nominum vestrorum præfixione non insignivimus, non de negligentia sed ex ignorantia factum est; nec quia parvi pendimus, sed quoniam eadem nomina vestra nescimus. Ut autem nesciamus facit longa locorum diversitas, non ipsorum nominum obscuritas; quia fieri posse non credimus ut tam nobilibus ecclesiis obscuræ et ignobiles personæ præsideant. Sed inolitum est jam atque notissimum ut, dum et prælatorum ecclesiæ et principum terræ prælationis vel officii sui in adjectivis nominibus præfertur dignitas, specialium nominum eorum non solum a remotis verum etiam pene a domesticis ignoretur proprietas. Itaque nomina vestra propter distantiam nobis quidem incognita, sed ob suam claritatem in circuitu vestro late non dubitamus esse notissima. Verumtamen in hoc nolite gaudere, sed in hoc potius, si tali conversatione vos præditos esse cognoscitis, ut ejus obtentu ipsa nomina vestra scribantur in cœlis et unicuique vestrum dicat Deus cum Moyse: *Novi te ex nomine.* Deus omnipotens vos semper rationabile sibi exhibere præstet obsequium, fratres reverendi, et acceptare dignetur exhibitum; et sanctitatem vestram pro nobis orantem nunquam tueri desistat. Valeat in Domino sancta unanimitas vestra.

9° Epistola abbatis et conventus Majoris Monasterii ad Philippum archiepiscopum (fol. 81v-83r).

Edita ope hujus codicis in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 216-221.

10° Epistola decani et canonicorum Castri Novi ad Philippum archiepiscopum (fol. 83r-87v).

Edita ope hujus cod. ibid., p. 221 sqq.

11° Epistola decani et thesaurarii Castri Novi ad Philippum archiepiscopum (fol. 87v-94v).

Edita ope hujus codicis ibid., p. 230-243.

12° Epistola Guiberti ad Philippum (fol. 95r-97r).

Epistola de qua supra, p. 498, 23°.

13° [Epistola ejusdem ad eumdem] (fol. 97v-103r).

Epistola de qua ibid., 24°.

14° [Epistola ejusdem ad eumdem] (fol. 103r-111r).

Epistola de qua ibid., 25°.

15° [Epistola ejusdem ad eumdem] (fol. 111r-116v).

Epistola de qua supra, p. 499, 26°.

16° [Epistola ejusdem ad eumdem] (fol. 116v-120r).

Epistola de qua ibid., 27°. — In cod. mutila non est. Initium hujus epistolæ edidit A. Wauters, *Compte rendu des séances de la Commission royale d'Histoire*, IVe série, tome II (1875), p. 278-82. Describimus hic partem ineditam quæ rem nostram spectat.

A longo itaque, nec tamen, ut reor, prorsus inutili circuitu ad propositum recurrens, suavem universorum dispositorem Deum, cujus miserationes super omnia opera ejus, qui etiam abundantia pietatis et merita supplicum excedit et vota, labiis et corde et totis visceribus laudo et benedico, qui gratia sua non solum peregrinationem meam Turonicam adeo prospere, ut omnia supra quam rogare nossem, in bonum cederent disposuit, sed et reditui meo in tantum secundos incursus contribuit, ut, dum aptum tempus et locum morose et licenter vobiscum loquendi præ longitudine itineris et occupationum vestrarum * multiplicitate vix me, cum multa licet fatigatione et expensa, aliquando habiturum * sperarem, utrumque præter spem sine labore et sumptu in vicino obtulerit.

* *cod.* nostrarum.
* *cod.* iturum.

Nam cum, ut in initio dixi, ad reformandam concordiam inter duos principes dissidentes divina inspiratione ad partes nostras, universis adventum vestrum desiderantibus, procederetis, ego hoc audito festinus diem colloquii anticipare curavi, et in egressu municipii vestri, non totis duobus millibus a Gemblao distantis, quod Mons Sancti Guiberti vocatur, in lætitia cordis et exultatione spiritus vobis occurri. Cumque me prius agnitum illo insigni more vestro in salutatione prævenissetis, inclinato humiliter capite subjunxi : *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Occurri autem vobis non in tumultu, quod timebam, sed in silentio equitanti et cogitanti cogitationes pacis et non afflictionis, vel aliquid, ut credo, de psalmis ruminanti et ita (quod diu optaveram) expedito, ut omnes successus peregrinationis meæ, qui per suffragia intercessionis et commendationis vestræ per litteras factæ provenerant, licenter vobis narrarem et epistolas duarum præcipuarum Turonicæ urbis ecclesiarum, a prælatis earum pro satisfactione inquisitionum vestrarum vobis directas et sigillo beati Martini munitas, vobis præsentarem. Cumque potius in confabulatione mea occupari gauderetis, reponi usque ad metatum, ibi eas liberius lecturus vel auditurus, præcepistis. Quod et factum est.

Gratias ex affectu ago clementissimæ susceptioni vestræ, et maxime pro eo quod, cum attactu vestigiorum indignum me censeam, ipsius etiam sacri oris vestri osculo dignum æstimastis et, remonstrata a collo dependente quam ante duos et semis annos vobis dederam aurea crucicula, vos nequaquam meæ indignitatis immemorem certo argumento comprobastis. Insuper et toto itinere a prædicto Montis Sancti Guiberti municipio usque ad Villarense cœnobium, et inde donec Nivigellam intraremus, omissis aliis aliqua de miraculis et magnificentia duarum præscriptarum beati Martini ecclesiarum et eorum quæ Turonis vel vidissem vel audissem,

vobis exigente narranti placidas aures præbuistis. In qua narratione cum de leproso quem idem beatus sanasset inquireretis, ego omnium quos sanarat (sanavit enim plurimos) nisi tantum unius tunc immemor, mirabilem illius quem recolebam curationem, quæ et in ecclesia Sancti Germani Autisiodori primum a media parte corporis ejusdem leprosi, dein ex integro circa reliquias ejus facta est, stupenti vobis retuli.

Verum postea et aliorum nonnullorum ab eo curatorum reminiscens, vehementer ambigere cœpi de quo potissimum requisissetis. Sanavit enim, ut in Vita beati Silvani legitur, in Biturico nobilem virum apud quem nocte una hospitatus est, mane die dominico Missa pro illius salute celebrata et post osculum pacis, quod ei ipse pio ore impresserat, sacra communione tradita. Ubi etiam altilibus diei nuntiis, id est gallis, a sancto Ursicino, primo Bituricensi archiepiscopo, pro arguenda habitatorum contumacia (cum eum prædicantem a vico illo injuriose repulissent) prolata maledictione perpetuo eatenus silentio per successionem condemnatis, annona benedicta et illis in escam præbita, naturalem cantandi usum reddidit. Quod et prædictum beatum Germanum Autisiodorensem postea alibi fecisse legitur.

Sanavit et alium in porta Parisiensi sacri nihilominus oris osculo, qui, sicut in ejus gestis invenitur, postero die nitenti cute veniens ad ecclesiam, gratias pro accepta sanitate agebat. Canonicum quoque ecclesiæ suæ, lepra squalentem, sextam in festiva nocte transitus sui lectionem quo poterat nisu recitantem, cum hoc illi et in visione jussum et ex licentia decani et confratrum fuisset concessum, antequam eamdem terminaret lectionem mirabiliter curavit, pristina sonoritate vocis restituta et, detracta pelle horribili, vigore et nitore totius corporis sub momento ad integrum reformato, ita ut jam in illo completum videretur quod in generali regeneratione de nobis singulis implendum speramus, David cum excitaret animam suam ad benedicendum Dominum, facientem mirabilia et misericordias, ita dicente : *Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam*, et cetera usque ad id : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Et hic est, ut opinor, leprosus de quo quæsistis; sed ejus tunc, intercipiente oblivione, subducta memoria, alius curationem narravi. Quod scilicet miraculum, sicut et prius audieram et post in quadam chronica legeram, quia jam in alia vobis epistola descripsi, in hac illud iterare propter fastidium supersedi.

Quædam quoque vobis exigente referre inchoaveram ; sed ad exceptum vestri occurrentibus præposito et decano cum quibusdam Nivigellensibus, propter salutationes et confabulationes deinceps et ego perdicere et vos intendere prohibiti sumus, videlicet qua necessitate sacratissimum beati Martini corpus in Burgundiam translatum, quamdiu ibi detentum, qualiter Turonim relatum, quanta miraculorum gloria per omne hoc tempus sit clarificatum. Sed nec ista modo mihi replicanda videntur, quoniam omnia a sancto Odone, primo Cluniacensium abbate, in libello quem exinde scripsit seriatim et luculenter digesta invenietis. Quem si non legistis, cum libuerit mandabitis, et mittetur vobis. In secunda quoque epistola canonicorum Castri Novi ad vos directa, sed tunc necdum a vobis lecta, hæc

eadem, ubi de quatuor beati Martini festivitatibus agitur, comprehensa reperietis. Proinde, his omissis quæ scripta sufficiunt, hic epistolæ hujus sit finis.

Ut autem vos etiam tantum præsulem in omnibus tutorem et adjutorem habere mereamini, sicut præsens sic et absens consulo ut cum antiphona " Ego signo crucis „ et versu " Sacerdos Dei, Martine, pastor egregie „ et collecta " Deus, qui conspicis quia ex nulla nostra virtute subsistimus, „ ad ejus honorem et vestrum munimen ipsius quotidie memoriam excolatis, ut, sicut idem ipse a tyranno, Juliano scilicet apostata, retrudi jussus in carcerem, facturus verbis suis fidem (quibus se solo crucis armatum signo ante omnes ad bellum procedere spoponderat), non solum periculum evasit, sed et dissidentes in fœdus pacis coire et necessitate * pugnæ suis a Deo meritis eximi obtinuit, ita et vobis in omni necessitate jugiter orando pro vobis subveniat et ab universorum hostium tam visibilium quam invisibilium infestatione opportunus adjutor eripiat. Amen. Valeat perenniter et coronetur ab eo dulci cordis semper amplectanda mihi desiderio vestræ pietatis mansuetudo.

* *cod.* necessitatem.

17° Epistola Guiberti ad Herveum abbatem et conventum Majoris Monasterii (fol. 120r-126v).

Minima tantum parte edita apud Migne, P. L., tom. CCXI, pp. 1290, 1291, epist. v. — Ex multis quæ in editis omissa sunt, sequentia subjungimus :

Gratias et hinc maxime ago quod apud vos, non utique quoscumque, sed omni virtutum genere et sapientia præstantes viros, tanti me fecit Deus, ut homuncionem ignotum et ineptum aperto sinu pietatis gratanter susciperetis, foveretis dulciter, perenniter retinere tentaretis et, cum id præter licentiam tutum non esset, uberi munitum benedictione, desiderabilique et inseparabili secundum spiritum vobis societate incorporatum, inviti tandem dimittendo, ut sic dicam, retineretis et retinendo dimitteretis, insuper et archiepiscopo qui me vobis commendaverat reciproce commendaretis, obnixe rogantes ut, si fieri posset, prioris absolutum vinculo professionis, me ad vos remitteret...

Sed et tibi, reverende pater Hervee, filiisque tuis, dominis et fratribus meis, quantas possum humili et jugi devotione grates rependo, quia me consortio vestri dignati estis, et, cum vel extremo indignus essem loco, inter primos tamen in omni statione vel sessione immeritum me semper extulistis...

Sed jam, et ad debitam eorumdem beneficiorum commendationem et ad reprimenda detrahentium mihi labia, quis ex peregrinatione mea mihi et æmulatoribus bonis profectuum fructus accreverit, sicut paulo ante promisi, breviter mihi contingendum videtur. Dum igitur versarer vobiscum, videns et considerans quomodo multiformis gratiæ Dei distinctio, velut unius solis multiplices radii, et in toto simul corpore vestro et in singulis membris ejusdem beati corporis per diversos virtutum effectus operaretur ... quantis putatis incitamentorum studiis et ad despectum inertiæ meæ et ad consectatum solertiæ vestræ ... accenderer * ? Itaque, qui extinctus et ater veneram inter vos ... velut reaccensus ... non minimum fervens a vobis ad nostros regressus, quidni et alios relatione et operum et morum vestro-

* *cod.* accenderet.

rum mecum inflammarem?... Egi hoc profecto et epistolis ad absentes de puritate et integritate religionis vestræ directis, ago et verbis apud præsentes, quoties horum memoria incidit ...

Non solum prædicto, sed et alio modo peregrinationem meam pluribus et scio et gaudeo et nunc prodesse et in posterum profuturam. Nam ex lectione librorum quos de miraculis sancti Jacobi apostoli et de prodigiis circa corpus sancti Martini, cum ob irruptionem paganorum Burgundiæ illatum ibi detineretur vel in Turoniam referretur, ostensis, de bellis quoque in Hispania a Karolo Magno gestis et martyrio Rollandi ducis sociorumque ejus et ex relatu vel auditu ceterorum quæ apud vos commorans transcripsi, tantus admirationis affectus, tanta virtutis æmulatio nonnullis nostrorum excitatur, ut et exemplaria certatim ad transcribendum a compluribus rapiantur et in venerationem sanctorum de quibus sermo est et ad eorum suffragia promerenda legentium vel audientium corda * mira devotione moveantur ...

* *vox suppleta.*

Nolo autem miremini, fratres sanctissimi, si, horrenda videns in domo Domini et zelo ductus tactusque dolore cordis intrinsecus, foris efferar adversus facientes prævaricationes quas odivi et si, imitans illum qui dixit: *Vidi prævaricantes et tabescebam*, accingar ad ulciscendas atroces injurias quas frequenter passus sum ab his qui me, pro ordinis violatione reclamantem, sæpe expugnaverunt me a juventute ...

18° Epistola Guiberti ad conventum Majoris Monasterii (fol. 126v-129v).

Minima tantum parte edita apud Migne, tom. cit., pp. 1291-1293, epist. VI. — Pauca hic addimus quæ rationem temporum vitæ Guiberti nostri elucidant:

Hinc est quod ante hoc triennium, amore beati patroni vestri Martini invitante et manu Domini ducente, ad vos veniens et per tempus vobiscum degens, ejus scilicet ordinis visa et concupita, quæ apud vos est, multa pulchritudine caritatis, reversus ad nostra, rebelles lumini * tenebras nostras magis perhorrui et, ad corrigendos alios et alios incitandos, quidquid laudabile apud vos, studiosos disciplinæ observatores, videram, quoad potui per epistolas diffudi. Sed et nuperrime in ea, quam vobis scripsi, epistola ejus transgressores vel potius dissipatores, nescio quo spiritu ultra constitutum me rapiente, progrediens, vehementer redargui, et quod animo parturiebam stilo effudi ...

* *cod.* luminis.

19° [Epistola Guiberti ad Joffridum abbatem et fratres Majoris Monasterii] (fol. 129v-130v).

Minima dumtaxat parte edita apud Migne, tom. cit., pp. 1293, 1294, epist. VII.

Si requiritis quis sim qui vobis scribam, ego frater Guibertus cognomento Martinus, qui, multo et longo fatigatus desiderio, tandem, annuente Deo, temporibus domni Hervei abbatis et domni Philippi decani ecclesiæ Castri Novi bis sepulcrum beati Martini visitavi; et, eodem abbate me benigne suscipiente et colligente, in prima vice mansi cum eo, conventum tenens, octo mensibus, in secunda autem per annum fere integrum. Et putans me perpetuo vobiscum mansurum, profes-

sionem perennis vitæ obedientiæ feci et scripto firmavi; sed, missis post me nuntiis et revocante me ecclesia matre mea per obedientiam, etsi non ex voluntate, ex licentia tamen ejusdem abbatis H[ervei] et ex consilio totius capituli, repatriavi. Duabus abbatiis postea præfui : quarum nunc propter intolerantiam laboris et incorrectionem * eorum quibus prodesse volebam, nec poteram, regimine deposito, nunc in monasterio Florinensi, in pace cum fratribus Deo et mihi vacans, conversor ...

* *cod.* incorrectione.

Precor etiam magnopere quatinus opusculum beati Paulini, Nolani episcopi, sex libellis de beatissimo patrono nostro Martino, qui ei oculum læsum reddidit, versifice editum, fidei domni D., monachi * vestri et præclari abbatis Sancti Michaelis creditum *, nobis ad transcribendum propter amorem pii Martini mittere non abnuatis. Cetera enim quæcumque de eo alii scripserunt, apud nos, me procurante, habentur. Polliceor autem firma fide idem opusculum, cum transcriptum fuerit, aut per eumdem dilectissimum mihi abbatem, per quem et hæc vobis dirigo, aut per alium quemlibet ex prioribus vestris mihi vicinum opportune me remissurum, aut, si ita Deus disposuerit, cum ipso opere quod de eo, scilicet beato Martino, juvante Deo scribere gestio, per memetipsum relaturum. Et utinam providerit Deus ut, si mihi vobiscum vivere non licuit, saltem apud vos mori contingat et datori spirituum inter vos spiritum reddere, et terræ quod terra est restituere.

* (d. D. m.) *cod.* domni Damonachi.
* *cod.* editum.

Notum præterea facio optandæ mihi dilectioni vestræ quod, postquam a loco vestro retractans et cum multis lacrimis digressus sum, Deo sciente, me ignorante quare reverti cogerer, elegantis et firmi operis oratorium (1), quod non fieret si remansissem, in honore piissimi patroni, domni Martini, multa impensa et labore ædificaverim. Quod successor meus cum ingenti populorum confluentia et exultatione jam dedicari fecit; in quo et luminare et universa celebrationi mysteriorum et servitio Dei faciendo necessaria, sed et missam quotidianam pro defunctis institui. Per omnia benedictus Deus, qui abundantia pietatis suæ et merita supplicum excedit et vota, et plerumque adjicit quod vita non meretur et oratio non præsumit. Sanctitatem vestram...

20° [Epistola Guiberti ad Philippum, Coloniensis ecclesiæ antistitem] (fol. 130v-132v).

Edita est hæc epistola; siquidem pars prior legitur apud Pitra, tom. cit., p. 414-415; posterior vero in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 600-605.

21° [Visio S. Hildegardis ad Guibertum missa] (fol. 133r-141v).

Edita apud Pitra, tom. cit., p. 415-434.

22° Epistola domnæ Hildegardis, magistræ cœnobii Sancti Roberti Pinguensis, de excellentia beati Martini episcopi (fol. 141v-145v).

Edita ibid., p. 369-378.

(1) Dedicatum est hoc oratorium III Idus Aprilis 1205 (*Gallia Christ.*, tom. III, p. 562). Cfr. infra, epistolam Guiberti ad Sigfridum et Philippum, episcopos.

23° [Epistola Guiberti Gemblacensis ad S. Hildegardem] (fol. 145v-147r).

Edita ibid., p. 328-331.

24° [Epistola Guiberti ad sanctam Hildegardem] (fol. 147r-147v).

Edita ibid., p. 378-379.

25° [Epistola sanctæ Hildegardis ad Guibertum] (fol. 147v-149v).

Edita ibid., p, 331-334. — Cfr. *Anal. Boll.*, tom. I, pp. 599, 600.

26° [Epistola Guiberti ad sanctam Hildegardem] (fol. 149v-152v).

Edita ibid., p. 381-388.

27° [Ejusdem ad eamdem] (fol. 152v-155r).

Edita ibid., p. 388-392.

28° [Ejusdem ad eamdem] (fol. 155r).

Edita ibid., p. 393.

29° [Epistola sanctæ Hildegardis ad Guibertum] (fol. 155r-155v).

Edita ibid., pp. 380, 381.

30° [Epistola Guiberti et ecclesiæ Villariensis ad S. Hildegardem] (fol. 155v-156r).

Epistola de qua supra, ad cod. 5387-96, p. 496, 14°.

31° [Epistola eorumdem ad eamdem] (fol. 156r-156v).

Epistola de qua ibidem, 15°.

32° [Epistola Guiberti ad sorores ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ est in Bingia] (fol. 156v-157r).

Epistola de qua ibidem, 16°.

33° [Epistola Guiberti ad beatam Hildegardem] (fol. 157r-158r).

Epistola de qua ibidem, 17°.

34° [Epistola beatæ Hildegardis ad Guibertum et ad ecclesiam Villariensem] (fol. 158r-158v).

Epistola de qua ibidem, 18°.

35° [Epistola R(adulphi) ad Guibertum] (fol. 158v-160v).

Epistola de qua ibidem, 19°.

36° [Epistola Guiberti ad Radulphum] (fol 160v-168v).

Epistola de qua ibidem, 20°.

37° [Epistola Guiberti] ad Jonam sacerdotem ecclesiæ S. Martini quæ est in Petroso vado (fol. 168v-170v).

Minima dumtaxat parte edita apud Migne, tom. cit., pp. 1296, 1297, epist. IX.

38° [Epistola Guiberti ad quemdam amicum] (fol. 170v-176r).

Minima tantum parte edita apud Migne, tom. cit., p. 1297-1299, epist. x. — Chronologiam illustrant sequentia ex omissis ;

Relatum siquidem mihi est quod aliqui eorum, audita vel lecta epistola mea ante biennium fere ad * B[ovonem] dilectum nostrum, tunc diaconum, modo sacerdotem, scripta, hoc quod in ea dixi, me de servitute Liæ lippientis ad delectabiles decoræ Rachelis amplexus translatum videri, graviter acceperunt et vehementer indignati adversum me infremuerunt, dicentes me improbum esse filium, qui matrem meam aspernans et ab ea me subtrahens lippæ mulieri, et alienam ad quam me transtulissem ecclesiam decoræ compararim. Super quo non parum doleo, et ipsi potius sibi quam mihi succensere et * erubescere deberent, pro eo quod et voluntas calumniandi fratrem nil se lædentem in eis inventa sit et sane dicta (si benivolum auditorem audiant) ad malum detorserint, non considerantes nec considerare volentes per duas sorores has, quando simul commemorantur, non duas ecclesias sed duas in una ecclesia intelligi debere vivendi manerias...

* (f. ad) *cod.* fore ab.

* *cod. add.* non.

Et, si non esset longum et timerem quod vel gravarentur vel commentum putarent, scriberem eis visionem duram satis et gravem ad narrandum, necdum ad portandum, qua et plurimum terreor ne revertar, quam super miseriis et tribulationibus eorum vidit domina mea Hildegardis, quæ nimirum testatur : quod præ ceteris peccatoribus super eos maxime, qui deturbato Petro Simonem in sede ejus fovent, vigilet virga judicis æterni, et districtiori animi adversione adversum illos prædictum gladium suum vibraverit arcumque suum tetenderit...

Obsecro ut utrique ea qua dicta sunt intentione pensent et accipiant, quoniam non nihil, si bene hæc expediunt, arbitror eis profuturum. Mihique, si quid, quando cum eis versabar, in quoslibet excessi, benigne indulgeant, ut et ipsorum excessibus clementer ignoscat Deus; et de cetero in me jam absentem contorquere spicula verborum desistant, ne sagittæ parvulorum fiant plagæ eorum, meque inter montana hic sinuamina Reni latentem quietum esse permittant. In pace et cum gratia fere cunctorum ab eis exiens, pacatam et tranquillam erga omnes habeo voluntatem ; et pacificus, cum Deus disposuerit vel aliquid de melioratione domus audiero, erit ad eos * reditus meus.

* *cod.* vos.

Proinde non quantas debeo, sed quas donat ipse Deus, clementiæ ab eo mihi impensæ gratias ago, qui cum in tribulatione essem, clamantem me ad se exaudivit, complacuitque ei ut eriperet me et educeret de angustia in latitudinem et statueret in loco spatioso pedes meos, in loco requietionis et pacis, ubi nunc habitans sine interpolatione cujuslibet inquietudinis pluribus quam indigeam abundo. An non credendum mihi et fatendum quod vere miserit Dominus angelum suum et eripuerit me de manu bestiæ et de omni exacerbatione affligentium

animam meam, cum domna mea et mater Hildegardis, missis litteris, cum difficultate tamen et mora obtenta licentia, evocavit me ad se, et, ponens me juxta se, secretarum Dei revelationum, cum a superna ei claritate infunduntur, frequenter
(* *cod.* ei.) immeritum facit participem? Cum qua et nunc degens luminosis ejus* irradior consiliis, beneficiis utor et recreor consolationibus, in tantum ut area mentis meæ, quæ inter priores amaritudines aliquando mihi terra salsuginis reputabatur, modo sicut adipe et pinguedine repleri et velut rivulis lactis et mellis fluere videatur...

Nec, sicut putant vel improperant aliqui, matrem meam ecclesiam aspernor seu redire dedignor, nec terminorum datæ mihi licentiæ transgressionem parvipendo, quia coram abbatibus et probis viris, qui me de remoratu multum rogaverunt, et coram episcopis, qui in me aliquid juris, mediante tamen abbate, habere videntur, Coloniensi scilicet et Leodiensi, qui me rogatu domnæ et matris meæ Hildegardis hic in perpetuum esse vellent, et ad tempus manere jusserunt, et in remissionem
(* *cod.* cuique.) peccatorum quique * sua vice injunxerunt, de causis adventus mei ad has partes
(* *cod.* matris.) et de licentia prolonganda satis tractatum est; sed quod, orantibus matre * et filiabus, cum super hoc polliciti sunt, non negligentia sed summis publicarum rerum impedimentis detenti nondum effecerunt. Ne autem propter hoc terminan-
(* terminendum.) dum * ad eos remittatur, ego ipse obsisto, verens ne mihi longior quam velim aut perpetua (quod numquam volui) hic manendi mihi necessitas per eas imponatur.

(* *cod.* obsecrationem.) Interim autem, et prædictarum tam matris obsecratione * quam filiarum devotione et episcoporum ipsorum auctoritate ligatus, triplicem hunc funiculum tum propter honestatem erubesco, tum propter Deum, eos forte in hoc excitantem, dissolvere formido...

Unde etiam mihi, favente Deo, nonnulla retributio videtur provenisse, dum, sine indigentia cujusquam rei necessariæ et absque interpolatione alicujus inquietudinis, in multa pacis serenitate consistens (quod tamen, utpote immeritus, non sine et cordis trepidatione et oris verecundia profero), hic in tanta dilectione et
(* *prius scripserat* habear.) veneratione habeor * ut, a quibus intelligor, libentissime sua mihi secreta vel publica * communicando confabulentur; a quibus non, aut me teutonicum aut se
(* *cod.* puplica.) romanum scire propter mutuam nostri collocutionem exoptent, et me ad eamdem linguam discendam sæpius cohortentur.

39° [Epistola Guiberti ad fratres suos Gemblacenses] (fol. 176r-177v).

Ex parte edita apud Migne, tom. cit., pp. 1299, 1300, epist. XII.

40° [Epistola fratrum Gemblacensium ad Guibertum] (fol. 177v-178r).

Ex parte edita apud Migne, tom. cit., p. 1299, epist. XI.

41° [Epistola fratris Jo. de Wlr. ad Guibertum] (fol. 178r-179r).

Edita apud Migne, tom. cit., p. 1302-1304, epist. XIV.

42° [Epistola Guiberti ad sanctissimas virgines in Monte beati Roberti] (fol. 179^r-182^r).

Vid. Append.

43° [Epistola Idæ magistræ et totius conventus in Monte sancti Ruperti, ad Guibertum de Gemblues] (fol. 182^r-182^v).

Vid. Append.

44° [Epistola Guiberti de Gemblues ad Gertrudem, sponsam Christi] (fol. 182^v).

Ex parte edita apud Migne, tom. cit., p. 1304, epist. xv. — Pars omissa in textu edito apud Martene et Durand (*Amplissima Collectio*, tom. I), quem refert Migne, hæc est :

... Et quod in servitio Christi facio, vestrum æque ut meum est. Audieram vos esse defunctam. Sed interim dolor mediocris erat* et oratio suspensa, pro eo quod incertus esset nuntius. Audivi quoque vos post hæc gravi et diutina infirmitate detineri ; et pro vestro gravamine non leviter gravatus sum ipse, sed consolatus pro eo quod superstes adhuc essetis et quod tandem infirmitatem vestram sapientiæ et fortitudini vestræ in bonum cooperari sperarem, juxta illud : *Cum enim infirmor, tunc fortior sum et* * *potens*. Scio namque vos non ignorare quoniam *Diligentibus Deum omnia* non solum commoda sed et adversa *cooperantur in bonum*. Et quia *Quos diligit Deus castigat, flagellatque omnem filium quem recipit*. Sicut ipse testatur : *Ego quos amo, redarguo et castigo*. Dictum est etiam mihi quod litteras per nescio quem nobis miseritis; sed scitote quod ad nos non pervenerunt. Munuscula nulla vobis dirigo ...

* *prius scripserat* erit.

* *vox suppleta ex cod. 5387-96, fol.* 188^v.

45° [Epistola Gertrudis ad Guibertum] (fol. 182^v-183^r).

Vid. Append.

46° [Epistola Guiberti ad Idam, magistram virginum in Monte sancti Roberti] (fol. 183^r-185^r).

Vid. Append.

47° [Epistola Guiberti ad Gertrudem, sponsam Christi] (fol. 185^r-186^v).

Maxima parte edita apud Migne, tom. cit., pp. 1300 et 1301, epist. XIII.

48° [Epistola Guiberti ad Bovonem] (fol. 186^v-190^v).

Hæc epistola qua continetur initium *Vitæ S. Hildegardis* auctore Guiberto Gemblacensi (cfr. Pitra, *Analecta Sacra*, tom. VIII, p. 407 et *Anal. Boll.* tom. I, p. 597), edita est ex hoc codice apud Pitra, tom. cit., p. 405-417. Cfr. supra ad cod. 5387-96, 21°, in quo ultimo codice licet narratio magis adhuc sit mutila, ut diximus, multæ tamen sunt optimæ lectiones variantes ; v. gr. in initio præfationis : *Quæsierunt a me aliqui amicorum ut qui me eventus exceperint et cujus gratiæ sit domna quæ me evocavit* ... et initio Vitæ : *cœlestem sponsum, speciem et pulchri-*

tudinem quam in ea vel per naturam posuerat vel per gratiam ei collaturus erat, concupiscentem ...

49° [Visio quædam] (fol. 191^r).

Vid. supra, p. 496, 13°.

50° [Vita B^{tæ} Hildegardis] (fol. 191^v-209^r).

Vita auctoribus Godefrido et Theoderico monachis, edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 679-697. — Habet cod. lectt. varr. notatas supra, p. 495, n. 12°.

51° [Lectiones de B^{ta} Hildegarde] (fol. 209^r-210^v).

Editæ apud Pitra, tom. cit., p. 434-438.

52° [Epistola ecclesiæ de Villari ad H. abbatissam de Binges] (fol. 210^v-211^r).

Edita ibid., p. 438-440.

53° [Duo hymni de Legione Thebæorum] (fol. 211^r-211^v).

Alma Christi quando fides
Mundo passim traditur
Et per latos mundi fines
Igne flagrans floruit,
Tunc elegit sibi gratum
Militem Mauricium,

Qui loricam fide tectam
Forti gestans pectore,
Qua beata Thebæorum
Induebat agmina,
Ad cœlorum ut consortes
Incitaret præmia.

Martyr sacer quo vocavit
Inclitus Mauricius,
* *cod.* simus. Omnes simul * quasi unus
Vir, dictu mirabile,
Ad coronam promerendam
* *cod.* properabat. Properabant * cœlitus.

Tunc armati spiritali
Ense Christi martyres,
Submittentes quasi agnus
Pia colla jugulo,
Triumphabant trucidati,
Spreto mundi principe.

Contemnentes blandimenta
Tyrannorum noxia,
Flocci pendunt mundi pœnas
Sub momento vincere,
Ut ditentur sempiterno
Sine fine munere.

Diem festum revolutum
Anni monstrat orbita
Quo beata Thebæorum
Legionem colimus,
Ægris salus quo præstatur
Cæcus visus funditur.

Nunc quapropter supplicantes
Illi preces fundimus
Ut dignetur nobis Christum
Facere propitium,
Quem amavit, in quo regnat
Nunc et in perpetuum. Amen.

Christo cœlorum agmina
  Dent laudes et mortalia:
Cum multis septus millibus
  Scandit astra Mauricius.

Plaudunt * honore cœlici,
  Canendo melos obvii;
Tendunt et ulnas gaudii,
  Vitæ ducentes principi.

* *cod.* Plaudent.

Thebæa felix legio,
  Cruore cincta muricis,
Victrix triumphi laurea,
  Fide vicisti terrea.

Sis * nostri memor, Domina,
  Agno dum pangis cantica.
Gravatos sorde libera,
  Delendo mortis crimina.

* *cod.* Scis.

Salve, beata Trinitas,
  Simul et una deitas,
Viva creatrix, seculum
  Qui regnas in perpetuum.

54° De sancto Roberto (fol. 211v).

Gaude, sponsa Dei — mater Ecclesia,
Mater sanctæ spei — deprome gaudia.

Adest namque dies — assunt solemnia
In quibus Robertum — coronat gloria,

Illa quæ sursum est — quæ finis nescia,
Finem dat lacrimis — finit terrestria.

O quam læta dies — quanta festivitas,
In qua soluta est — Sancti captivitas,

Cum de exilio — redit ad patriam,
Dignam pro gratia — recipit gratiam.

O * sancte Roberte — concivis * superum,
Iter ad patriam — fac nobis prosperum.

* *deest in cod.*
* *cod.* conscius.

Laus Patri gloriæ — laus ejus Filio;
Sancto Spiritui — sit laus cum cantico. Amen.

55° [Epistola Guiberti ad Godefridum, abbatem sancti Eucharii, cum responsione ejusdem et alteris Guiberti ad Godefridum litteris] (fol. 211v-221r).

De his epistolis vid. supra, p. 493, 11°.

56° [Epistola Joseph ad Guibertum, Florinensem abbatem] (fol. 221r-221v).

Edita maxima parte apud Migne, tom. cit., pp. 1305 et 1306, epist. XVIII.

57° [Epistola Joseph ad Guibertum Martinum] (fol. 221ᵛ-222ʳ).

Edita maxima parte ibid., p. 1306, epist. XIX.

58° [Epistola Joseph ad Guibertum Martinum, Florinensem abbatem] (fol. 222ʳ-222ᵛ).

Ex parte edita apud Migne, tom. cit., pp. 1307 et 1308, epist. XX.

Inc. Loquor sanctitati vestræ in pera et baculo, divina vocante gratia et utinam prosequente ...

Post *antequam moriar* add.:

Præterea prosam de sanctissimo et dilectissimo patrono nostro, beato scilicet Martino, versusque aliquot de laudibus virginitatis, secundum materiam quam mihi præscripseratis, nuper compositos, vestræ nunc judicio prudentiæ examinandos transmitto. Qui si censuræ arbitrii vestri placuerint, reserventur; sin autem, aboleantur. Mallem tamen eos, si vestræ sederet discretioni, licet id stili pauperies inculti non mereatur, reservari potius quam deleri, eo sane respectu ut, quia nescio utrum vos ulterius visurus sim, saltem tantillum memoriale meæ erga vos devotionis apud dulcedinem vestræ pietatis residuum inveniatur. Ut, cum vel hos vel aliquid scriptorum meorum inter vestra repereritis, Joseph vestri ... (*cfr. edita*) resideat. Et de litteris quidem sive epistolis, si diutius adviverem, nonnulla, licet dubia, superesse spes posset, quoniam et de cismarinis ad transmarinos et e diverso a transmarinis ad cismarinos familiares et amicos aliquæ diriguntur, sed propter diversa mortium genera quæ itinerantes sæpius intercipiunt rarissime perferuntur. Proinde quia et instantia domini mei archiepiscopi cogor et maxime Christi, Salvatoris nostri, caritate trahor ad subeundum tam laboriosi et horridi itineris laberinthum et ignoro propter corpusculi imbecillitatem vel aerum seu victualium mutationem aut incertos eventus quibus humana subjacet natura, sicut prædixi, utrum jam revertatur oculus meus ad intuenda et participanda dulcissimæ cohabitationis vestræ bona: propter horum vel similium, inquam, formidinem ... memoriam. Sed talia inculcando non est mihi, ut opinor, verbis valde laborandum. Si enim caritas, non qualiscumque, sed illa quæ perfecta est, quæ omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, nihil agit perperam, quæ patiens et benigna est et nunquam excidit, quæ operit multitudinem peccatorum et aperit regna cœlorum; postremo illa quæ Deus est et inter ceteras sui laudes vinculum perfectionis ab apostolo nuncupatur, si, inquam, hæc tanta virtus per Spiritum sanctum diffundatur in cordibus nostris, quantocumque locorum dirempti * fuerimus interstitio, dulcissimo ejus nexu colligati, unum velle, unum nolle habentes, id ipsum in invicem sentiendo vel sapiendo unum erimus, alter alterius onera portabimus, et ita et quod patet et quod latet in divinis sermonibus tenentes in moribus, ad regnum illud in quo pax illa est quæ exsuperat omnem sensum proculdubio perveniemus et sine fine possidebimus. Interim sic meus estote pia devotione orando, sicut ego vester in assumpta peregrinatione laborando. Præfatam sane prosam quam huic epistolæ subscribere dignum duxi, si vobis placeret, placeret et mihi ut melificetis,

* *cod.* direpti.

quatinus et legentes ex verbis ad amorem sancti pontificis incitentur et audientes ex sonis ad devotionem compunctionis provocentur. Obsecro jam ...

59° [Prosa de sancto Martino] (fol. 222v-223r).

Excitetur plebs devota
Et intendat mente tota
Martini præconio.

Confessorem veneremur;
Quem si digne confitemur,
Laudis est confessio.

O præclarum jubar lucis
Quam in laudem summi ducis
Et honorem militis

Cleri cura sic expendit,
Quod devotam se[se] * dedit
Viri tanti meritis.

Gemma fulgens confessorum,
Sidus cleri, flos doctorum,
Singulari luce morum
Illlustrat Ecclesiam.

Audi mores et mirare,
Viri vitam imitare,
Et sic potes immolare
Gratam laudis hostiam.

Hic a cunis curæ mitis
Et virtutum insopitis
Indulgebat studiis.

Nondum tamen vas signatum,
Vas acetis defæcatum,
Parentum contagiis.

Vix a lacte sequestratur,
Cum errorem detestatur
Natalis Pannoniæ.

Fit paterni spretor cultus,
Dei cultor et occultus
Amator Ecclesiæ.

Ut prætexta togæ cessit,
Vir effectus, morem gessit
Militari cingulo.

Numquam tamen est elatus;
Fit minister, qui prælatus,
Dominante famulo.

Nudum videt et medetur;
Sed eodem se fatetur
Christus tegi pallio.

Munus grande, munus gratum,
Quod probatur commendatum
Tanto testimonio.

Dum romanus militabat,
Unum unus attentabat;
Sed conversus pectus dabat
Solus virum millibus.

Ducem sprevit Julianum,
Sprevit Martis jus profanum,
Se professus christianum
Immunem a cædibus.

Mundi pompam aspernatur,
Christo miles consecratur;
Præsul factus pastor datur
Plebi Turonensium.

Hoc pastore fraus expavit,
Livor cessit, lis cessavit,
Cujus favor soporavit
Condatense jurgium.

* *cod.* se.

Ergo plausu singulari
Tam insignes, tam præclari
Sonent actus terra, mari,
In ejus præconia.

Pie pastor, pater bone,
Constitutis * in agone
Spem virtutis et coronæ
Tua dent suffragia,

Ut superna visione
Perfruamur. Alleluia.

* *cod.* constitutus.

60° Metra de virginitate (fol. 223r-224r).

Inc. Flore pudor vario triplicem vestitur in usum.
Certant pura caro, mens mera, mixtus honos.
Mens clam mœcha sui meritum necat, intus adulter
Sordescit, florent integra membra foris.

61° [Epistola Guiberti, abbatis Gemblacensis, ad Joseph egregiæ probitatis scolasticum] (fol. 224r-225r).

Ex parte edita apud Migne, tom. cit., p. 1308, epist. XXI.

62° [Coloniensium antistiti Philippo Guibertus] (fol. 226r-233v).

Incipit (post inscriptionem) : Reverentiæ vestræ munus dicatum ut potui, Deo juvante, perfeci; et in eo quod non solum a vobis, sed ab universis beato Martino devotum gerentibus animum acceptatur, non frustra me laborasse gratulor et exulto. Sed et in hoc nihilominus gaudeo quod quidquid in præcedenti ejusdem opusculi prologo verbis proposui, in subsequentis textu narrationis opportunis et multiplicibus exemplis approbavi. Dixi enim, nec me pœnitet, verum enim dixi, dixi, etsi non his verbis, eodem tamen sensu, quod beatum vobis Martinum ideo quam maxime imitandum proposuerim, quoniam in nullo prorsus alio confessorum Christi multipliciora et expressiora virtutum monimenta invenire potuerim. Cujus enim sancti ager Martini agro cultior? cujus vitis fertilior? cujus possessio amœnior? cujus hortus vernantior? cujus pratum florulentius? cujus gazophylacium locupletius? Odor enim ejus in universis Ecclesiæ partibus *sicut odor agri pleni cui benedixit Deus.* Apud illum vitales fructus, medicinales herbæ, flores et lapides pretiosi simul et salutiferi. Totum in illo solidum, lucidum et sapidum; nihil in eo flaccidum, nihil obscurum, nihil insipidum. Vita ejus vitæ alienæ condimentum, conversatio ejus religionis magisterium; errantium reductor ipse et lucerna, naufragantium portus et anchora, titubantium baculus, fessorum reclinatorium, desperatorum consolatio, tribulatorum refugium, morum disciplina, pietatis domicilium, officina sapientiæ, simplicitatis et rectitudinis gratum et commune diversorium.

Proinde virum hunc mirari non inutile, meditari de illo delectabile, salubre merita ejus venerari, saluberrimum mores imitari, postremo patronum habere tutum et laudabile. Beati qui ejus in carne agentis notitiam, familiaritatem et gratiam adipisci potuere; felices qui ejus doctrinis erudiri, exemplis accendi,

jocundari miraculis et roborari benedictionibus meruere; sed multo beatiores qui, sicut interminabilis gloriæ ejus jam cum Christo regnantis prædicatores, ita et purissimæ conversationis ipsius præteritæ devoti contenderunt esse æmulatores.

Probata sunt et hæc nihilominus multis et evidentibus argumentis in eo opusculo quod de nonnullis clarioribus ipsius veneratoribus ad vestram paternitatem recentius edidi; in quo videre perspicuum est quanta beatus præsul sedulitate et benignitate pio sibi affectu obligatis semper faverit quantisque sub suum confugientes præsidium, cujuscumque conditionis et dignitatis homines confovendo beneficiis, quasi expansis misericordiæ alis, ab universis incursionibus malis protegere consueverit.

Sed, quoniam ab anterioribus et a modernis tanta de Martino tam prosa qua metro scripta sunt, ut feriatis, nedum occupatis, difficillimum sit universa perlegere, proposui ut, tacitis et humiliter salutatis magnificis et splendidis exteriorum miraculorum ejus operibus, quibus in vita sua toti mundo clarus innotuit, quibus venerationem, non usurpationem debet, illa potius interiorum virtutum ipsius exercitia quæ salutem præexercentibus præstant, id est fidei, humilitatis, obedientiæ, caritatis, patientiæ atque timoris Dei, qui radix et initium sapientiæ est: harum, inquam, et similium ejus virtutum studia proposui seriatim qua possem diligentia ante mentis vestræ intuitum colligere et ad imitationem earum et vos et quoscumque auditores meos piarum incitamentis exhortationum provocare. Quapropter, domne pater, iterum supplico ... (*cfr. apud Migne, tom. cit., p. 1309, epist.* XXII).

63° [Epistola Guiberti ad Sigfridum, Moguntinæ civitatis archiepiscopum] (fol. 233v-238v).

Inc. Quoniam scribere aliquid, ad instructionem vel ad compositionem animi, meæ humilitati vestræ paternitatis sublimitas jubere dignata est ...

Hujus epistolæ intentio sequentibus manifesto demonstratur:

Sedet animo et vehementer affecto de exercitiis virtutum et de modo et qualitate rectissimæ conversationis beatissimi ac toto orbe celeberrimi viri, vestri autem proprii et specialis patroni Martini, cui totum quod scitis et valetis post Deum debetis, aliqua retexere, ipsumque, maxime quia in nullo alio confessorum plura vel potiora ipsarum virtutum exercitia reperiri possunt, imitandum proponere, et gesta ejus quasi specular mentis vestræ oculis objicere, in quo quid vobis vel vitandum vel sequendum sit contemplemini. Scripsi dudum, sicut et alibi jam vobis significavi, multa de eodem præsule sanctoque patrono vestro ad consortem sublimitatis vestræ, domnum Philippum, dum adviveret, Coloniensem archiepiscopum. Sed quoniam nondum * hæc prolata et nondum ad vos pervenerunt, utile censeo et vos quoque de virtutum ejus copia et constantia animi ipsius in omni mandatorum Dei observantia probatissimi specialem catalogum compingere, tum quia specialis alumnus ejus estis et gratius debetis ejus quam alius sancti audire præconia, et fortius possunt vos movere exhortationes quæ vobis

* *cod.* nundum.

proprie scribuntur, quam illæ quas ad alios scriptas legitis, maxime autem quæ de gestis ejusdem tanti patroni nostri vobis imitatione proponuntur ...

64° [Epistola Guiberti ad Sigfridum, civitatis Maguntinæ archiepiscopum] (fol. 238ᵛ-243ᵛ).

Inc. Venerabili et omni reverentia suscipiendo patri Sigfrido, Dei gratia nobilis et inclitæ civitatis Maguntinæ archiepiscopo, frater Guibertus, humilis quondam abbas Gemblacensis cœnobii, nunc simplex monachus, in stadio præsentis vitæ et inter ærumnas hujus seculi sic currere, ut in patria futuræ beatitudinis bravium, id est mercedem, a Deo, certantium inspectore, dignæ retributionis mereatur accipere. Quoniam, reverende Pater, animum vestrum multis intentum, longa et perplexa lectione superioris epistolæ fatigatum ...

In tota epistola auctor parænetice prosequitur laudes beati Martini.

65° [Epistola ejusdem ad eumdem] (fol. 244ʳ-246ᵛ).

Vid. Append.

66° [Epistola Guiberti ad Sigfridum, Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopum] (fol. 247ʳ-247ᵛ).

Inc. Vestræ dulcedinem pietatis humiliter, Pater serenissime, hortor et deprecor, quatinus trium præscriptarum seriem epistolarum, inculto stilo exaratam, non tamen ex toto ut inutilem audire vel legere abnuatis ...

67° [Epistola Guiberti ad Conradum, Maguntinum antistitem] (fol. 248ʳ-251ʳ).

Edita apud de Gudenus, V, 1104 (Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter*, edit. 1877, tom. II, p. 127, not. 3).

68° Epistola cujusdam Cisterciensis abbatis sine titulo sui nominis episcopo Moguntinensi (fol. 251ʳ-252ᵛ).

Epistola de qua supra, p. 493, 9°.

Inc. Æmulator zeli ejus cujus ventilabrum in manu ejus, ad permundandam aream suam, et de cujus ore procedit gladius utraque parte acutus, ad faciendam vindictam in prævaricatores legis et gratiæ contemptores, angelo et officialibus Maguntinæ ecclesiæ retributionem pro meritis. Si nescire misereri, diffiteri est hominem et cum feris habere conventum ...

69° [Epistola Guiberti ad Sigfridum, Moguntinum archiepiscopum et Philippum Razeburgensem pontificem] (fol. 252ᵛ-256ᵛ).

Vid. Append.

70° [Epistola Guiberti ad Godefridum, abbatem S. Eucharii, cum responsione ejus et alteris Guiberti ad Godefridum litteris] (fol. 257ʳ-263ᵛ).

Vid. supra, 55°. — Sed hic alteræ ad Godefridum litteræ ob folia excisa mutilæ sunt, desinentes ad hæc verba : *et propter altissima miraculorum.*

71° [Adhortatio ad sanctimoniales] (fol. 264r-267r).

Etiam mutila. Prima verba in codice sunt : *sponsi vestri fide pollicita...* ultima vero : *ac si in epulis aut,* et in latere verso hujus folii ultimi nihil aliud legitur quam hæc nota : *Guibertus Martini abbas hujus monasterii,* quam notam indicavimus supra.

Appendix ad cod. 5527-34.

EPISTOLA GUIBERTI GEMBLACENSIS AD MONIALES BINGENSES.

(Cfr. supra, p. 543, 42°.)

1. Sanctissimis virginibus, matri et filiabus, in Monte beati Roberti Deo famulantibus, frater G[uibertus], servus sanctitatis earum, pactam * Christo sponsalitii fidem integram conservare. — Quamvis non modico terrarum a vobis intervallo sejungar, et longa temporum series evoluta sit ex quo a consortio vestri, corpore non mente sequestratus sum, tamen, recordatione pro visione et memoria utens pro præsentia, dilectionem qua vobis astringor, ne prorsus decidat vel frigescat, incitamentis quibus valeo, fulcire et inflammare non desino. Et quidem, sicut copiosam mihi retinendi eam ex consideratione impensorum mihi a vobis beneficiorum suppetere profiteor materiam, ita etiam, ne pro parte mea lædatur, non minorem in conservanda ea diligentiam adhibeo. Nam, cum innumera pietatis et honoris obsequia a vobis mihi exhibita, sedula investigatione frequenter recurro, quid aliud nisi, ne in altari cordis méi ejusdem ignis dilectionis deficiat, more sacerdotis idem in Lege jussi facere, quotidie ligna subjicio? Nec multum curæ in me ; non curo quod ait poeta :

*cod. pactum.

Dormitat, si non visu pascatur amico,
Et nisi colloquiis sæpe fruatur, amor ;

quoniam dissoluta, puerilis et infirma est affectio talia ab invicem exigentium...

2. Quæ cum ita sint, nullam ulterius mei corporalem copiam requirentes, in detentione ejus ne fatigemini animis vestris, sed estote vos sicut et ego, ut ego quoque sim sicut et vos ; quoniam omnia similitudine gaudent et hilarescunt, dissimilitudine mœrent et tabescunt. Nihil ergo sinceræ dilectioni juris sui vel jurium absentia corporis inter nos demat, nil auferat, sed, tota in virtute et puritate spirituali consistens, semper augeatur, intima sancti Spiritus aspersione in nostro illam spiritu, donec ad perfectum surgat, plantante, rigante et roborante, juxta illud : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam* *. Ita, obsecro, fiat, et gratia ejusdem Spiritus et meritis atque precibus et studiis vestris.

* cod. quiquam.

3. Et ne digna et congrua vobis quoque ad succendendam caritatis fornacem desit materia, reminiscimini, quæso, quam devotus fuerit introitus meus ad vos,

quam quiete et sine superfluitate ambulaverim inter vos, quam libens et indefessus in opere Dei vobis astiterim, quam fideliter, quam instanter, hoc est sine fraude et negligentia, universa a domina mea et matre vestra, venerabili Hildegarde, mihi imposita executus sim.

4. Recolite, quæso, etiam quam impolluto calle vobiscum positus usque ad egressum transierim. Veritatem enim dico, testimonium mihi in Spiritu sancto perhibente conscientia mea, quod super nullam vestrum aliquando depravatum sit cor meum, nec reprehendit me censura judicii mei de verbo turpi nec de respectu lenocinii cum aliqua vel super aliqua vestrum, a die introitus mei usque ad exitum meum a vobis, quoniam rogaveram Dominum, et posuerat custodiam ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis, ne declinaretur cor meum in verba malitiæ, pepigeramque dudum et ipse fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine; et sic, opitulante Deo, non sunt coinquinata vestimenta mea degentis inter vos, et cum quali intravi, expleto utcumque officio vicis meæ, cum tali tunica exiens, munda apud vos vestigia reliqui. Nec, ut ingratus, mihi hoc arrogo, quia possibilitatis meæ prorsus non fuit, sed gratiæ et virtutis clementissimi largitoris Dei, qui gratuita pietate et hæc et majora his operatur in parvulis suis. Gratias ipsi super omnibus beneficiis ejus.

5. Nec tamen dico, vel intelligi volo, quin loquens vobiscum nulla nisi seria dixerim, aut nullos nisi timoratos vel necessarios respectus habuerim, cum necdum omnino in his justificatus sim. Etenim qui non labitur in his, hic perfectus est vir; quod longe est a me. Ad vitandas ineptias, quæ inter disparem sexum dici vel contingere possunt, firmiter decreveram custodire os meum, ne loqueretur turpitudinem, et avertat Deus oculos meos ne videant vanitatem. Nec permisit ut ascenderet mors per fenestras meas. Hinc est quod, dum extranei (cum quibus me, ut sum dissolutus et remissus, non solum jocunde, sed et jocose habebam) inhumanum * me et communem prædicarent, nonnullæ vestrum cum quibus familiarius loqui consueveram, pro severitate habitus mei vobiscum non ita esse, sed rigidum et austerum me asserebant. Ego autem astuti et versipellis * inimici, serpentis scilicet antiqui, etsi non timerem violentiam, cavebam tamen dolos et insidias; ne, etsi aperte non posset irrumpere, occulte tamen et blandiendo tentaret irrepere *, et si, nequam caput evitanti, palam nocere non valeret, caudam non caventi clam vulnus inferret. Sed procurante Deo, qui nisi custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam, et ille in utroque frustratus est, et ego, a visco ejusdem insidiatoris ereptus, vivo, et benedico ereptorem meum. Sed hactenus obsecro insipientiam meam benigne portaverit auditorum patientia, ad quam me coegit dura ut inferus quorumdam æmulatio, quibus consuetudinis est sua negligere, aliena curiose discutere, et deserta veritate ponere lucem in tenebras, vertere dulce in amarum et bonum in malum; quorum sententia longe sit a me; qui et me pro eo quod vobiscum conversari passus sim, vulpino idest, putrido dente lacerantes, innocentiæ meæ infamiam et præjudicium inferre non sunt veriti, cum ego ad cohabitandum vobis, non impetu lascivientis animi, sed, litteris sanctæ matris Hildegardis vocatus et obsecratus, accesserim jussu episcopi Leodiensis, rogatu

* *cod.* inmanum.

* *cod.* non pellis.

* *cod.* irripere.

archiepiscopi Coloniensis, concessu quoque abbatis mei compulsus vobiscum aliquamdiu manserim, quibus post Deum quod sum debeo, quos et illa ad compellendum me precibus suis inclinaverat. Quasi vero non et plures alii sublimiores et meliores me, gratia sanctitatis ejus ducti, eamdem venerabilem matrem vestram ante me expetierint et ei in quibuscumque voluit paruerint; beatus quoque Hieronimus, obtrectatorum suorum vehementissimus succensor, Paulam, Eustochium, et Marcellam aliasque nonnullas religiosas feminas familiares non habuerit, et eis sæpius scripserit, multi etiam alii sancti viri monasteriis puellarum non præfuerint et eis secundum prælationis exigentiam frequenter interfuerint. Quamvis autem ruinosum sit de se altum sapere, et impudentis insolentiæ intolerabilisque superbiæ magnum quippiam sibi arrogare, cum scriptum sit : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*; et item : *Quid superbit terra et cinis?* et rursum : *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit*, et multa hujusmodi; tamen exemplo beati Job et sapientissimi apostoli Pauli, qui, derogationes suas considerantes posse nonnullis obesse, magna et præclara de se veraciter proferendo obtrectatoribus * suis fortiter obviarunt; horum, inquam, exemplo (innocentiam meam propalando) flammas infamiæ meæ a fallacibus accensas malui extinguere, quam ad innoxios exurendos (qui forte malum non sine suo malo de me vel opinari vel loqui possent) silentio meo dilatari permittere. Nec enim ignoro quoniam recte secundum præcepta Dei ambulantem, non minus forte oporteat custodire famam suam quam vitam suam. Nam sicut non custodiendo quis vitam suam se ipsum perdit, ita negligendo famam suam proximum interficit...

* *cod.* obtrectoribus.

6. Verumtamen inter justitias istas, de quibus ob gratiam datoris glorior, pro me autem nihil nisi in infirmitatibus meis (magnificanda quippe semper Dei sunt a nobis munera, quamvis inertia nostra de his parum proficiat) : inter has, inquam, justitias etiam iniquitates meas adversum me pronuntiabo legentibus, juxta illud, *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris*, ne id unde me aliquæ vestrum suggillare possent, ex studio videar præterisse. Duo quippe feci apud vos, quæ utinam non fecissem et quibus similia ultra non addam ; in quibus licet non multum me reprehendat cor meum (de profunda quippe abysso ignorantiæ et ex fonte caritatis processerunt), tamen et me magno tædio et multas vestrum non parvo tædio affecerunt. Etenim nostis : quia cum quemdam mihi in officiis divinis suffragaturum et rogatu meo et causa Dei suscepissetis, re in contrarium cedente, quomodo et me pro negligentiis suis eum benigne redarguente, cum exinde magis diligere et venerari deberet, injuriarum multiplicitate sæpius obruerit, et vos, ausu ex familiaritate concepto, non impudica quidem sed importuna susurrationum assentatione infestaverit, et, Deo in sinum ejus et suas negligentias et meas refundente injurias, cum ultra ejus insolentia ferri non posset, exire jussus, quo mœrore animos eorum qui ejus præsentia delectabantur contristaverit. Quam ejus abjectionem *, licet mihi ab illis submurmurando imputata sit, scit tamen scrutator cordium Deus eam me nullatenus præstruxisse, sed tantum tacite tolerasse, et ob hoc maxime quod constaret hoc provenisse et mihi ad pacem, et domui ad concordiam et honorem. Scitis nihilominus et alteri *, natalium claritate pollenti, sed

* *cod.* objectionem.

* *cod.* altari.

interdum paupertatis necessitate laboranti, quem diligebam et seculo abstrahere et numero fratrum Christi addere cupiebam, cum ei vadiolum aliquod, a matre Hildegarde acceptum, pietatis intuitu præstitissem, qualiter fide fracta mihi illud statuto tempore reddere distulerit, ac per hoc detractoribus, spiculis verborum feriendum, me objecerit. Et licet nemo me super hoc in facie reprehendere umquam præsumeret, novi tamen id ægre vos tulisse, plus pro meo pudore quam pro ejusdem vadii morosa restitutione.

7. His duobus exceptis reatibus, qui tamen, ut dictum est, et de ignorantia futurorum et miseratione compassionis processerunt, libere pronuntio, quantum ad justificationes hujus temporis, me etsi non sine culpa, sine crimine tamen et querela inter vos conversatum fuisse et a vobis exisse. Et licet gloria nostra sit testimonium conscientiæ nostræ, nemo tamen in hanc me amentiam prorupisse putet, ut in hoc justificatum me arbitrer, si de magnis me non coarguat mens mea, cum ignorantiæ et negligentiæ, et minima mea tanta sint, ut aliorum maximis præponderent...

8. Verum, ut ad communia veniam, si bene valetis, si cuncta vobis succedunt ad vota, gaudeo super his et Deo favore pio vos prosequenti gratias ago. Valeo et ego, sed non usquequaque, quoniam compungunt me peccatorum meorum spinæ, et sagittant quidam in obscura luna, in qua per noctem uror; unde et instar parientis crucior, et verba mea dolore et clamore sunt plena, nihilque aliud jam nisi fugam meditor, eo quod hæc eadem luna semper in defectu sit, et plenitudinem luminis amissi a sole justitiæ non patiatur recipere. Precor ergo ut, si pro dilectione qua vos vehementer, caste tamen, amplector et pro servitio quod quamdiu licuit devote vobis exhibui, mihi vicarium repræstatis affectum; precor, inquam, ut sedule Deum oretis, ne fuga mea fiat sabbato vel hyeme, sed in beneplacito ipsius Dei et tempore opportuno, ut in stadio vitæ præsentis adjutus ab eo, sine detrimento et scandalo ad bravium felicitatis æternæ pertingam.

9. Quod vobis hactenus nihil scripsi, non pigritiæ neque inertiæ * neque injuriæ meæ fuit; sed opportunitas fidi portitoris defuit. Et quidem non nego quin * multi a partibus nostris ad vestras pro diversis ascendant negotiis; sed nullus, sive pedes, sive eques, et multo minus navigio utens, comitatum suum deserere patitur, ut in perferendis ad vos divertendo litteris mihi obediat. Sed et ego sæpius, postquam a vobis egressus sum, pro causis ecclesiæ nostræ Coloniam veniens, a domno Gilleberto, Sancti Andreæ præposito et communi amico nostro, et ab aliis nonnullis cognita prosperitate vestra, et quomodo in omnibus caute et caste secundum timorem Dei et ordinis justitias ambuletis, bono et securo sum animo de vobis, et gratulor in vobis impleri quod scriptum est : *Nomen bonum melius quam divitiæ multæ, et super aurum gratia bona.* Nunc autem ex insperato oblata mihi occasione scribendi vobis, ex peregrinatione pœnitentis hujus nobis notissimæ, cujus devotio Wormatiam ad sanctum Petrum et beatum tendit Nicholaum, litteras præsentes in spatiolo * quo per nos transivit dictare acceleravi, et mea vobis breviter intimans et vestra vicissim insinuari mihi rescripto flagitans,

* *cod.* injuriæ.
* *cod.* quim.
* *cod.* spaculo.

quatinus vel lætis vestris ex caritate congaudeam, vel tristibus ex debito compassionis affectu solatium, consilium et orationis suffragium impendam.

10. Ut vero saltem in fine aliquid doctrinæ vel exhortationis resonet epistola, obsecro...

11. Seriem totius peregrinationis meæ, quo a vobis egressus sanctum expetivi Martinum, videlicet quanta alacritate ipsius favore prosecutus Turonum pervenerim, quam acceptus et gratus universis ibi per octo menses manserim et qua prosperitate redierim, et qualiter nunc mecum agatur, præsentium latrix diligenter exponet; et vos similiter per eam quæ videbuntur mihi ex vestris insinuate. Deus omnipotens, dominæ sanctæ et sorores venerandæ, vos et in præsenti seculo religionis proposito semper ferventes faciat et in futuro socias Matri Christi, sponsi nostri, et æternæ beatitudinis participes asscribat. Amen.

EPISTOLA IDÆ, ABBATISSÆ BINGENSIS, AD GUIBERTUM GEMBLACENSEM.

(Cfr. supra, p. 543, 43°.)

1. Dilecto patri, fideli Christi servo, G[uiberto] de Gemblues, I[da], humilis magistra totusque conventus beatæ Mariæ in Monte sancti Roberti Deo serviens, veræ dilectionis pignus et si quid possunt in Domino. — Cum litteras quas per præsentium latricem nobis misistis perspexissemus, et vos incolumem vivere atque Turonum apud sanctum Martinum prout desiderastis aliquamdiu mansisse et prospere redisse novissemus, alacri mente vobis congaudentes ei cujus Spiritus in vobis operatur, condignas gratias retulimus. Speramus etiam et multorum relatu novimus vos in Christo pie vivere, et exemplo sanctitatis lucernam bonorum operum multis præferre, licet ut sapiens et circumspectus conscientiam vestram humiliter accusetis, eo quod bene sciatis perfectorum veram esse justitiam ut nunquam præsumant se esse perfectos.

2. Noverit autem dilectio vestra quod a memoria nostra non excedit quanta humilitate et patientia Deo in loco nostro servistis, quanto humanitatis affectu omni vos petenti tribuistis. Quapropter, vicem dilectionis vobis rependentes, quotidianis vos precibus Deo commendamus et, si Deo placuerit, vobis quandoque frui magno desiderio optamus. Scire etiam vos volumus quod ex quo a nobis recessistis abbas et fratres de Sigeberg (1) divini ministros officii nobis benigne provident, eo quod conventus Sancti Disobodi paucos habeat sacerdotes, et etiam quia jure privilegii nostri secundum petitionem nostram nobis utiles dare recusant. Præpositum vero qui nos in exterioribus procuret, a fratribus ejusdem loci Sancti Disobodi habemus.

3. Quoniam autem multarum tribulationum nos sæpe impugnant pericula, locum et congregationem nostram sub præsidium orationum vestrarum in nomine Domini committimus, quatinus nobis a Domino obtineatis, ut pia exhor-

(1) Abbatia O. S. B. in *Siegburg* (ducatus *Berg*).

tatio vestra in nobis compleatur, ut, dum in exterioribus adversa multoties toleramus, in spiritali disciplina et observatione regulæ et Ordinis non deficiamus.

4. Commendamus vobis etiam animas defunctorum fratrum, sororum, familiarium nostrorum, Constantini prioris nostri, Frederici conversi, Walberti vestri familiaris, domni Heremanni cantoris majoris ecclesiæ Sancti Martini de Monguntia, et aliorum qui in utroque sexu apud nos defuncti sunt, ex quo a nobis existis. Vale in Christo perenniter.

EPISTOLA GERTRUDIS MONIALIS AD GUIBERTUM GEMBLACENSEM.

(Cfr. supra, p. 543, 45°.)

Dilecto patri et præcordiali amico G[uiberto] de Gemblues, G[ertrudis] ancilla Christi se totam et omne suum. — Quantum dilectionis erga vos habeam, quanto desiderio anima mea vobis adhæreat, ille novit cui nihil est occultum. Quamvis enim, quod sæpe doleo, mihi facultas nulla sit vestra desiderata frui præsentia vel colloquio, quo mihi nil jocundius, nil esset dulcius, me tamen cogitante quod superstitem habeam, magno anima mea exhilaratur gaudio, utpote cujus * orationibus me sæpe adjutam sentiam et adhuc adjuvari non dubitem. In eo autem qui veritas est, dico, quod ardens in Christo dilectio quam ad salutem meam ex quo vos novi semper habui, numquam in me tepuit, sed ita fervens ut ea die qua cum multis lacrimis ab invicem corporaliter disjuncti sumus, inter nos vigebat, adhuc in me manet. Et quoniam conscientiam meam post Deum solus nostis, adeo ut ipso Deo teste de omnibus quæ commiseram ex deliberatione vos nihil celaverim, idcirco maxime in suffragia orationum vestrarum me totam fiducialiter rejicio, quatinus mihi obtineatis ut ille cui soli placere desideratis, vitam et finem meum in beneplacito suo disponat, et, si non in præsenti, tamen in futuro seculo me cum lætitia vos videre concedat. Unicæ quoque sororis meæ animam, quam apud nos manens aliquando vidistis, sed et animam sororis nostræ nuper defunctæ quæ matertera mea fuit, nostræ quoque Margaretæ animam et familiaris vestri Walberti militis piis orationibus vestris commendo, obsecrans ut et ipse pro eis instanter oretis et bonis hominibus quorum notitiam habetis, sicut de vobis confido, studiose eas commendare non omittatis. Scire etiam vos volo quod nec gravi nec diutina detinear infirmitate; sed Gertrudis de Maguntia, per triennium infirmata, ad tantam devenit infirmitatem, ut omni die de vita ejus desperemus. Thecam de qua ad recondenda corporalia mihi scripsistis, sine gravamine modo in brevi vobis mittam, cum me hoc solum gravet quod eam in præsenti habere non potui. Gratum etenim mihi et dulce est quod pauca et parva munuscula quæ caritati vestræ contuli, ob memoriam mei servare voluistis. Vale in Christo, pater mihi dilectissime, et animam meam, quæ super vos innititur, Deo lucrari contendite.

* *cod.* cui.

EPISTOLA GUIBERTI GEMBLACENSIS AD IDAM, ABBATISSAM BINGENSEM.

(Cfr. supra, pag. 543, 46°.)

1. Dominæ dilectæ Idæ, magistræ virginum in Monte sancti Roberti, secus Binguiam sito, Deo servientium ceterisque omnibus in eadem servitute ei cohærentibus, frater * G[uibertus], sanctitatis earum famulus, de incorruptionis gloria et obedientiæ fructu ante Deum in perpetuum exultare. — Litteras in præterita ad vos quadragesima scriptas hilaris et lætus emisi; sed vestras nuper tristis et incomparabili dolore confectus accepi. In quibus etsi ex denuntiatis tribulationibus quæ vos circumdant et ex insperata morte carissimorum vestrorum, pro communi sorte raptorum, passibilitati obnoxius, concussus est affectus, non tamen vel infirmata vel subruta est fides, quia nihil mihi certius quam quod dicit apostolus: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari super id quod potestis.* Et item: *Novit Dominus pios de tentationibus eripere;* juxta illud: *Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit * eos Dominus.*

* *cod.* sunt.

* *cod.* liberabis.

2. De migrantibus vero non ignoro quin *Beati mortui qui in Domino moriuntur* et quin felices obeant quorum sine crimina vita est, ideoque de labore ad requiem transeant. Nam etsi est inter eos quos obisse denuntiastis, de cujus interim requie propter delicta juventutis suæ in quibus diffluebat et hæret*, mœret animus, de ejus omni salute omnimodis non despero, sed consolationem accipio, eo quod illum in confessione veræ fidei et pœnitudine * commissorum suorum et sacramentis Dominicis munitum decessisse audierim *. De reliquorum autem obitu, quos ob meritum piæ conversationis de morte ad vitam, de mœrore ad gaudium, de miseria ad beatitudinem, de fluctuatione ad stabilitatem, de naufragio ad portum venisse non dubito, jam nec contristor nec doleo; sed potius exulto, quod firmissime credam ego quia *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ.* Sic in animo meo est, sic in vestris esse consulo et cupio; non de his tantnm, sed de quibuslibet dormientibus in Christo, licet amantissimis, licet familiarissimis, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent, sed consolemini in verbis Scripturæ sacræ, exeuntes de mundo * cum signo fidei (hoc est testimonio bonorum operum), eo quod ad requiem vel mox transeant vel cito perveniant, multifarie beatificantis. Non ergo turbemur aut lugeamus, sed oremus pro mortuis, ut a peccatis solvantur; et nosmetipsos, dum licet, ad hoc cum Dei adjutorio præparemus, ut in nostro ab his transitu absoluti inveniamur. Lugeant illi qui præsentem * vitam solam æstimant aut se ad æternam posse pertingere desperant.

* *pro* hærebat *ni redundat.*

* *cod.* plenitudine.

* *cod.* studierim.

* *cod.* mondo.

* *cod.* per præsentem

3. Verum, quia hæc ad excludendum dolorem illum qui se non ratione sed usu tuetur, paucis dicta debent sufficere, audite causam illius immensæ amaritudinis quæ mihi nuper inflicta et incremento menti meæ, quamdiu ratione agar, semper erit nova et usu continua. Quomodo enim quoad vivam potero non dolere, quoties animo occurrerint mala quæ et oculis et auribus hausi, in horrificis et blasphemis clamoribus inimicorum nostrorum, unanimiter adversum nos cogitan-

tium malignitatem, extollentium super nos caput et dicentium : *Venite et disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen eorum ultra,* et testamentum quod contra nos disposuerant, Deo dante facultatem, efficaciter complentium, dum locum nostrum prorsus desolarent, et incenderent sanctuarium Dei et interea polluerent tabernaculum nominis ejus? Quomodo non ingemiscam, audiens et intuens quod facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt, irridentibus nos hostibus nostris, qui exultant in destructione nostra et dicunt : *Dereliquit eos Deus eorum?* Quomodo in corde meo gaudium aliquod resideat, dum quotidie obtutibus meis ingeritur exustio et desolatio matris meæ, Gemblacensis ecclesiæ, quæ me in monachatu genuit, et, ut ita dictum sit, infantiam conversionis meæ molli gremio continuit, fovit sinu, uberibus aluit, protexit alis, ulnis gestavit et in hanc produxit ætatem? Quomodo aliquatenus exultem, cum eam plorantem et lacrimas in maxillis ejus videam, nec esse qui consoletur eam ex omnibus caris ejus, neque ex universis quos peperit et enutrivit quemquam subvenire, ut apprehendat manum ejus, et prostratam conetur erigere? Quid mirum, si lugeam, cum reminiscor quoniam pridem celebrante præclaras festivitates suas in voce jubilationis et confessionis, et dies solemnes constituente in condensis usque ad cornu altaris, nunc inspiciam ipsas ejus vias lugere, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem; et ubi patres nostri laudaverunt Deum, ibi planctus pro cantu audiatur? Immo mirum, si non toties renovetur dolor meus, quoties perpendo mente, ut verbis miserorum in miseria nostra utar, quod sanctificatio ejus desolata sit sicut solitudo, dies festi ejus conversi sint* in luctum, sabbata in opprobrium, honores in nihilum, quodque secundum gloriam ejus multiplicata sit ignominia ejus? Quomodo non in meditatione mea exardescat ignis doloris, cum videam cecidisse coronam capitis nostri, et chorum nostrum versum esse in luctum et clausa ora laudantium Dominum, et os loquentium iniqua super nos dilatatum? Quomodo non amaris singultibus concutiar et alta traham suspiria, considerans quod reppulerit Deus altare suum et facti sint* hostes in capite, cædibusque et * homicidiis non solum atria, sed et penetralia templi Domini contaminaverint? Proinde quis det capiti meo, non aquam, sed aquas multas, ut divisiones aquarum deducant oculi mei? ut lugeam mea propria, lugeam et peccata communia, quibus iram meruimus, propter quæ et Nabuzardan, principi cocorum regis Babyloniæ, data est potestas ut præcipitaret mœnia nostra, destrueret ædificia non solum exteriora in parietibus, sed et interiora in cordibus, mitteretque manum ad omnia desiderabilia nostra, auferens divitiarum superlectilem et virtutum* corrumpens pulchritudinem; lugeam nihilominus revera et corporaliter et spiritualiter interfectos, captivatos et distractos populi mei; et, ut brevi innumera comprehendam, lugeam in destructione abbatiæ nostræ quidquid fere prædixerunt et minati sunt prophetæ super futuro, planxitque Hieremias super facto priori exterminio * Hierusalem et Judeæ, et quidquid lacrimando prædixit Christus super secundo; quorum alterum Babylonii, alterum fecerunt Romani. Quid restat jam, nisi ut deficiat in dolore vita mea et anni mei in gemitibus, super consideratione tantarum miseriarum? Heu! ad quantam calamitatem deducta est vita mea! Pro-

* *cod.* sunt.

* *cod.* sunt.

* *cod. add.* in.

* *cod.* virtum ?

* *cod.* extermino.

posueram requiescere et exultare sub umbra alarum genitricis meæ, dicebamque : *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.* Et ecce avulsus et arefactus ut cremium, succisus et projectus ut sarmentum inutile, cogor mutare locum, sedem quærere et exilium subire compellor. Quod * cum alias pridem migrando bis vel ter fecissem (offensus protervia et tumultu duræ cervicis et inobedientis populi, ambulantisque vias non bonas, id est post desideria cordis sui pravi), quamvis omne solum forti patria sit, tamen quia nescio qua natale solum dulcedine cunctos ducit et immemores non sinit esse sui, et stimulante conscientia et sapientium revocante consilio, ad alvear pristinum et ad genitalem notæ maceriæ cavernam regressus sum, expectans bonum et non venit, *tempus curationis, et ecce turbatio.*

* *cod.* Quo.

4. Et dum essem frater draconum et socius struthionum *, habitaremque cum subversoribus et scorpionibus, sederemque in medio eorum mœrens et suadens ut redirent prævaricatores ad cor, tollerentque jugum Domini super se et discerent mites esse et humiles corde, sequaces ordinis et disciplinæ, sin alias imminere diem ultionis, tempus retributionis instare, Deum justum judicem offensum intendisse arcum, parasse sagittas, gladium vibrare, perditionem minari, intentare judicium : cum hæc, inquam, sæpius vociferans denuntiarem, irridebant, stridebant dentibus et impugnabant me gratis, tota die constituentes prælia et instar serpentum acuentes linguas suas; hi dolose loquentes, hi manifestas ingerentes contumelias. Factum est quod clamitabam, accidit quod verebar, et timor quem timebam evenit. Dum enim gravantur corda nostra in crapula et ebrietate et curis hujus vitæ, repente supervenit laqueus obligationis, quem evadere non potuimus; et foris cecidimus coram inimicis nostris, qui intus corrueramus; et circumdante oppidum exercitu comitis Namurcensis (1) et cunctatim ejus ædificia inflammante (2), qui vitiorum nigredine fuscabamur interius, sparsis usquequaque ignibus, exusti exterius, horrorem nostrum latentem videre et perpendere compulsi sumus. Deinde post dies paucos alio comitis Hainonensis (3) veniente et irrumpente exercitu, fortitudinem murorum perdidimus * qui pulchritudinem morum perdideramus, et universis spoliati sumus facultatibus, qui inermes et nudi eramus virtutibus.

* *cod.* strucionum.

* *vox suppleta.*

5. Cumque corrigere et reprimere nos debuisset prior combustio, quam anno tricesimo vix emenso pertuleramus et terrere * insomnia quæ se crebro ingerebant, fulminum quoque jacula quæ præter solitum hac æstate circumquaque dissiluerant *, nos his nihil moti, ex patientia superni judicis impunitate præsumpta, audacius et liberius quam antea per vitiorum proclivia ferebamur; cuncta cernentis Dei majestatem non verentes, potentiam non expavescentes, contemnentes mansuetudinem, iramque et indignationem provocantes. Proinde improvisa nos repentinæ tempestatis involvit calamitas, et bibere coacti sumus calicem iræ et indignationis ejus, qui ad calicem altaris sacrosancti prorumpebamus indigni; et rectissime iniquitatibus nostris in caput * nostrum respondentibus, in penetralibus

* *scripserat* terrenæ.

* *cod.* dissoluerant.

* *cod.* capud.

(1) Erat is Henricus I, Cæcus cognomine. — (2) De combustione monasterii Gemblacensis cfr. *Mon. Germ.*, Scr. tom. VIII, p. 563, ubi et tempus notatur, annus scilicet 1185. — (3) Erat is Balduinus V.

sanctuarii, in quibus nos sine reverentia agebamus, colaphizati, discussi et spoliati sumus. Quæque roseo cruore Agni benignissimi empta micabat aula, immundo [* *cod.* capitis.] sanguine hominum passim occisorum resperso, peccatis * exigentibus, profanata est. Et regnat ibi modo profundum ac triste silentium, ubi delectabiliter resonare et audiri solebant alternantes chori altissime et dulciter jubilantium.

6. Heu quid dicam? Tantis concussi et attriti necdum malis pavemus vel resipiscimus, necdum anteriora appetimus; sed obliti verbi Domini dicentis : *Memores estote uxoris Loth,* in pœnam nostram post tergum respicimus et favillas Gomorræi incendii libenter intuemur. Necdum corda lavimus a malitia; adhuc in [* *cod.* innoxiæ.] nobis morantur cogitationes noxiæ *. Nemo est qui dicat vel faciat quod ait propheta : *Lavabo inter innocentes manus meas.* Sed adhuc manus nostræ plenæ sunt sanguine. Nemo fateri audet : *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos?* Sed adhuc sordes in pedibus nostris. Heu! heu! mater! caput tuum languidum et cor mœrens. A planta pedis tui usque ad verticem non est in te sanitas. Heu! mater, anathema et in capite et in medio tui, et genimina viperarum et aspidum in ventre tuo. Quare [* *cod.* expugnas.] non eniteris ut expugnes * et excutias eos qui latera tua collidunt, corrodunt viscera et te totam dissipant et excruciantur? Aut, si non potes, quare non clamas ut parturiens? Quare non vociferaris ad sponsum tuum, qui castitatem tuam zelat, ut eruat te ab iniquis et dolosis, et ipse, cujus manu obstetricante eductus est [* *cod.* exturbat. * *cod.* disserpentes.] coluber tortuosus, exturbet * bestias discerpentes * te de utero tuo ?

7. Ignoscite mihi, sorores carissimæ, causam inconsolabilis tristitiæ meæ vobis flebiliter exponenti, et acerbitatem sagittarum districti judicis, quæ militant adversus nos, exaggeranti, et per nostra lamenta vos ad gemitus et suspiria provocanti. Fateor enim quia seduxit me Dominus et seductus sum ; fortior me fuit et [* *cod.* et.] invaluit, ut *, cum mihi bene esset apud vos et optime Turonis, inter fratres majo- [* *in marg.* monasterii. * *cod.* abscintii.] ris ecclesiæ * (ubi in pace et exultatione factus erat locus meus), inscium me reduceret ad sorbendum calicem fellis et absinthii *, revocaret ad tolerandas rixas, improperia et subsannationes et contumaciam rebellium, quorum alii ponunt adversum me mala pro bonis et odium pro dilectione mea, alii cum loquuntur pacem, dolos cogitant, alii impudenti fronte ingerunt blasphemias. Quapropter stimulante indignatione, quæ ut ignis clausa in ossibus meis exæstuat, erumpere gestiens, conceptum mœroris sermonem ultra retinere non valui. Plenus namque sum doloribus, coartat me spiritus uteri mei, et venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit; et deficio, ferre non sustinens. Ideo hactenus in amaritudine animæ meæ locutus sum, ut respirarem paululum et ostenderem non sapientiam, sed miseriam meam.

8. Cujus vobis insinuandæ mihi ista fuit ratio, ut in his quæ fecimus nos et pertulimus, quid appetere, quid evitare et quid pro qualitate actuum expectare debeatis, patenter intelligatis, scientes proculdubio quia religionem professis ordinis transgressio nullatenus impunita donabitur. Obsecro autem humiliter quatinus ejus clementiam, qui juste irascitur et clementer propitiatur, et in tribulatione peccata dimittit, instanter deprecemini, quatinus secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationum multiplicitate lætificare dignetur animam

meam, et, quas in solo proprio habere non possum, saltem in exilio mihi conferre non abnuat, requiem et gratiam. Nam nihil aliud fere meditor, nisi ut iterum fugiam, ut ubicumque providerit Deus sedeam, taceam et requiescam. Valeat semper in Christo, in timore ejus et ordinis observatione perenniter fixa, semper mihi dulcis et venerabilis vestra dilectio. Amen.

EPISTOLA GUIBERTI GEMBLACENSIS AD SIGFRIDUM, ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM. (Cfr. supra, p. 550, 65°.)

1. Magno et præclaro in sacerdotibus Christi et beati Martini in ecclesia Maguntina vicario archipræsuli Sigfrido (1) frater G[uibertus], ex divite duorum cœnobiorum (2) abbate Dei gratia et ex sua voluntate nunc pauper monachus, sanctorum sacerdotum indagare et sequi vestigia, quatinus ad eorum in regno cœlesti pertingere mereatur collegia. — Beatus Paulus, reverende pater, servus Christi et apostolus, ex vase contumeliæ vas honoris et gloriæ, gazophylacium vel arca, magnam partem continens thesaurorum illorum sapientiæ et scientiæ qui in pectore Christi habentur reconditi, hic, inquam, vir humilis et discretus, cum sentiret quosdam fratrum seu discipulorum suorum moveri et causari quod epistolæ ejus impolitæ eis graves esse viderentur et fortes, verens ne per hoc minus libenter audirentur vel prave intelligerentur, non veretur legentibus satisfacere *; nec erubescit fateri, asserens se etiam imperitum esse sermone, sed non scientia. Unde et supplicat sustineri insipientiam suam, seque supportari magis quam redargui. Sanctus quoque Hieronymus inter summos doctores præcipuus, sicut ipse testatur, dum philosophorum auditione propter eloquii venustatem delectaretur, prophetarum vero lectione propter verborum simplicitatem plus offenderetur, et propterea et illis magis intenderet et ista negligeret, raptum in spiritu ad judicium Dei se viderat et ante tribunal ejus vehementer argutum, et tamdiu gravissime cæsum donec fateretur culpam et sacramento firmaret se de cetero nunquam philosophos lecturum et prophetas deinde nullatenus neglecturum. Dimissum a superis et redditum sibi ex verberibus, ut in spiritu acceperat, livores et vibices in corpore suo visibiles a somno evigilans se asserit invenisse. Proinde, reverende pater, quatinus et verbis apostoli commonitus et exemplis Hieronymi coercitus, hortor vos et obsecro nunquam alicujus quamlibet humilis et simplicis verbis seu scriptis, dum pia sint et pura, etsi doceri non indigetis *,

* *cod.* satisficere.

* *ita corr.; prius* indigeatis.

(1) Sigfridus electus est Moguntinensis antistes anno 1200; vita vero functus est 9 septembris 1230. Will, *Regesta archiepiscoporum Maguntinensium*, tom. II, p. 121. Erratum est ergo in opere inscripto *Biographie Nationale*, tom. VIII, p. 411, ubi sic legimus : „ Sifrid qui fut plus tard archevêque de Mayence (de 1183 à 1200). „ Ibi etiam pro *Alexandre III* lege *Innocent III*. — (2) Petrus, abbas Florinensis, subscripsit chartæ pro monasterio Bonæ Spei anno 1196 (*Gallia Christ.*, tom. III, p. 978). Subscripsit eidem chartæ Guibertus noster, ut abbas Gemblacensis (ibid., p. 561).

(* sic.) saltem moneri non * abnuatis. Et quia non est homo sine somno, ne aliquo somni, id est peccati, torpore gravemini, quo semper vigil reddamini, etiam quasi quadam manu pulsari et, ut ita dicam, vellicari non refugiatis. Nec enim humilium et simplicium monita despicienda sunt, cum Deus ipse talium et conversatione et devotione delectetur et propitietur, sicut scriptum est : *Deus cum mitibus graditur et cum simplicibus sermocinatio ejus.* Quis ergo sanum sapiens eorum despiciat consilia, cum quibus sermocinatur Deus et quibus revelat secreta sua? Maxime autem verborum seu scriptorum quorum auctor estis, lector libens vel auditor esse debetis, et quæ nullius causa quæstus aut adulationis, sed solius puræ dilectionis gratia proferuntur. Propterea, ut prædictis apostoli verbis adhuc utar, modicum quid sustinendo insipientiam meam, supportate me, quia ut vobis scriberem et scribendo insipiens fierem vos coegistis; et ideo non pro præsumptione redarguendus sum, sed pro devotione et merito obedientiæ suscipiendus.

2. Sed quia quibusdam, et maxime occupatis, parva præteritorum memoria, forte et vos eorum quæ dico immemor, quæritis quando vel ubi ad hanc scribendi me vobis insipientiam coegeritis? Rememoramini pristinos dies, in quibus magnum certamen sustinuistis tribulationum, et me non somniare ista dicendo cognoscetis. Cum enim persecutiones, quas pro veritatis defensione et pro tuendo sanctæ Ecclesiæ jure multas pertulistis, declinando, ad Villariensem abbatiam venissetis, et me ibi invenissetis, cum per monachos me aliquando Turonis ex devotione sepulcrum beati Martini patroni vestri visitasse et quædam læta et præclara de ipso miracula, quæ in regione hac non haberentur, mecum attulisse percepissetis, ferventer et instanter quæsistis quænam illa essent. Respondi vobis me (si bene memini) attulisse historiam a sancto Odone, primo Cluniacensium abbate, ad Fulconem, religiosum et illustrissimum Andegavorum comitem, luculentissime conscriptam : quomodo videlicet sacratissimum ejus, id est beatissimi Martini, corpus propter Normannos, cum adhuc pagani essent, incursantes et destruentes oppida et civitates Franciæ, in Burgundiam (ad honorifice tuendum) a monachis, clericis et civibus Turonicis dolenter quidem sed gloriose delatum sit, quantoque tempore ibi detentum et quomodo Turonis relatum; quantisque et eotenus mundo inauditis miraculorum signis in eundo et redeundo et illic morando floruerit.

3. Retuli etiam me et alia plurima ejusdem patroni magnalia in diversis historiis et chronicis reperta ibi et excerpta a me mecum deportasse, sed eatenus disjuncta (sicut ea passim excerpseram) manere; sed velle me, juvante Domino, cum otii opportunitas se offerret, in corpus unum, quo possem stilo, compingere; quoniam, si compacta essent et ordinata, utile ac gratum de his posset confici lecturis opusculum. Cumque ista intentissime auscultaretis, diligentia benignitatis vestræ inquisivit utrum exemplar historiæ illius in promptu haberem, quatinus eam aut legere aut audire possetis. Cumque respondissem me illam in præsenti non habere, eo quod per diversa ad transcribendum loca raperetur, jamque Leodii, Coloniæ et Treveris in ecclesiis ipsius sancti Martini transcripta haberetur, rogastis ut quidquid de ea memoriter tenerem, vobis latine (quia romane non intelligeretis) referrem. Annui, retuli : et vos, ad singula suspensus et præ admiratione gestorum exhilaratus, peti-

stis et in remissionem * peccatorum injunxistis quatinus, cum mihi vacaret, et illa tum adhuc dispersa de quibus locutus fueram, miracula cultiori quam possem compaginatione connecterem, vobisque non nisi copulata cum prædicta historia opportunitate nacta transmitterem, vel (quod vobis optatius esset) per me ipsum deferrem. Annui et hoc libens et gratulabundus, non ignarus magno mihi constare fructu favoris vestri et gratiæ et honoris ad posteros, si hæc decenti competentia perficere prævalerem; annui, inquam, sed necdum quod spoponderam plene executus sum (ut culpam fatear), et negligentiæ inertia faciente et pressuris tribulationum quæ me et ante et post graviter afflixerunt, adeo ut tæderet animam meam vitæ meæ officioque regiminis renuntiarem et locum etiam mutarem. Sed, quia quomodo ad notitiam vestræ beatitudinis pervenerim et de his quæ in præfato Villariensi monasterio diximus et contulimus, in epistola quam vobis et domno Philippo, Razburgensi (1) episcopo, scripsi, satis dictum est, jam ad propositum censeo recurrendum.

* *cod.* remissione.

4. Unum tamen, antequam cœpta repetam, insperatum sedulæ benignitatis obsequium, a canonicis ecclesiæ vestræ immerito mihi impensum, nullatenus patior præteriri. Veni enim Moguntiam consolandus a vobis et vos pro posse vel scire meo in tribulationibus, quæ vos nimis invenerant, consolaturus. Veni, ut dixi, quæsivi vos, sed non inveni; et mœstus de absentia vestra sed mœstior redditus sum super eo quod nihil certi de reditu vestro audirem, et magis pro eo quod ad peragenda dignitatis vestræ obsequia et ad curandas oves vestras, quæ sine tutore in immensum periclitabantur, non liceret vobis quietum et securum in sede vestra esse. Accedebat tamen inter hæc mœsta aliquid consolationis, quod, etsi non omnis, plurima pars clericorum et civium speraret et cuperet et affirmaret vos cum pace et cum gloria et honore non longo * post rediturum, et adjutorio Dei per intercessionem beati Martini de persecutoribus vestris in brevi ultionem habiturum. Nec expectantes futura de vobis spes ista delusit. Nam et cum gratia et benedictione domni papæ et majori provectu quam speraretur gloriosus reversus estis; et, ultione accepta de impugnantibus, victor triumphum obtinuistis. Insuper de alterius immanissimi hostis, fortiter ei resistendo, coercita ejus ferocitate, magnam usquequaque laudem conquisistis. Cum autem (ut prædixi) Moguntiam venissem *, licet vos non invenerim, præveniente expetiti suffragio patroni, multam et prorsus insperatam apud præpositum, decanum, cantorem et totum canonicorum sacrum collegium gratiam inveni. Interrogante autem me cujus sancti in tam celebri ecclesia fruerentur patrocinio (quærebam vero hoc ex industria; sciebam enim ab olim, sed habere volebam materiam vel occasionem inde loquendi), responderunt gratulatorie eamdem sub honore beati Martini Deo dicatam esse ecclesiam ejusque, frequenti probante experientia, in necessitatibus suis et muniri suffragiis et attolli beneficiis. Quo audito, congratulatus plurimum nec gaudium

* *sic.*

* *vox suppleta.*

(1) Philippus nempe factus est anno 1204 episcopus *Ratzeburgensis* (non *Salzburgensis*, quod legitur in *Biographie Nationale*, tom. VIII, v° GUIBERTUS). Cfr. Gams, *Series episcoporum*, p. 304.

meum dissimulans, illico, non inquisitus, retuli me ad poscenda ejusdem piissimi patroni suffragia sepulcrum * Turonis jam secundo expetisse multaque et magna, quæ in hac non invenerentur regione, de illo miracula illic reperta et transcripta mecum attulisse. Cumque (sicut de vobis supra dixi) magno fervore instarent ut, si qua ex his ibi haberem, sine dilatione desiderantibus proferrem; quæ si non adessent, saltem illa quæ memoriter tenerem, latine referrem, libentissime et ob honorem patroni et ob eorum devotionem obediens, totam ex ordine præfatæ historiæ seriem et alia plurima, lætissimam eorum non defraudans expectationem, decurrente sine impedimento sermone latino, enarravi. Considerans itaque eos præ admiratione dictorum stupentes, audens aliquid et de benivolentia eorum præsumens, dixi quoniam joculatores et mimi cantiones suas, licet de rebus vanis, frustra expedire nolunt, non injustum neque ineptum censeri, si ego quoque pro sermone tam prolixo et de tantis et tam jocundis patroni sui miraculis habito aliquid retributionis exigerem. Cumque alacriter quid præmii vellem inquirerent, ego pro bona et prompta voluntate ipsorum jam securus de præmio, dixi ne de quantitate petendi muneris terrerentur, quoniam nil peterem terrenum, sed tantum id quod et Deo placeret et eos prorsus præbere non pigeret : videlicet participium omnium spiritualium bonorum quæ in eleemosynis et orationibus ubivis fierent ab eis. Quo audito, promptissime et alacriter annuerunt, et, levissimum sermonis mei laborem ditissimæ mercedis fœnore remunerantes, non solum eorum quæ in sua, sed et omnium beneficiorum, quæ in cunctis totius civitatis ecclesiis fiunt, multiplicatis intercessionum suffragiis, participem fecerunt.

* *supple* ejus.

5. Nec isto contenti quod ad animæ salutem pertinet, de quo Dominus dicit : *Primum quærite regnum Dei, et omnia adjicientur vobis*, ipsa etiam, id est necessaria corporis, addere festinantes, plurimi eorum larga benivolentia instantissime rogabant ut apud eos perenniter commorarer, necessaria corporis affluenter se mihi provisuros et in magno honore me secum habituros pollicentes : et in hoc exemplum Mariani Scothi, reverentissimi viri, mihi proponentes, qui ab extremis terræ finibus illo adveniens in magna apud eos gloria fuit, et, bono fine consummatus, etiam in majori ecclesia sepeliri meruerit. Sed, cum id eis sine licentia prælatorum et fratrum meorum annuere non auderem, petierunt ut, si quidquam ab eis (quod juste peterem, tanquam jam meis) mihi de cetero negari nollem, ego quoque, eo quod pro suo me computarent, id quod in instanti peterent nullatenus eis negarem. Annui, fateor, et libens et invitus : libens propter instantiam et benivolentiam ipsorum, invitus propter asperitatem hyemis, quæ tunc nimbosa et glacialis imminens horrorem mihi non minimum ingerebat, et propter longitudinem difficillimi et periculosi (utpote montuosi et nivibus obnoxii) itineris, per quod me indeclinabiliter repatriare oportebat. Inquisivi tamen, quid eis tantum instantibus placeret. *Volumus et obsecramus*, inquiunt, *ut, si (quemadmodum dicitis) beatum Martinum diligitis, quem et nos revera, ut patronum et tutorem nostrum, diligimus et honorare tenemur, volumus, inquam, ut venturam sequenti die dominica reverendi ejus toti mundo transitus nobis solemnitatem celebretis, quoniam et domnus archiepiscopus, ob infestationem Philippi regis Romæ commorans, absens est, et*

huic Luithpoldo intruso et titubanti, quem et rex vi sua defensat et papa condemnat, communicare nec volumus nec audemus. Quid plura? Vellem nollem, fateor, oportuit me facere quod et caritas imperabat et extorquebat necessitas. Itaque prævium habens eum qui dicit : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me,* parui et remansi; et per dies fere duodecim cum multa jocunditate et omni necessariorum affluentia, tanquam unus ex eis versatus sum, cum eis in cœnobio Sancti Jacobi, abbate loci illius nobili viro pio favore mihi obsequente, pernoctans : nihil omnino gaudium exultationis meæ interpolante, nisi hoc solo, quod neque vos neque nepotem vestrum, carissimum filiolum meum, Warnerum de Borlandia, quem eo tempore, quo Binguiæ cum domna Hildegarde commoratus sum, baptizavi et de sacro fonte suscepi, neque videre nec colloqui vobis potui.

6. Ita tandem, cum sobria cordis lætitia et quanta potui mentis devotione diebus octo celebrata solemnitate, laboriose quidem sed non sine cupiti fructus adeptione restitutus sum loco meo, unde exieram : tribus videlicet spectabilibus et magni nominis viris, amicis meis, Walbertho scilicet, Binguensi advocato, filiolo æque meo, domno quoque Godefrido, abbate Sancti Eucharii, sed et domno Guillelmo, abbate Sancti Huberti, suo me conductu et sumptu ad propria libenter reducentibus. Quorum animas, prædictorum videlicet duorum abbatum, quia jam jubente Deo rebus humanis excesserunt (1), inter suos computare et agnoscere dignetur ipse Deus, faciatque eos, beatæ semper Virginis et omnium sanctorum supplicatione placatus, interim cum animabus justis requiescere et in fine mundi cum sanctis in parte dextera coronandos resurgere. Tertium vero, id est advocatum, adhuc cum mundo decernentem, tam caute et fortiter stadium vitæ hujus idem ipse Deus juvet percurrere ut bravium supernæ mercedis mereatur. Nunc recurrens ad propositum ... (*Incipit adhortatio ad rectam gubernationem*) ...

7. Ne vero mei quoque circa exercitationem studii vestri sollicitudo desit obsequii, legite etiam nunc, si placet, illum quoque libellum, quem, cum volueritis, si præ manibus habuero, vobis transmittam, quem (sicut in prima duarum epistolarum dixi) ad domnum Philippum, piæ memoriæ, Coloniensem archiepiscopum, rythmice dudum conscripsi, hominem formosum pictor deformis optimis coloribus in eo depingens. Enimvero, ad admirationem signorum, quibus præ multis sanctis claruit, et ad venerationem sanctitatis, qua excellentissime floruit, ad imitationem quoque viarum et rectissimæ conversationis beatissimi Martini magnopere cupiens illum provocare, præmisso brevi miraculorum ejus catalogo, de virtute et constantia animi ejus quædam adjunxi * et de pontificali habitu, quo in interiori homine * (q. a.) *voces suppletæ.*
nihilominus * perornatus est, latius ostendens eum omnibus fere, qui ab initio Ecclesiæ usque ad ipsum fuerunt sanctis, instar agri fertilissimi et prati omnigeno * *cod.* nullus minus.

(1) Gulielmi abbatis obitus refertur in annum 1212 (apud De Robaulx, *Chronique de Saint Hubert*, p. 172); Godefridi vero in annum 1210 (apud Marx, *Geschichte des Erzstifts Trier*, part. II, tom. I, p. 165). Si hæc veritati conveniant, verum esse nequit quod de Guiberto dicitur in Chronico ms. Gemblacensi (cfr. *Gallia Christ.*, tom. cit., p. 561) et passim inde recentius et nuperrime in opere *Biographie Nationale*, v° Guibertus, eum scilicet mortem obiisse anno 1208.

flore perornati, Deo incrementa frugum justitiæ ejus dante, locupletiorem et florulentiorem extitisse.

** cod.* aliam. **8.** Cui scilicet libello et alium * de veneratoribus ejusdem beati Martini (ad eumdem episcopum scribens) adjeci, insinuare legentibus vel audientibus ista volens, quanta dilectione et reverentia antiqui eumdem ipsum sanctum Dei confessorem excoluerint : hi scilicet qui tam multiplices per totum longe et late mundum ecclesias sub ejus honore et nomine extruxerunt, nihilominus et illi qui de ejus vita vel conversatione atque miraculis tot volumina conscripserunt, ut de nullo alio quolibet sancto tanta reperiantur scripta neque tot habeantur ecclesiæ seu monasteria, præter solam Dei genitricem Mariam et apostolorum principem, Petrum, cœli clavigerum. In quo scilicet opusculo etiam illud manifestis declaratur et comprobatur exemplis, aliorum sanctorum neminem in omni opportunitate promptius, alacrius, uberius, liberalius suis suffragari veneratoribus quam ipsum Martinum, alios ab angustiis et periculis incurrentibus liberando, aliis * in diversis necessitatibus subveniendo, alios in aliquo honorantes eum plerumque ad honores summos provehendo et, ut majora dicam, innumeras defunctorum ei, dum viverent, devotorum animas a pœnis purgatoriis eruendo. Exempli loquor gratia. Recolo me magnum quid aliquando legisse de eo : cuidam scilicet sancto viro, solitariam ducenti vitam, divinitus fuisse revelatum ipsum sanctum Martinum in una festivitatis suæ die tot de pœnis purgatoriis defunctorum animas intercessione sua liberasse quot utriusque sexus homines ad eamdem festivitatem orandi causa contigerat accessisse. Quid umquam tale de aliquo sanctorum auditum vel lectum est? Multa proculdubio his similia tam in infirmorum curatione, quam in mortuorum suscitatione miraculorum insignia, dum in corpore viveret, illum fecisse certum est ; sed plura et majora tam in diversarum restitutione sanitatum (quas in viventibus hic cum vult et ubi vult adhuc operatur) quam in animarum quæ pro peccatis suis diris ignium suppliciis decoquuntur ereptione eum sæpius facere incertum non habebit, nec me adulari sed verum dicere comprobabit, quisquis eorum * quæ de his scripta reperiuntur, sedulus perscrutator extiterit ...

** cod.* alios. (ad lin. "Martinum, alios ab angustiis ... aliis *")

** cod.* ea. (ad lin. "eorum * quæ de his scripta")

** sic.* **9.** Quia enim non simplex episcopus, sed ut metropolitanus locuplex * ex dominatione Moguntiæ xv^{cim} episcopis cum omnibus ad eos pertinentibus præsidetis, eo majori sollicitudine et diligentia, quo pluribus præestis, abundare vos oportet ...

EPISTOLA GUIBERTI GEMBLACENSIS AD SIGFRIDUM, ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM, ET PHILIPPUM, EPISCOPUM RATZEBURGENSEM.

(Cfr. supra, pag. 550, 69°.)

1. Sanctis patribus et apostolicis sacerdotibus dominisque amantissimis, Sigfrido (1), Dei gratia Moguntino archiepiscopo, et Philippo (2), Razeburgensi pontifici, frater G[uibertus], servorum Dei minimus, omnimodum quod a minimo

(1) Vide hic paulo superius, initio epistolæ præcedentis. — (2) Vide eamdem epistolam, circa medium.

maximis exhiberi potest obsequium et sinceræ dilectionis indiscretum et æquale ambobus affectum. — Gaudeo, reverendi præsides, et plurimum glorior quod (ut credo) disponente Deo, ad notitiam celsitudinis vestræ exiguitatis meæ tantillitas attigerit, magni hoc ipsum mihi occasionem profectus fore spe non incerta præsumens. Si enim estis quod esse debetis, id est olivæ fructiferæ, candelabra lucentia, stellæ sive angeli ecclesiarum, sacerdotes Dei, pastores ovium, mediatores Christi et plebium, quidni sperem ab olivis oleum consolationis, a lucernis splendorem et fervorem exempli salutaris, a stellis, ne quasi in nocte periculosæ hujus vitæ deviem, ostensionem recti itineris, ab angelis contra malignos spiritus munimen defensionis, a sacerdotibus seu mediatoribus munia sanctificationis vel reconciliationis, a pastoribus sollicitudinem spiritualis curæ et alimenta internæ refectionis? Propterea dixi, et merito dixi, me de adeptione sanctæ et jocundæ familiaritatis vestræ non modice lætari, quorum patrociniis in tantis quæ dixi, immo in pluribus quam dixerim, spero et expecto juvari. Quis enim tam vecors sit, qui non se talium vehementer gaudeat notitiam acquirere, quorum consiliis et beneficiis in corpore et anima non mediocriter, si velit, possit proficere? At, quoniam alter vestrum et honore superior divitiisque et * facultatibus est cumulatior, non putet me tam ineptum ut, propter disparem exteriorum affluentiam rerum, dispari eum amoris complectar affectione, cum ab utroque æquali me credam redamari dilectione.

** vox suppleta.*

2. Ne autem ob altitudinem cordis et interiorum elationem oculorum ambulare me velle in magnis et in mirabilibus super me quisquam autumet, et ideo juxta illud : *Principibus placuisse viris non ultima laus est,* ad vestræ sublimitatis notitiam turgida me ambitione vel ex appetitu inanis gloriæ vel pro adipiscendis quibuslibet temporalibus emolumentis aspirasse falso contendat, ad removendum pravæ suspicionis scrupulum, quam sincere et qua occasione nobis invicem innotuerimus, non vobis, qui scitis, sed ignorantibus, ne detrahendo mihi peccent, paucis aperiam. Cisternulam enim quam aperuisse videor, ex præcepto legis teneor operire, ne jumentum aliquod, malitiosæ detractionis fumo cæcatum, in eam corruens lædatur aut extinguatur, et mortis ejus pretium compellar exsolvere. Cum nuper in claustro Villariensi, mihi gratissimo et familiari, versarer et * vos, domine archipræsul Moguntine, aliquamdiu illuc quadam compulsus necessitate moraturus advenissetis, ea qua dignum erat a fratribus benignitatis humanitate et humilitate susceptus, inter eos non dominationis sed ædificationis et religionis exempla præbendo, modestissime vos habuistis.

** vox suppleta.*

3. Viso autem me tam indifferenter cum eis conversari, miratus subtiliter inquisistis quis et unde essem; et comperto relatione fratrum me duarum ecclesiarum abbatem fuisse, sed propter occupationum molestias et improborum insectationes quas ferre non poteram gratia quietioris conversationis renitente episcopo voluntarie missionem vix tandem impetrasse, quatinus mihi vacarem et Deo, et post tantas amaritudines quas in executione prælationis ebiberam in extremo saltem vitæ gustarem quam suavis est Dominus : his auditis, respondistis id vobis non placere, cum utilius videretur, Christum imitando ejusque laboribus et passionibus communicando, qui tanta pro salute nostra fecit et pertulit, secundum illud : *Dei*

adjutores sumus, in salvandis animabus fructuose et laudabiliter seipsum quemlibet potius exercere, quam velut feriatas actitando nundinas segniterque et otiose vivendo soli sibi intendere : quam vero excusationem super his ego possem obtendere, qui scirem quia de acceptis talentis rationem districto judici me oporteret reddere, nec ignorarem quod, cui plus committitur, plus ab eo exigitur, quodque secundum quantitatem laboris unicuique libra rependetur mercedis? Adjecistis increpando etiam hæc : *Quis umquam animarum pastor, si non pudet* (* *cod.* invadendis.) *eum mercenarii elogii denotari, oves curæ suæ commissas lupis invadendas* deserat, nisi forte adeo sint scabiosæ et morbidæ, ut jam de recuperatione salutis earum nulla spes certa suppetat? Quis item valens medicus, si non timet sibi homicidæ et nomen et crimen imputari, ægros et male habentes arti vel fidei suæ creditos aliquando incuratos relinquat, nisi aut morbus sit incurabilis, aut ipsi febrientes adeo* (* *cod.* apti.) *amentes et phrenesi acti * videantur, ut non solum sibi opem adhiberi non permittant, sed et ipsum curatorem suum contumeliis afficientes, instar ferarum calcitrantium a se repellant? Quis etiam agricola, nisi piger et damni magis quam lucri avidior, terram incultam dimittat, nisi non respondentem laboribus impensis, et qualem detestatur apostolus dicens : " Terra imbrem supervenientem sæpius e cœlo suscipiens et non referens fructum, sed proferens spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima; cujus finis erit in combustionem.* „ Hujusmodi verbis et exemplis, cum necdum vobis rerum veritas claruisset, quasi suggillando me, benigne instruxistis et, velut operarium pusillanimem cœpta ad finem certum non perducentem militemque projectis * armis de bello timide fugientem redarguistis. (**cod.* pietatis.) Quid ad hoc responderem ego, qui omnia quæ hinc dici possent, sciri nollem? Quid nisi confusus erubescerem? Quo me verterem? Quo nisi ad asylum conscientiæ meæ refugiens, interno ejus testimonio innocentiam meam consolarer et defenderem?

4. Sed usu vel ausu familiaritatis deinceps crescente, cum quidam e fratribus qui pro vicinitate humilem quidem et laboriosam sed infructuosam prælationis meæ seriem et cessionis meæ causas noverant, auditis objectionibus vestris, me excusantes, rerum vobis veritatem insinuassent, id effecerunt ut vos miraremini, et hoc in me probaretis quod prius redargueratis, diceretisque jam vobis mirum non videri quod cessissem, sed mirum et fortissimum fuisse quod tamdiu perstitissem. Deinceps vero, ut pius imitator ejus cujus estis discipulus, Christi, dicentis : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde,* et non surdus viri Sapientis auditor, qui ait : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus,* cum illo nobili more vestro humillime vos inter fratres ageretis, me post abbatem domus, non meo merito, sed dignatione vestra, summo honore ac si parem vel potius patrem præcoluistis, non immemor verbi illius : *Coram cano capite consurge,* et in omni fere consessu primum sæpius quam secundum locum, licet obnitenti, cessistis.

5. Cum autem et binomium me esse percepissetis (siquidem Guibertum Martinum vocari creberrime audiebatis), sollerter unde mihi et hoc inquirere studuistis. Responsum est ab his qui noverant, ab ineunte ætate mihi cognomen hoc Martini impositum, eo quod beatum Martinum præcipua semper devotione excoluissem, adeo ut ei in Gemblacensi cœnobio eleganti structura oratorium ædificas-

sem (1) et multa de ipso tam prosa quam rythmo conscripsissem. Quibus auditis, non modice exhilaratus estis*, pro eo vel maxime quod et vos summus Dei et ipsius in ecclesia Moguntina, quæ ejus nomini specialiter * dicata est, vicarius habeamini plurimumque de beneficiis ejus et precibus meritisque vobis indultis gloriemini: accitoque me, vigilanter exegistis si præter illam ipsius Vitam toti orbi notissimam aliqua de eo scripta nossem vel haberem. Erat forte tunc ibi libellus quem de ejus gestis, quædam recapitulans et addens nonnulla undecumque collecta, in modum panegerici ad consortem gratiæ et honoris vestri, domnum scilicet Philippum, Coloniensem archiepiscopum, dudum scripseram. Petistis illum vobis protinus exhiberi, legistis quantum placuit; et, puto, instinctu ejusdem lectionis incitatus, præcepistis per obedientiam, immo in remissionem peccatorum injunxistis, quatinus, si qua nossem vel haberem adhuc disjecta et nulli delegata, dum liceret, in unum recompingendo decentiori quam possem compaginatione astringerem, et vobis specialiter ex tituli inscriptione dicarem. Annui statim instanti, libens et gratulabundus, non quia ad id exequendum præ sensus hebitudine sufficiens sim et idoneus, promisique me non quod vellem sed quod possem efficere, eo quod tanti sacerdotis præcepto criminosum putarem obviare, præsertim cum in ampliando honorem communis patroni vota vestra meis viderem concurrere. Et quoniam, ut vulgo dicitur, animo volenti nihil satis festinatur, nec indiget equus impetuosus flagello aut calcari, ex me (cum id non exigeretis) adjeci promittere opus ipsum, quando annuente Deo terminatum esset, per me potius quam per missaticum vobis curarem exhibere * : et tunc primum, si probaretis, ederetur; si non, aboleretur.

* *vox suppleta.*
* *cod.* spiritualiter.
* *cod.* exibere *et sic deinceps.*

6. Nostra quoque, præsul reverentissime Razeburgensis, Philippe, familiaritas seu notitia non * spe quæstus aut commodi cujuslibet, non adulationis vel elationis causa, sed devotionis et religionis gratia, tali occasione sincerissime contracta est. Cum ad dedicandum prædictum oratorium quod adhuc abbas sub honore beati Martini construxeram a successore meo invitatus fuissetis et ex auctoritate Leodiensis episcopi qui in diocesi sua in quibusdam vices suas vobis commiserat, Gemblaum venissetis, ego Florinis hoc comperto, cupiens ejusdem dedicationis interesse lætitiæ, illo celerrime tetendi, afferens reliquias ipsius B. Martini et sanctorum Johannis Baptistæ et Laurentii martyris, altari sacrando imponendas, gaudensque et exultans et Deo præcordiales gratias agens, qui et in hoc desiderium meum implet, quia plantationem meam vivens adhuc præter spem a viro religioso et bonæ opinionis viderem consecrari. Inveni vos ibi, salutavi humiliter, suggessi humanitati* vestræ quæcumque de oratorio dicando cordi meo insederant. Acceptastis hilariter non solum salutationem meam sed suggestionem de serie dedicationis, et sic ex ordine universa quæ volebam sine retractatione obedienter peregistis ac si ego, quem nunquam antea videras *, notissimus et magni impensa servitii longo vobis tempore obæratus fuissem. Cumque, adimpletis decenter omnibus,

* *cod.* ne.
* *cod.* humilitati.
* *cod.* videram.

(1) Facta est dedicatio hujus oratorii anno 1205, III Id. Aprilis (*Gallia Christ.*, tom. III, p. 562). Cfr. supra, p. 539, epistolam Guiberti ad Joffridum.

recedentem deducendo prosequerer, nesciens utrum vobis amplius colloquerer, quantum in ipso itinere licuit, vobis (quem virum consilii audieram et organum Spiritus sancti jam sentiebam) cor meum reserans, de quibusdam arcanis prudentiam vestram consului, et accepta licentia et benedictione gratias referens cum laboris mei mercede instructior redii. Post hæc Florinas regressus, cum vos, quamdiu in vicinia illa ecclesiæ dedicandæ occurrerent, mansionem ibidem delegisse comperissem (siquidem hoc ipse vobis propter honestatem et quietem loci consulueram), gavisum sum super hoc vehementer, sperans nec frustra exinde copiam potiundæ familiaritatis vestræ et conferendi vobiscum de quibus vellem me adepturum.

7. Ubi, diligentius considerata qualitate devotionis vestræ, intuentes non mediocriter ædificastis, dum hilari et melliflua verborum dulcedine audientes instrueretis, et imitari volentes perspicuo venerabilium exemplorum lumine viam rectæ et Deo placitæ conversationis ostenderetis : vigilando scilicet, orando, legendo, psalmodiæ insistendo, lanea tantum veste ad nudum utendo, jejunando tam pertinaciter et indefesse ut in nullo fere die præter dominicam, et hoc sine pinguedine, cibum iteraretis. In quibus sane paucis imitationi, sed omnibus admirationi eratis. Tunc etiam, quia similis similem quærit, cum de imitatione vestra (sed in hoc deceptus) nonnihil me habere putaretis, de cetero inter alios fratres (quibus magnæ dilectionis exhibebatis officia) non ultimo me loco habuistis, et sicut ego vos in meum ita et vos me in cor vestrum traxistis. Et, igne caritatis conflante, liquefactum est utrumque, et duo redacta sunt in unum. Nec incredibile, cum de pluribus scriptum sit : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Itidemque cum, ex cognomine, æquivocum beati Martini et, si non actu, tamen pedissequum ejus me esse percepissetis, fortiori me vobis dilectionis vinculo astrinxistis *. Et cum ab ecclesiis quas sacraveratis reverteremini, pro excitanda mihi lætitia ludibundus jocunde dicebatis : *In fide Christi, pro miraculo mihi est, quod omnes fere ecclesiæ hujus terræ Martini vestri censentur nomine, adeo ut, cum ad aliquam dedicandam invitor, jam non curem quærere cui sancto attitulanda sit, putans quod non alii quam Martino vestro.*

* *cod.* astrixistis.

8. Deinde etiam, lectis quibusdam quæ de ipso mecum habebam, non joco sed serio rogastis et multum institistis, immo sicut domnus Moguntinus per obedientiam mihi præcepistis, quatinus disgregata illa de quibus supra tetigi in volumen unum redigerem, et ad honorem Dei et gloriam confessoris, profectumque legere volentibus diffundi permitterem. Propter quæ tria, licet impar, alacriter suscepi jussionis vestræ imperium; et ecce, paratus obedire, orationis vestræ expeto simul et expecto suffragium, nihilominus et hoc vobis notificans : ideo me potissimum ad vos, scilicet duos magnates, scribere, quatinus auctoritate vestra ipsum et diffundatur latius et firmius credatur opusculum et nobis (id est et scribenti et scribere compellentibus) ex augmento notitiæ ejus et ex profectu legentium aliquid largiente Deo provisum necessariæ consolationis in animabus et corporibus augmentetur subsidium.

9. Nunc te conveniens, stulte et improbe obtrectator, dic obsecro, quare ela-

tionis vel jactantiæ me notas, eo quod dixi me talium personarum emeruisse familiaritatem, notitiam acquisisse, cum potius laudi et industriæ debeat imputari tantorum virorum inhærere vestigiis, jungi consortiis, consiliis dirigi et informari exemplis? Si autem de spe quæstus et ambitione commodi alicujus causaris, quid quærerem, quid sperarem a spoliatis, a nudis, ab exulibus, qui, causa non noxæ sed justitiæ, propter discidium imperii, a sedibus suis expulsi, peregrinantes et circueuntes, nisi eis ab aliis episcopis vel abbatibus seu quibuslibet divitibus consuleretur, non habebant ubi pedes figerent, ubi capita reclinarent? Quid ergo, inepte, falso mihi crimen ambitionis inuris, quasi causa expilationis his notificari cupiam a quibus interim non exigendum esset sed tribuendum.

10. Vos autem, reverendi patres, qui ista ob conservandam innocentiam perfertis, nolite amittere confidentiam vestram ... roboramini spe, dilatamini caritate ... si quid autem, ut ait Petrus, propter justitiam patimini, omnino beati. At si in exaltatione vestra in aliquo gloriabamini (quod in sublimitate positis pronum est et fere inevitabile), verbi gratia, ut si gaudebatis ad fulgorem solis et lunam clare incedentem inspiciebatis vel osculabamini manus vestras (quorum nihil sine peccato est) et ideo ad tempus humiliavit vos qui in electis suis rubiginis nil vult inveniri, ferte non solum patienter sed et glorianter, et humiliamini sub potenti manu Domini, quatinus obtentu humilitatis, ut sic dicam, reexaltet vos in tempore visitationis. Ferte cum gratiarum actione interim nubilum tribulationis, quatinus is qui, cum vult, facit de tenebris lucem splendescere, qui dicit *his qui vincti sunt : Exite et his qui in tenebris : Revelamini*, faciat etiam ut dupla lux prosperitatis vobis oriatur in tenebris sintque tenebræ vestræ sicut meridies, detque vobis de mœrore gaudium et a labore requiem, et impleat splendoribus animas vestras et *exitus matutini et vesperæ* vobis delectabiles reddat. Si enim, juxta sententiam Domini, possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, et secundum Prudentium :

Virtus invalida est quam non patientia firmat :

proculdubio patientia vobis valde necessaria est, ne et animæ vestræ periclitentur et virtutum status vobis infirmetur, nullamque adeo expectetis consolationem. Propterea patientes estote, quoniam, si patientia pauperum non peribit in finem, sed probata et hic merito clarificatur et in futuro sublimatur, quanto minus divitum et sublimium patientia non peribit: quorum aliqui suas, si vellent, possent ulcisci injurias? Ideoque eorum patientia eo gloriosior quo rarior, dum et pauperibus in tenuitate sua amica est mansuetudo et potentibus sive divitibus in altitudine vel copia sua familiaris elatio. Quam quidam comprimendo triumphantes, hic inter homines (qui visa notant et prædicant) claro meruerunt famæ attolli præconio, et a Deo, justo judice, qui merita ponderat in cœlis, amplissimæ mercedis remunerari * præmio. Unde et vos, si permittente Deo (qui quos amat, flagellans et exercens, castigat) supra dorsum patientiæ vestræ fabricant peccatores, scitote intelligentes quoniam sibi quidem pœnam et dolorem, vobis vero fabricant coronam et honorem suasque quibus irretiantur et capiantur instar restium prolongant iniquitates; et e diverso, dum vos injuste vexant, vestras (quibus ex toto non

* *cod.* remuneri.

caretis, nescientes et inviti), purgando vos, abstergunt offensiones : sicque fit ut, quibus illi justo judicio ligantur, vos a peccatorum vinculis absolvamini. Propterea si aliquas, ut dixi, ab iniquis et discolis regibus patimini injurias, (quia *Nemo mundus a sorde)* reputantes a Deo examinari, gratanter ut sapientes filii suscipite increpationes patris, ne murmurantibus indignetur, sed, in omni rerum eventu gaudentes, vos consoletur et quasi in filiis obsequentibus sibi complaceat. Erudiri ergo ... stultos perdit ... fidentes erunt in eum.

11. His, ut spero, non inutiliter, licet per digressum dictis, jam nunc ad propositum redeamus. Igitur, ne de fide eorum quæ sancta paternitas vestra sibi scribi præcepit, in aliquo dubitetis et per dubitationem ipsa scripta parvipendatis, audite, et intendat vestræ discretio curæ, ubi et quando vel quomodo ea didicerim et quibus auctoribus mihi tradita sint, et tam certo ut non solum mihi, sed ne adversantibus quidem (si qui possunt esse) titubationis motio aliqua relinquatur. Ante hos xxv ferme annos, non ætatis lubricæ impetu nec animi petulantis lascivia, neque vagandi curiositate titillatus (jam quippe quintum et quinquagesimum annum exegeram), sed sincera mentis, teste conscientia, devotione actus, desiderium longa temporis dilatione coalitum et inæstuantis cordis parturitione fatigatum, tandem auxiliante Deo explere decrevi. Ab ineunte enim pueritia vehementer animo inhæserat, ut, cum opportune possem, exemplo tractus plurimorum qui hoc salubriter fecerant, sepulcrum gloriosi et pii confessoris Dei Martini expeterem, ipsumque qua possem cordis humilitate deprecarer, quatinus, quod meis non valeo, ipsius et precibus et meritis a Deo mihi veniam erratuum et justarum petitionum effectum obtinerem. Iter hoc hactenus aggredi distuleram, ne id ab aliquibus levitas adolescentiæ et juventutis (quæ vana in pluribus apparet) putaretur. Affuit autem nunc demum in opportunitate piæ voluntati favorabilis Dei nutus, facultatem plurimam in sumptibus itineris necessariis conferendo, licentiamque et litteras commendaticias non solum abbatis mei, sed et domni Philippi, Coloniensis archiepiscopi, providendo, solamen comitum mihi ministrantium adhibendo, in itinere quoque, omni adversitate propulsa, cuncta læta et commoda sine interpolatione ad vota jugiter subministrando. Qui etiam, scilicet archiepiscopus, directa per me eleganti epistola, quædam de ipso præsule sanctissimo magnifica, quæ non ex lectione, sed ex fama tantum compererat et ideo incertus erat, sollerter sciscitatus est. Cui et diligentissime tribus honestissimis epistolis satisfactum est : una ab abbate Majoris Monasterii, duabus a canonicis Castri Novi, ubi corpore tenus idem venerandus Dei confessor requiescit. Quas etiam (scilicet epistolas) adhuc penes me habeo et habere volentibus legendas seu transcribendas ad laudem Dei et gloriam sancti pontificis custodio.

12. Cum itaque ea qua prædixi devotionis intentione Thuronis peraccessissem, prius ad abbatiam Majoris Monasterii, quam vir beatus adhuc degens in corpore, non longe extra civitatem ad orientalem plagam fundavit, diverti, eo voto quatinus ibi orationibus et jejuniis aliquantulum vacans, purior et notior sepulcrum ejus in Castro Novo situm inviserem. Quo quidem tempore, satis mirari non possum, et vix cuiquam credibile est, cognita ex litteris causa peregrinationis

meæ, utriusque fratres ecclesiæ quam amplo sinu caritatis me susceperint, qua me indignum et immeritum deinceps veneratione percoluerint, qua etiam benignitate non ut hospitem et advenam, sed ut amicum et domesticum largis beneficiorum impendiis, quamdiu apud eos moratus sum, confoverint, fatigationem itineris quam pro amore patroni sui pertuleram, pio favore amplectentes, et pro reverentia seu veneratione quam ex verbis prædictæ epistolæ, et tanti nominis tantæque auctoritatis et excellentiæ) ei impendere perpendebant, humiles Deo gratias exhibentes.

13. Accessit præter hanc et alia non minoris fidei vel ponderis assertio meæ peregrinationis et totius injuncti mihi ab archiepiscopo negotii probabilis certificatio, dum interim vir sapiens et commendabilis vitæ, domnus Petrus, Tusculanus episcopus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis et legatus, legationis suæ causas exequendo illuc adveniens, veritati et devotioni meæ, quam ex corde et ore consone prolatam nuper audierat, non in occulto sed coram omnibus testimonium perhibuit. Eum quippe a Colonia Leodium usque prosecutus, ibi morose cum eo multa conferendo, notitiam, familiaritatem et gratiam non mediocrem ejus obtinui, et sæpedictæ * peregrinationis meæ et omnium quæ facere disponebam, ab eo licentiam, utpote a vicario domni papæ, humiliter requisivi, et facta confessione absolutionem reatuum meorum a Deo per os ejus ex officio potestatis sibi collatæ, sicut fideliter spero, impetravi. Unde factum est, ut cum Thuronis, sicut prædixi, advenisset, post factum in capitulo Majoris Monasterii sermonem, me sibi jocunde occurrentem recognovit, agnitumque celerrime salutans et pro acceleratione peregrinationis meæ vehementer admirans. Cui cum respondissem quoniam animo cupienti nihil satis festinatur, acquiescens *, propositum votumque et intentionem meam in instanti coram fratribus et domno abbate Herveo, probatæ religionis viro, cum et ipse abbas hoc jam se expertum assereret, dignanter commendavit; et postmodum in auditorio canonicorum Castri Novi idem repetens, multa laude prosecutus est, non sine meo pudore, qui nihil prorsus in me dignum laude sentirem. Ita vir ille nescio quo, sed utinam recto afflatus spiritu, utriusque ecclesiæ sacro conventui intentissime devotionem meam inculcans, institit haud segniter et effecit tam hortatu quam præcepto, quatinus tanti pontificis inquisitionibus, maxime cum et beati Martini gloriæ * proficeret, diligentissime rerum inquisita veritate competenter et cum gratiarum actione responderetur. Et factum est sicut præceperat. Demum in basilica castri ad corpus B. Martini eo missas agente, infulati pedibus procidi ibique (quod * multum optabam) ante altare iterata confessione secundam absolutionem et benedictionem Dei ejus officio promerui; hominemque post missas et prandium Deo et ipse me reciproce commendans, ab invicem discessimus. Eoque ad injuncta negotia properante, ego, experta dulcedine delectatus, ad deliciosum alvear Majoris Monasterii sum regressus.

* *cod.* sepedicto.

* *cod.* acquiniscens.

* *vox suppleta.*

* *vox suppleta.*

14. Ubi persistens, sæpius prædictum reverentissimi pontificis sepulcrum adibam, et, vota votis pia ingeminans, divina inibi mysteria celebrabam; et, inter eos intrans et exiens, non meritis meis, sed precibus patroni expetiti, in tanta veneratione habebar (quod non sine metu et confusione profero) ut, si liceret, ibi me

perpetuo cuperent retinere, sociumque sibi et comparem in regula scriberent omniumque beneficiorum suorum tam corporalium quam spiritualium consortem perenni possessione concorditer firmarent. Interim ego, non oblitus ad quod veneram, non vacabam desidiæ vel otio, sed instar apis florilegæ, nunc per amœna pratorum aut hortorum virentium volitantis, nunc arborum ramis florentium et redolentium inhærentis et diversorum sibi florum materiam ad conficiendam mellis dulcedinem convehendo reponentis, ego, inquam, apis instar, in armario libris tam veteribus quam novis confertissimo, ac si in medio fluminum paradisi constitutus, modo sanctorum scripta vel exempla relegens, modo historiarum seu chronicorum paginas celeri oculorum motu vigil scrutator percurrens, plura de beato præsule quæ antea nunquam audieram vel legeram, memoria et relatu digna repperi. Quæ (quoniam socii quos illo adduxeram, longo ut causabantur pertæsi exilio, instanter me ad repatriandum urgebant) de locis quibus inserta erant non decenter et * studiose excerpta, sed quasi abrupta et confuse in unum congesta, cum benedictione et gratia omnium, tam abbatis quam fratrum, cum me retinere mallent, revertens, mecum detuli, in voto habens ut, quando exoccupatus essem, per intercercessionem patroni, auxiliante Christo, decenter coaptando in corpus unum redigerem, idque deinceps legere volentibus exhiberem. Tanta enim et tam magnifica sunt, ut revera, si quis scriptor ad hæc operose digerenda diligenter vellet intendere, ex his opus memoria, benedictione et reverentia dignissimum et legentibus utile posset componere.

* *cod.* sed.

15. Ad quod explendum, licet indoctus, insufficiens et indignus, dum pio desiderio me totum cogitarem impendere, spe mea deceptus, ab intentione mea insperato incidente obstaculo præpedior, quia, brevi post reversionem meam decursu temporis intercapedine, Deus testis est, absque ullo meo molimine et sine omni genere simoniæ, quantum ad me pertinuit, impositum est mihi, ad hoc inidoneo, onus gravissimum, cura scilicet vel regimen duarum ecclesiarum, primo Florinensis, deinde Gemblacensis. In quarum altera per quinquennium, in altera per decennium multiplici diversarum occupationum distentione *, quasi a meipso alienatus, laboravi non segniter, tum in debitorum absolutione et in placitorum prosecutione, tum in claustri Gemblacensis per duo incendia funditus destructi (in quo multa sollicitudine et industria magnisque impensis opus erat) providenda restructione, tum denique in aliarum rerum tam utilium quam inutilium (cujus culpæ, heu mihi misero, immunis non sum) implicatione. Nec solum scribendi sed et edendi plerumque pertæsus et immemor, ne dormiens quidem quiescebam. Ita fiebat ut, sæpius mei quoque oblitus et factus tanquam vas perditum et mortuus a corde, tabescerem; inventusque in talibus solus cum essem, sine adjutorio et consolante, inde mœrore * cordis afficiebar, inde creberrimis improborum scandalis opprimebar, sicque procul dubio nonnunquam flere magis libebat quam scribere. Sed, quia jam (providente Deo, qui vota adimplet humilium) resignato curæ pastoralis officio et (licet renitentibus cardinali et episcopo) tanto fasce relevatus et a profundo tantarum afflictionum et miseriarum ereptus, mihimetipsi ex parte redditus sum, opus diu dilatum jam sine dilatione tentabo componere, et, si ante

* *cod.* distensione.

* *cod.* mœroris.

consummationem meam consummatum fuerit, vobis transmittere. Vehementer namque ad majorem ejusdem beatissimi Martini patroni nostri amorem, honorem, admirationem, venerationem et æmulationem ex lectione opusculi hujus et ex consideratione virtutum et actuum ejus desidero * vos provocare, sicut et consortem gloriæ vestræ, felicis memoriæ prædictum domnum Philippum, Coloniensem archiepiscopum, ex alio opere panegerico* de miraculis nihilominus et constantia seu * virtute animi ipsius sancti Martini ante annos aliquot a me composito et ad eum misso ad illius conformationem studui incitare. Sed quoniam illud rythmice digestum est, et ideo minus libenter a quibusdam legitur, operæ pretium duco istud plana et aperta prosa (id est nullo metro vel rythmo ligata) conscribere, ne alicujus difficultatis legentem scrupulus offendat, sed magis brevitas et planities ipsa vos vel quoslibet ad * legendum invitet et delectet. In quo etiam opere moneo ne lectorem stili diversitas moveat, quia, sicut in diversis libris diverse a diversis auctoribus edita repperi, sic eadem miracula nihil aut parum addens vel mutans in his mihi transcribens excepi.

* *cod.* desiderio.
* *cod.* pannegerico.
* *cod. add.* ex.
* *cod.* a.

16. Sed vereor ne serius quam expediret opusculum istud incipiam, quia nec juvenilis, nec saltem media ætas, grandem mihi viam (id est prolixam annorum seriem) pollicentur : quoniam instat dies, qua vitæ metam attingens et horrendum cunctis atque invisum et universæ carni inexsuperabile mortis dominium cogar excipere iterque funestum quod omnis homo ingreditur sed nullus regreditur, compellor incedere. Exactum enim diuturni tempus senii non quidem certum aliquem numerum sed paucitatem dierum (qui, ut puto, in brevi finientur) solumque mihi superesse sepulcrum qua potest voce inclamitando quotidie prænuntiat, monens et contestans quatinus, ne ad certum incertissimæ mortis diem imparatus inveniar, aliis me curis expediens, sedulus provideam et (quod omnibus his formidabilius est) de reddenda cogitationum, verborum et operum meorum districto judici ratione vigilanter cogitando præmunire non negligam. Proinde, patres reverendi, quoniam omnes dies mei præteriti in vanitate ut fumus defecerunt et residui cum festinatione sicut umbra absque ulla spe mercedis declinando pertranseunt, ignorare jam non possum, quia experior, me non longo post attingere miseriam illius temporis de quo psalmista queritur : *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni : si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor;* multiplicesque et tristes occupationum hujusmodi incursiones animum meum conturbant, distendunt et obnubilant. Quocirca vehementer ambigo quam partium istarum tenendo sanius eligam : utrum videlicet, explosis ut prædixi aliis intentionibus, in sola vicinæ ut pertimesco mortis meditatione et expectatione satagam philosophari, an, mentem ab his aliquatenus avellens, prædicto operi diligentiam qualem tenuis facultas tulerit ingenii adhibens, pio ejus exercitio pro utilitate eorum qui forte post nos ista lecturi sunt aliquantisper pascar implicari, eo quod nescio utrum, me defuncto, quisquam qui super his velit intendere, possit inveniri.

17. Ita nunc mecum agitur, patres sanctissimi; et, cum inde promissiones mortis, peccatoribus mei similibus pro metu judicii et pœnarum formidine terri-

biles, me quoque non immerito vehementer concutiendo excrucient, inde tamen (ut secreti aliquid in me latentis aperiam) vis alia major et validior, totas ejusdem mortis susurrationes indignas cohabitatione sua judicans, non solum repellere, sed etiam prorsus conatur absorbere et, eo quod fortior et dignior incomparabiliter illa sit, totum me sibi contendit vendicatum possidere. Sed quæritis quænam illa tanta sit vis. Proculdubio ea est caritas, virtus scilicet cunctas excellens, nunquam excidens, alias fulciendo fulciens, amplum donum quod diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, in qua tota lex pendet, prophetæ et evangelium, per quam diligitur Deus et proximus, quæ operit et a facie districti judicis abscondit multitudinem peccatorum, et non solum timorem mortis foras mittit, sed et ipsum gehennalium ignem suppliciorum contemnens cœlestium fidenter expectat præmia gaudiorum. Hujus itaque tantæ virtutis, id est ceterarum virtutum reginæ caritatis, triplici et indissolubili (quem ipsa mihi specialiter texuit) fortiter obstrictus et tractus suaviter funiculo (laudis scilicet Dei amore, beati Martini quæ diu in me convaluit devotione, eorumque qui hæc legere et imitari studuerint ædificatione), quis ego qui renitar nec ejus salutaribus obtemperem imperiis? vestris quoque, patres reverendi, piis non adquiescam precibus et monitis? Verens ergo servi inutilis et pigri culpam incurrere, qui, cum * de commisso sibi intellectus talento, bene illud dispensando, sibi salutis et alicujus aliis utilitatis posset procurare commodum, ignave retinendo et occultando incidit damnationis incommodum (sicut enim qui de percepto munere in quantum valet sibi et proximis satagit, merito a Deo qui hoc præcepit remuneratur, sic e diverso qui negligit* cum possit, non immerito damnatur): hæc, inquam, verens et ad paratum benignæ matris et nutricis meæ, sanctæ caritatis, sinum refugiens tutissimumque patrocinii ejus implorans subsidium, ex ipsius gratuitæ pietatis dono, pro bonæ voluntatis affectu, et sancti laboris seu operis quod aggredior obtentu, et de peccatorum remissione (quam vos quoque, sacerdotes et vicarii Christi, dudum mihi spopondistis) jamjam præsumo, neque mortis etsi insidias caveo, impetum tamen et stimulos, qui me hactenus compunxerunt et terruerunt ultra non adeo pertimesco, nec etiam venenata detrahentium obloquia quidquam pendo. Præscriptis itaque omnibusque aliis quæ me revocabant, Deo juvante, remotis obstaculis, lætus et alacer ejus clementiam humiliter imploro; sed et vos, sancti patres, quorum jussis obtempero, ut idem faciatis exposco, orantes eum quatinus suavissimi roris sui quo semper abundat intima aspersione ariditatem ingenioli mei fecundet et sæpedicti opusculi seriem quam ingredior ordiri, tanta gratiæ suæ infusione complere dignetur, ut ad majorem laudis suæ gloriam, honor et veneratio confessoris sui amplificetur, lector pius non garrulus, simplex non fastuosus, pulsa totius tædii accidia, lectionis hujus usu, ac si recenti favo mellis distillantis in mente dulcoratus ædificetur, vestri quoque, eidem opusculo me insudare præcipientium, et obedientis (licet peccatoris) memoria posteris pro nobis orantibus in benedictione commendetur.

* *vox suppleta.*

* *supple* lucrum ex eo facere.

18. Ut autem quæ quo tempore sint gesta in eodem opere sine confusione appareat *, duobus illud libellis distinguere proposui. In primo quorum, nobilita-

* *vox suppleta.*

tem et excellentiam genealogiæ beati viri (de qua Sulpicius, elegantissimus actuum ejus conscriptor, nihil dicit) curabo retexere, non quam somniaverim, sed quam in historia Septem Fratrum, cognatorum ejus, qui in Majori Monasterio requiescunt (describente sancto Gregorio, Thuronensi archiepiscopo) plenissime exaratam inveni. Deinde etiam in eodem libello aliqua de his quæ vivens adhuc sanctus sacerdos in carne exercuit, ab eodem Sulpicio (sive ob vitandum propter pluralitatem fastidium, sive ob ignorantiam) omissa, undecumque (ut superius dixi) collecta decenter compaginando subnectam. In secundo autem nonnulla quæ ad notitiam meam pervenire potuerunt de his quæ post transitum ejus e mundo, vel ad sepulcrum ejus (ex quo scriptores miraculorum ejus ea scribere desierunt) vel in aliis locis per ecclesias nomini ejus dicatas, per merita ipsius divina dignatio operata est, prout diligentius hactenus investigare potui et deinceps potero, hæc, inquam, in unum compingens, qua desuper facultate dabitur, et qua sensus exigui permiserit hebitudo, sermonis venustate decorare conabor.

19. Et quia de ætate finitima superius causatus sum, si hæc ante finem vitæ perficiendo finiero, ei qui semper vivens fine caret, omnipotenti Deo, infinita gratiarum actio ; si autem, non nihil tamen fecisse videbor, qui materiam, pro dijectione sui modo nullius pretii, e diversis partibus conquirendo et convehendo in unum contractam, in tantum appretiaverim ut in condigna sibi constructione, non cujuscumque, sed peritissimi et disertissimi artificis, qui eam non depretietur, vires et ingenium videatur exigere. Cujus scilicet materiæ, paratæ quidem sed disjectæ adhuc, si morte præventus partes, antequam hinc abeam, in opus decens et idoneum non copulavero, quisquis post me hoc intuitu divinæ remunerationis perficiendum devote susceperit, obtentu precum et meritorum beatissimi Martini, quæ ut multi experti sunt, multum possunt, suscipiat illum protector omnium in se sperantium in suæ defensionis protectione et, protectum ab omni malo et perfectum in omni bono, a labore in requiem, a luctu in gaudium, a morte in vitam transferat perpetuam, et repletum jocunditate cum vultu suo beatum faciat eum in terra viventium sine fine. Amen.

LXXXII. Codex signatus n° 5535-37.

Foliorum 163, formæ mediocris ($0^m,31 \times 0,21$), columnis binis, lineis graphide ductis, exaratus seculo XIV. Nullæ rubricæ, præterquam fol. 5^r in capite primæ epistolæ. Litteræ initiales singulorum documentorum duplici vel triplici colore insignes et fere sobrie ornatæ (præter duas aut tres majori arte concinnatas), sed non ineleganter descriptæ. Paucæ præterea litteræ in corpore documentorum rubro, nonnullæ viridi colore signatæ.

In capite totius codicis (fol. 1^r) hæc nota adscripta est manu seculi XIV : *Librum istum dictavit domnus abbas Guibertus, vir antique scientie et nostre ecclesie occu-*

lus, cui manus recentior hanc alteram superscripsit : *Scriptor hujus libri eum multis mendis corrupit ac erratis.* Ad calcem ultimi folii hæc leguntur, manu etiam seculi XIV scripta : *Liber Sancti Petri de Gemblaco : si quis eum abstulerit, anathema sit. Amen. Amen. — Iste liber digestus est a venerabili Guiberto Martino nostri cenobii abbate.*

In hoc codice, præter nonnullas alias Guiberti epistolas, reperitur (fol. 78^v-95^v) epistola data ad quemdam Rainerium scholasticum, qua continetur (fol. 82^v extr.-88^v) encomium sancti Benedicti abbatis editum ab Em. Cardinali Pitra in tomo sæpe citato, p. 593-600.

Initio (foliis quasi insiticiis 1^v-4^r) legitur narratio de combustione et devastatione cœnobii Gemblacensis, ex qua sequentia ad Guiberti notitiam non inutilia describere visum est :

GUIBERTUS GEMBLACENSIS DE SECUNDA DESTRUCTIONE ET COMBUSTIONE MONASTERII GEMBLACENSIS.

1. Cum Gemblacense oppidum a quodam viro nefario et Deum non timente nocturno et furtivo incendio combustum esset, simulque majus, id est cœnobiale, templum cum omnibus officinis suis edax flamma penitus consumpsisset, consilio opus fuit, quidnam in necessitate tanta de fratribus fieret, quibus desuper tectum nullum nisi cœlum, nocte frigidum, die vero propter æstatem fervidum, deorsum autem nec cubile nec locus quietis nisi solum durum et inconfectum erat. Quid multa? Necessitas ipsa citum dubiis ingessit consilium, videlicet ut, deprecativis et commendaticiis tam episcopi quam abbatis circumquaque missis epistolis, per vicina fratres monasteria vel cellas locarentur, donec, restructo monasterio et necessariis mansionibus, cum gratiarum actione revocari possent. Et factum est ita.

2. In qua videlicet disgregatione vel dispersione fratrum, jussu prælatorum et quorumdam suasu, vellem nollem, in desolatione illa et in loco quasi vastæ solitudinis residere coactus sum; et vim animo meo faciens permansi ad tempus, mœrens et gemens, et eo tristior quod domum et religione et totius divinæ servitutis officiis olim insignem et (quod in locis celebribus multum acceptatur) clarorum virorum et nobilitate generis et scientia litterarum quondam celeberrimam, omnibus his desolatam et totius pristini cultus decore spoliatam et evacuatam, quacumque oculos verterem, ad augmentum doloris mei cogerer intueri. Quem scilicet dolorem maxime illud augebat, quod dejectionem ejusdem domus præ ignavia et negligentia curatorum nostrorum difficillime et in longum in antiquum decorem vel statum (quod dolens dico) relevandam atque reformandam non ignorarem. Quid putas tunc animi in talibus posito et ista versanti inesse mihi posset? Permanere dolor, gemitus et penuria, fugere confusio et infamia et, quod his perniciosius est, obedientiæ transgressio, sine qua perveniendi ad Deum nulla via.

3. Hæc et his similia sæpius animo revolvente, benignus et clemens ille

misericordiarum pater et Deus totius consolationis qui fideles suos in tentationibus et tribulationibus suis titubantes, ne desperent, munire et fulcire semper consuevit, mihi quoque in hac tribulatione mea, ne caderem et allliderer, pietatis suæ dexteram porrexit et gressus meos pene effusos in viam salutis dirigendo correxit; et ne ulterius male moverentur vestigia mea, affectus intentionum mearum in virtute fortitudinis aliquantisper solidavit. Spiritu enim bono, consolatore illo quem dare Patrem suum fideliter petentibus Dominus ipse Christus pollicetur, ut credo, suggerente, ut si in perturbationibus meis optimum solatii genus habere cuperem, ad meditationem sacrarum Scripturarum animum meum transferrem. Quia, sicut ait apostolus, *Omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et eruditionem Scripturarum spem habeamus.*

4. Quod dum aliquantisper actitare cœpissem, id est meditari in Scripturis, ut ex earum frequentatione tristium eventuum meorum solamen et * refugium utilis consilii ibi percipere * sollicitus inquirerem, saluberrimum mihi esse frequenter expertus sum; quia, cum legissem vel audissem illud psalmistæ : *Sperantem in Domino misericordia circumdabit*, et illud apostoli : *Tribulatio probationem, probatio vero spem operatur, spes autem* (scilicet in Deo fixa) *non confundit*, viri quoque constantis animi et in tribulatione sua ad Deum fidenter clamantis: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum :* quanti putas ista mihi profuerint et quantum me nutantem firmaverint? Lectis enim prædictis sententiis et similibus, quæ in Scripturis abundant, mira cordis alacritate et fiducia perfusus et quasi ex decidente erectus et ac si ex mortua in spem redivivam renovatus sum. Adeo enim supradicta Scripturæ verba in me convaluerunt meque mutaverunt, et * de promissione et protectione superna et de retributione Dei pro qualitate meritorum justis reddenda me certum fecerunt, ut pro his adipiscendis quidquid mihi gerendum vel tolerandum foret pro minimo ducerem. Hinc est quod apostolus, ad imitationem passionum Christi inter persecutores pro nobis laborantis auditores suos admonens, inconcussos et interritos stare hortatur, ubi dicit: *Vigilate, state in fide, viriliter agite, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Ad quam scilicet gloriam non inanem vel transitoriam, sed immarcessibilem et æternam, sanctis in cœlo repositam, ut mihi quoque peccatori adipiscendam spes suppeteret et facultas, quid salubrius vel utilius mihi agendum esset quam illum sequi et mandatis ejus obsequi qui illam humiliter et fideliter obedientibus sibi dare semper et potest et paratus est? Sed quis præ multitudine et tædio ferret, si cuncta quæ hinc dici possent simul congerere vellem? ...

* *prius* ut.

* *cod.* perciperem.

* *cod.* ut.

5. Ex his autem quæ nunc, id est in diebus senectutis meæ, dico vel profero, aliqua jam ab adolescentia mea actitare inchoavi, nesciens quando de medio me factor meus vellet tollere et utrum ad senium pervenirem; hoc autem certissimum habens quod, quantumcumque viverem vel laborarem, nullis operibus aut exercitiis magnitudinem retributionis ejus superarem. Sed, ne jactanter loqui et gloriam quærere videar, a juventute quidem mea illi me cœpisse servire confiteor, sed nec tam ferventer nec tam sedule sicut expedisset et oportuisset ...

6. Cum igitur adhuc junior frequenti lectione sacri eloquii instructus et justos præmiis remunerandos perennibus et injustos suppliciis tartareis puniendos didicissem, hinc delectatus, inde perterritus, lascivias juventutis et ineptias cœpi deserere et abominari, seria vero quæque gravioris ætatis æmulari et amplecti, vigilando scilicet, jejunando et orando, missis quoque audiendis insistendo et earum celebratoribus devote ministrando et sæpius quam eatenus fecissem ecclesias frequentando. Quæ quidam perversi magis hypocrisi deputabant quam simplicitati vel puritati ...

7. Venitque in mentem ut, præmisso Dei amore ... et subjuncta mei cura, tertio de salute proximi ... competentem pro posse gererem sollicitudinem ... Hoc instinctu, cum (ut prædixi) adhuc essem junior haberemque plures amicos, nepotes, coætaneos, diversis in rebus confœderatos fidemque quam Deo spoponderant non ei sed mundo cui abrenuntiaverant malo suo conservantes ... volens eos ab illecebris mundi revocare et ad amorem Dei provocare, non causa jactantiæ vel ostentationis scientiæ, quæ fere in me nulla est, cœpi eis scriptitare et ... multas eis scripsi epistolas ... De quibus videlicet epistolis si quis quærat ad quam utilitatem scripserim eas ... breviter respondeo quia et mihi non nihil et eis quibus missæ sunt plurimum profecerunt. Mihi quidem, quoniam ex otioso studiosum fecerunt; illis autem multo magis, qui, earum admonitionem libenter suscipientes et a cenosa peccatorum conversatione sese proripientes ... ad alta cœlestis vitæ se transtulerunt. Nec solum illis quibus olim eædem epistolæ missæ sunt, profuerunt, sed et his deinceps si ab aliquibus legantur, non tam insulsæ sunt quin aliquatenus prodesse possint.

8. Si quis autem prolixitatem earum culpet ... dicatque videri et sonare jactantiam tantam * verborum congestionem * ... audiat hujusmodi reprehensor et sciat quia, teste conscientia mea, in his quæ tunc temporis scribebam non gloriam inanem nec ullam appetisse ostentationem, sed quoniam amici erant solam eorum quæsisse salutem. Quod ipsi quoque intelligentes, non verborum vel scriptorum meorum prolixitate causabantur onerari, sed gaudebant vehementer et se * testabantur ædificari. Scribebam autem litteratis quidem sed seculari litteratura imbutis, divina vero aut parum aut nihil instructis, sed mundanis occupationibus et illecebris et obligationibus miserabiliter irretitis; ideoque necessarium erat ut multiplicibus sacræ doctrinæ documentis vel sententiis erudirentur, ut, quod paucæ non possent, multæ in eis perficerent ...

* *cod.* tanta. * *cod.* congestio. * *supra lin. post* gaudebant.

9. Si reprehendor, homuncio cum sim idiota et indoctus cur jactanter officium doctorum scribendo usurpare præsumpserim : respondeo nec jactantiæ nec ostentationis seu præsumptionis, sed caritatis fraternæ fuisse ut scriberem ...

10. De vilitate vero aut rusticitate dictaminis excusari non indigeo, quia omnes qui me noverunt sciunt me non esse rhetorem aut grammaticum, sed segnem, ignarum et inertem et totius fere secularis scientiæ expertem. Sed ad quid ista? Etiamsi universa liberalium artium facultate affluerem ... attamen mihi tunc utilius et salubrius videbatur eisdem qui ignorabant et errabant et in seculo periclitabantur, quos intendebam corrigere, ut puris et simplicibus verbis instruerem

quam omni cultu defloratis et coloratis sermonibus favorem eorum mihi affectarem ...

11. Quæ videlicet scripta mea vel epistolæ cum post obitum illorum quibus directæ fuerant, aliquæ imperfectæ, omnes vero incorrectæ, quasi nullius pretii diu jacuissent dispersæ magisque eas abolendas quam reservandas decernerem, a nonnullis qui eas legerant vehementer objurgatus sum, cur utilitatem tanti laboris perditam * iri permitterem ... tandem in hoc cessi petentibus ut, quia præ infirmitate corporis et angore animi eas corrigere et perficere non possem, saltem et a dispersione recollectas et in unum corpus redactas legere volentibus traderem. Et factum est ita. (* *sic.*)

12. Sed, ut et de ipsis epistolis et aliis opusculis meis adhuc pauca subjungam, in secunda combustione ecclesiæ nostræ, id est Gemblacensis, quæ post aliquot annos, hoc est uno minus a xxx^ta (prima necdum ad integrum restructa) quæque ex guerra (1) ducis Lovaniensis et comitis Namucensis accidit, non ita sicut in priore me habui. Sed e cavernis in quibus instar noctuæ vel bubonis ignavi diu delitueram egressus, non vagando sed meliora explorando, propter morosam nimis claustri restaurationem alias demigravi. Comperta autem fama celeberrimæ virginis, Hildegardis * nomine, fundatricis et magistræ cœnobii quod secus Binguiam oppidum in monte sancti ut cernitur Roberti situm * est, illo tantum devotionis causa me contuli, notitia et orationum ejus suffragiis sicut et ceteri qui ad eam simili pro causa numerose confluebant, scire volens utrum in ea conversationis sanctitas et nominis celebritas concordarent, et quæ cui præponderaret subtiliter experiri cupiens. Proinde veni ad eam; meque post humilem consalutationem benigne suscepto, cum aliquantum collocuti fuissemus, gratia, ut reor, Christi faciente, complacuit nobis in alterutrum, id est mihi in eam et ei in me, et vultus nostri non sunt amplius in diversa mutati quin nos invicem diligeremus. Ut vero multa prætercam, ipsa procurante et multum super hoc laborante, rogatu religiosorum virorum et maxime suasu episcoporum qui ad eam visendam gratia devotionis conveniebant, mansi cum ea quoad vixit, id est per duos annos. Et vehementer deprecantibus et cogentibus abbatibus et reliquis qui ad ejus exequias advenerant, et maxime sororibus quas illuc ipsa ad serviendum Deo numero LV aggregaverat, instantibus, continuavi et tertium. Et cum in aliis quibusque necessariis obedientissime eis paruissem, in hoc tantum, quod summa intentione extorquere nitebantur, videlicet ut cum eis perpetuo degerem, ab obedientia defeci, quoniam consilii non fuit (conscientia revocante) ut hoc eis concederem. (* *cod.* Hillegardis. * *cod.* scitum.)

13. In eadem tamen mora qua inter illas conversatus sum non parum profeci, videns et admirans, et me ipsum quasi segnem despiciens si non in aliquo imitarer sacram conversationem gloriosæ illius multitudinis, omni genere virtutum refulgentis et in sexu fragili meritis, hortatu et exemplis magistræ suæ, hostem illum triumphantis de cujus magnitudine Deus ad Job dicit : *Non est potestas super terram quæ comparari possit ei qui factus est ut nullum timeret, et ipse est rex super omnes filios superbiæ.*

(1) Cfr. supra, p. 559.

14. Sed, ne episcopis qui me et sua dignatione et domnæ Hildegardis sedula commendatione diligendum susceperant et quasi in filium adoptaverant, inutilis et ingratus apparerem, non (ut supra dixi) ostentationis causa, sed piæ devotionis gratia, multas eis scripsi epistolas, inculto, ut mihi moris erat, et prolixo stilo : inculto, quoniam non ætate sed scientia puer ego sum et loqui nescio; prolixo autem, quia eos quibus scribebam et terrere et instruere volebam. Terrere quidem pluribus et minacibus Scripturarum sententiis, ne, in officio et dignitate pontificali non vicarii Christi sed mercenarii inventi, in judicium illud gravissimum quod in his qui male præsunt fiet, inciderent; instruere vero lenium verborum multiplici hortatu, provocando eos ad ejus imitationem qui venit quærere et salvum facere quod perierat ...

15. Scripsi præterea volumen unum panegericum ad domnum Philippum, Coloniensem archiepiscopum, de interioribus animi virtutibus et de miraculorum signis exterioribus quibus præ multis sanctis excellentius in diebus carnis suæ beatissimus confessor Christi Martinus resplenduit ... Scripsi et aliis aliqua quæ, quoniam nondum sunt correcta et perfecta sicut vellem, propalare adhuc supersedeo. Quod cum Deo juvante factum fuerit, legat ea cui placuerit et occupatio permiserit; et, si quid in his utilitatis invenerit, Deo omnium bonorum largitori gratias agat nec in his venustatem eloquii sed utilitatem consilii requirat, sciens quia non in sermone culto sed in opere justo sit regnum Dei.

LXXXIII. Codex signatus nº 5538-39.

Foliorum 131, formæ minoris (0,255 × 0,185), columnis binis, lineis graphide ductis, exaratus seculo XV. Tituli atramento descripti sunt, sed fere lineola rubro subducta notati. Multæ litteræ initiales alternæ rubro et cæruleo colore signatæ nullis ornamentis. In capite præcipuorum documentorum conspicitur littera major rubro et cæruleo coloribus magis ambitiose, sed non admodum insigni arte depictæ.

Ad calcem documentorum de S. Remigio (fol. 50r) legitur hæc nota scriptoris : *Scriptus per me Wynricum de Campo, alias de Clivis, Leodii anno* MCCCCXLVIII. *Pro quibus, lector o bone, orare digneris ad Dominum et sanctissimum pastorem Remigium oratione una dominica et Ave Maria. Amen. Deo dicamus gratias.* Et ad calcem posterioris partis codicis (fol. ult.) : *Finita sunt Leodii in Cena Domini anno* MCCCCXLVIII *per me Wynricum de Campo, alias de Clivis, clericum Coloniensis dyocesis. Oret lector devote pro eodem. Benedicamus Domino. Deo gracias.*

Posteriorem partem codicis (a fol. 51) complent Dialogi S. Gregorii M. Prior vero continet documenta de S. Remigio, videlicet (fol. 1-50r) sermones tres de sancto,

quos a Nicolao de Larisvilla (1) pronuntiatos vel conscriptos esse anno 1410 docemur ex nota illorum conclusioni a scriptore codicis adscripta (fol. 50r) : *Explicit Vita sanctissimi Remigii Francorum pastoris et apostoli qua herotica trium sermonum contemplatione Nycolaus de Larisvilla, alias Pycardi, stilo achimico editus est anno Domini mmo ccccmo decimo* (2) Materiam autem et divisionem horum sermonum, sicut et quibus diebus pronuntiati sint, perspicue indicat auctor in exordio primi, quod ita conceptum est :

Ut ad spiritualem uberius lucem fidelium pullulet intellectus, scire congruit quoniam quidem gloriosissimi ac sanctissimi Remigii, urbis Remorum pontificis et specialis Francorum apostoli, virtutum redolentia dat devotis lætitiam, incitat ad gratiam, evocat ad gloriam, præbet devotionis ardorem, pellit vitiorum fœtorem, compescit cœli conditorem. Verum, ut quorumdam relevationis gratia, in hac sermonis decursione * rationis tramite lucidius ambulemus : suum primitus tractemus exordium, secundo suum medium, tertio ea quæ circa sui sacratissimi corporis deliquium fuisse patrata dinoscuntur, quarto quamplurium hujus pretiosi pignoris translationum seriem, multis * mirabilibus ac miraculis adjunctis quæ tunc et exinde per eum Altissimus facere dignatus est. *Duo siquidem prima, videlicet ejus sanctum exordium ac ipsius mirabile medium, in nativitate ac depositione ipsius* (3) *sunt conjunctim prædicationis ac expositionis eloquentia debite depromenda. Reliqua autem die * kl. octobris, quo namque die plurium translationum solemnitas celebratur* ...

* *add. cod.* patrata.

* *cod.* multisque.

* *cod.* deo.

Inediti sunt hi sermones. Attamen quum, quod ad substantiam rerum narratarum spectat, pleraque hauserit Nicolaus ex Vita S. Remigii ab Hincmaro concinnata (4), alia vero multa nonnisi ad oratoriam amplificationem pertineant, satis erit seriem dictorum hic exhibere, subinde exscriptis quæ alicujus momenti videantur, numerisque et litterulis ad singula partitionum præcipuarum et etiam minutiorum appositis, quo facilius legentibus appareat tota orationis textura.

1° [Sermo primus, in depositione S. Remigii] (fol. 1r-19v).

Titulus huic sermoni inscriptus est manu paulo recentiori : *Incipit Vita sanctissimi Remigii.* — Post exordium modo citatum sequitur sermonis prima pars, cui præmittitur (fol. 1r-2r) relatio prædictionis Montani monachi de ejus nativitate, hoc exordio : *Igitur si suum, ut dictum est, tractare velimus exordium, primo nosse*

(1) De quo videsis *Act. SS.*, tom. I Oct., p. 64, num. 28, et Dessailly, *Testament de S. Remy* (Parisiis apud Dumoulin), p. 154. — (2) Distincte hunc annum indicat et ipse auctor in primo sermone (fol. 12v, col. 2 init.) : ... *usque nunc,* inquiens, *hoc anno millesimo quadringentesimo et decimo.* — (3) Videlicet die iduum Januarii. Cfr. *Act. SS.,* tom. cit., p. 68, n. 51 et p. 133 *d.* — (4) Ed. *Act. SS.,* tom. cit., p. 135 sqq.

contingit a quo extiterit annuntiatus et nomine designatus, secundo unde, tertio cui, quarto qualiter, quinto propter quod.

[I.] De exordio sancti Remigii (fol. 2r-3r).

Ubi de ejus parentibus hæc tradit Nicolaus (fol. 2r, col. 2 init.):

* *cod.* Laudiniensis.

Cujus pater Emilius dux Laudunensis * nuncupabatur, mater vero Cilinia, cujus pretiosum corpus desuper magnum altare Laudunensis ecclesiæ honorifice veneratur. Refert autem Richardus in gallicana vita beati Remigii quod beata Cilinia in annuntiatione sui filii Remigii centum annos habebat, demptis inde decem. Hæc enim in flore juventutis pepererat de viro suo Emilio duos filios, videlicet Principium, postea Suessionis civitatis sanctum episcopum, sed et alterius filii nomen nobis est incognitum.

[II.] De laudabili cursu ipsius vitæ (fol. 3r).

Dicto igitur de ipsius exordio, consequenter de ejus medio, hoc est de ejus laudabilis vitæ discursu, cautius est tractandum. Et quia a digniori est semper assumendum principium, idcirco [1.] primitus est videndum qualiter eidem in carne viventi apparuit Omnipotens, secundo angeli cœlestes, tertio Petrus et Paulus apostolorum principes, et quarto qualiter gloriosam ejus vitam multis miraculis ac ceteris mirandis insignibus Altissimus venustavit. Verum, quoniam a) pluries eidem apparuit Omnipotens, nunc de ipsius prima apparitione dicendum est (fol. 3v-4r).

Ubi de loco reclusionis S. Remigii Nicolaus: *Qui vero,* ait, *reclusionis locus S. Remigii in castro Lauduno hactenus designatur et venerabiliter in memoria ejus colitur.*

b) Qualiter Omnipotens apparuerit ei denuo (fol. 4r-5v).

c) Qualiter tertio apparuerit ei Omnipotens (fol. 5v-6v).

* *cod.* Ut.

* *vox suppleta.*

d) Et * quia superius tactum est quod angeli cœlestes apparuerunt beatissimo Remigio, ideo quomodo factum * sit est dicendum ... (fol. 6v-7v).

Refertur hic historia S. Genebaudi, in qua de hujus inclusione agens scriptor: *Factaque mansiuncula,* ait, *cum lecto, quæ hodie veneratur secus ecclesiam Sancti Juliani* (Lauduni), *Genebaudum in ea inclusit* (fol. 7r, col. 1 extr.).

e) Qualiter Petrus et Paulus apparuerint eidem (fol. 7v-8r).

[2.] Seriatim beati Remigii medium percurrendo diligenter animadvertere debemus qualiter et quomodo ille venerandus et Deo dilectus pontifex dicatur verus et principalis pastor Francorum, baptista Francorum, proprius patronus Francorum et specialis Francorum apostolus, necnon et propheta. Unde ...

a) Qualiter dicatur verus pastor [Francorum] (fol. 8r-8v).

b) Qualiter baptista Francorum dicatur (fol. 8v-9v).

c) Qualiter dicatur patronus Francorum (fol. 9v-10r). — De visione Karoli (fol. 10r-11r). ... Quam [visionem], *ait auctor,* recitat Vincentius in Speculo Hystoriali, lib. xxvto, cap. XLIX, et duobus sequentibus.

d) De apostolatu ejusdem (fol. 11r-12r).

e) De quinto autem, videlicet qualiter et quomodo habuerit spiritum prophetiæ vel propheta dicatur, prosequendum est (fol. 12r-14v).

[3. De miraculis S. Remigii.]

Hic utique a quibusdam aliis miraculis supersedere non licet, quæ præfatus Francorum apostolus dum viveret in humanis Dei gratia operatus * est (fol. 14v) ... (fol. 15r) Etenim in Almania, ex qua sancta mater ipsius creata fuerat, multa ab illo * patrata dicuntur quæ in Francia ignorantur, multa in libris gallicis aut aliorsum de illo leguntur quæ in latinis sopiuntur. Idcirco de his primitus quæ in recollectione Hincmari archiepiscopi scripta traduntur, ex hinc de his quæ in libris gallicis aut aliunde assumuntur tractandum est.

* *cod.* patratus.
* (ab i.) *cod.* de illa.

Sequuntur miracula quæ leguntur apud Hincmarum; deinde (fol. 18r, col. 2 med.):

Nunc ad alia sinceriter explananda quæ non ex traditione venerabilis Hincmari Remensis archiepiscopi, sed aliquorsum exhausta sunt, est breviter discurrendum ... In quadam theutonicorum civitate, Hindrissem nomine, quæ duobus siquidem itineris diebus trans Coloniam Agripinam situatur extitit homo quidam multum potens et locuples ...

Qui (*compendio jam reliqua referimus*) ecclesiæ de Hindrissem, in diœcesi Hildesheimensi, assentiente filia sua et marito ejus, bonorum suorum partem delegavit. Hic vero vitrico defuncto data bona sibi vindicavit. Episcopus Hildesheimensis in consilium sanctum Remigium evocavit. Qui veniens ad defuncti sepulcrum, eum in testimonium factæ donationis ad tempus revocavit ad vitam. — Huic alterum subjicitur miraculum quod operatus est S. Remigius in tractu Tolosano, tritum scilicet illud de gantis quæ agrorum semina effodiebant, in grangia inclusis et postridie dimissis, postquam una, quæ a famulo comesta fuerat, vitæ restituta est.

2° [Sermo secundus.] De festivitate sanctissimi Remigii, Francorum apostoli, quæ prima die Octobris celebratur (fol. 19v-39v).

Hoc sermone continetur tertia et quarta pars eorum quæ annuntiata sunt in primi exordio (supra, pag. 583); sed tertiæ parti præmittitur narratio præambula, quæ his verbis annuntiatur:

[III.] In primis vero priusquam de gloriosi * Francorum apostoli deliquio quidquam disseramus, quasi pro præambulo qualiter oculo-

* *cod.* glorioso.

rum suorum lumen perdiderit et postea receperit, cautius est agendum; secundo, siquidem qualiter testamentum suum ordinaverit; tertio, ob quam rem discipulos suos asciverit; quarto, qualiter resolutionis suæ diem et horam præsciverit et discipulis suis declaraverit, est prosequendum. ...Nec est, fratres mei, hujus privationis indaganda temporis quantitas; quoniam patenter an quatuor an septem annis implicetur numerus istius turbinis, minime reperitur. Tempus enim agnoscitur, sed quantitas ignoratur.

[1.] Quam quidem cæcitatis pestem ob quatuor commoditatis beneficia eidem dicimus evenisse.

a) Primum autem commoditatis beneficium extitit, ut justus justificetur adhuc.

Sequitur hic recensio virtutum Remigii et præsertim ejus caritatis erga proximum. Ubi præcipue hoc notandum :

Legitur in Vita beati Leonardi confessoris, ejusdem beati Remigii discipuli, quod ipse gloriosus ac præcellens Francorum pastor et apostolus Remigius olim impetravit a regibus Francigenis ut tale pro Dei honore sancirent * edictum : quatinus quotiescumque civitatem Remensem intrarent aut secus eam transirent, quicumque in vinculis seu carceribus fuissent detenti confestim sine ullo impedimento dimitterentur liberi. Quod usque hodie conservatur; si quando quippe rex Galliæ ad prædictam urbem divertitur, omnes ex carceribus absoluti exeunt et ad reddendum gratias obviam ei prosiliunt. ...

* *cod.* sentirent.

b) Secundum autem suæ cæcitatis commodum extitit, ut lamentabili continuatione peccata venialia quæ vivens commiserat, eraderet et penitus extirparet. ...

c) Tertium vero suæ cæcitatis commodum profecto fuit, quatinus ad contemplanda cœlestia ferventiori mentis desiderio anhelaret, talentumque sibi creditum domino suo multipliciter duplicatum reportaret, atque pro commisso sibi grege redolentius exoraret Dominum. ...

Quo loco in memoriam revocata prophetia beati Remigii pollicentis Clodoveo regi regnum Francorum stabile permansurum, si servata fuerit justitia, pergit scriptor :

Numquid igitur adhuc splendet prophetia et ordinatio gloriosi Remigii? Etenim revera vidimus temporibus nostris Francorum dominatorem ac pene universæ terræ majorem propter injustitiam suam Parisius in medio nece truculenta emathice disperisse, vidimus itidem Januenses regi Francorum propter tyrannidem injustitiæ crudelitatem dominium denegasse ...

Quartum autem gloriosi Remigii cæcitatis commodum extitit, quatenus sanctorum aureolam percipere mereretur martyrum ...

Enumeratis inde infirmitatibus quas senex sustinuit, sic pergit :

Etsi quovismodo progredi licuisset cum baculo sustentario, famulis adhærentibus gradiebatur; ob cujus honorem hunc baculum sustentorium * Remis in ejus ecclesia credimus honorifice reservari ac per festa Dominicæ nativitatis dumtaxat fidelibus demonstrari ... * *sic.*

[2.] De extremo testamento. Secundo qualiter extremum suum testamentum præcellens Francorum pastor et apostolus ordinaverit, exinde est prosequendum ... Condidit igitur almus pater juxta canonum jura testamentum suum, signavitque et approbavit, tribus ex causis : primo, ut sicut venerat nudus in terris, sic nudus illuc reverteretur; secundo, ut securius ecclesia de legatis frueretur; tertio, ut inter seculares et ecclesiasticos litigii scandalum non oriretur ...

[3.] Tertio autem, ob quam rem præcellens Francorum pastor et apostolus, sanctissimus Remigius, discipulos suos asciverit, seriatim est dicendum. a) Primo vero, ut illis qualiter exinde regere se deberent prædicaret et morosius ordinaret. b) Secundo, ut illorum tuitione, precibus et prædicatione oves quas Domino lucratus fuerat et specialiter genus regium commendaret. c) Tertio autem, ut illos de sui corporis dissolutione perturbandos confortaret. d) Quarto vero, ut quos præcipui ac tanti amoris fœdere dilexerat, in extremitate sua eisdem adunatis obitum suum declararet. e) Quinto, ut extremæ voluntatis suæ testamentum eorum quilibet approbaret aut signaret. f) Sexto, ut in exequiis suis quilibet istorum obsequium amicabile præstaret.

[4.] Quarto autem, qualiter resolutionis suæ diem et horam jam dictus Francorum pastor et præcellens apostolus præsciverit et discipulis suis declaraverit et animam Deo reddiderit, breviter est tractandum.

Hæc ultima sermonis pars ita terminatur :

Et revera, quemadmodum vivens in corpore sanctos habuit sub alis suis (ut supra dictum) discipulos, pari forma post gloriosum transitum suum multos sanctos penes et sub alis suis, ut sanctitatis ejus altitudo enixius claresceret, habuit inhumatos. Et non solum in ecclesia qua requiescit, verum etiam in alteris ecclesiis sibi subditis : veluti apud Corboniacum requiescit sanctus Marculphus confessor, innumeris miraculis virtutibusque coruscans; apud Senucum sanctus martyr Oriculus, necnon sancta Oricola sanctaque Basilica, ejusdem pretiosi martyris sorores; apud Chaingniacum juxta Ulmontem, beatus martyr Aderius; apud Mersen, sancta et gloriosa Christi virgo Alde-

trudis. Hæc igitur quæ de deliquio et circa deliquium gloriosi Francorum apostoli breviter dicta sunt, ad præsens sufficiant.

[IV.] Completa igitur hujus præsentis operis parte tertia, in qua siquidem de felicissimo transitu gloriosi et sanctissimi Remigii, Francorum pastoris et apostoli præcellentis, est tractatum*, consequenter quartam partem deducendo, de translationibus pignoris ejus pretiosi cum eorumdem adjacentiis ac mirandis mirabilibus et miraculis, quæ tunc et exinde propter eum et per eum superna patravit clementia, seriatim est agendum ...

* *cod.* tractandum.

[1.] De translatione pretiosi corporis sanctissimi Remigii (fol. 30r).

Desumpta ex Vita auctore Hincmaro, num. 120.

De expulsione luis (fol. 30r-30v).

Ex eadem Vita, num. 117.

[2.] Secunda translatio ejusdem Remigii, quæ scilicet Kl. Octobris habetur (fol. 30v-31r).

Ex eadem Vita, scilicet numm. 133, 134.

[3.] Tertia translatio pretiosi corporis sanctissimi Remigii, et hæc IIII Kl. Julii habetur (fol. 31r).

Paucis additis vel omissis eadem narratio quæ edita est in *Act. SS.*, tom. cit., Comm. præv. num. 305.

[4.] Relatio pretiosi corporis beatissimi Remigii, quæ III Kl. Januarii celebratur; nec dicitur translatio, quia propter metum paganorum hoc accidit (fol. 31r-34r).

Narratio desumpta ex historia Translationis auctore Flodoardo, edita in *Act. SS.*, tom. cit., p. 173-176. — Initio tamen quædam leguntur in cod. quæ potius videntur desumpta ex historia ejusdem translationis auctore Rotfrido, edita ibid., p. 170-172.

[5.] Quarta translatio pretiosi corporis beatissimi Remigii (fol. 34r-35r).

Contracta ex capite II narrationis Anselmi *De dedicatione ecclesiæ et translatione corporis S. Remigii*, edita in *Act. SS.*, tom. cit., p. 176 seq.

[6.] De miraculis (fol. 35r-39r).

Post igitur illa quæ de pretiosi corporis sanctissimi Remigii translationibus cum earumdem adjacentiis dicta sunt, de ceteris miraculis breviter est dicendum. Et ut autem populus concipiat quanta super ceteros sanctos dignitatis majestatisque præcellentia sublimetur gloriosus Francorum apostolus, hoc excellens miraculum non in legenda sua sumptum, sed potius a legenda beati Vedasti Attrebatensis episcopi extractum, in quo quidem habetur qualiter eidem glorioso Remigio beatus Vedastus veluti discipulus ad magistrum, servus ad

dominum succursum lamentabiliter exposcebat, qualiter etiam idem pastor Remigius sanctos ibidem expressos, quemadmodum principes suos mandat subditos evocavit, idcirco primitus prout illuc ponitur edicemus.

Vid. *Act. SS.*, tom. I Febr., pp. 807, 808, num. 10.

Deinde refertur de quodam paralytico quem, interpellante sancto Remigio, sanctus Martinus sanitate donavit.

Sequuntur stylo subinde mutato quæ leguntur in *Act. SS.*, tom. cit. I Oct., loc. cit., scilicet: numm. 118 et 119, numm. 121-132, num. 351-354 (pp. 123, 124), num. 1-4 (pp. 185, 186), num. 7 (p. 186), num. 3-5 (pp. 177, 178).

[7.] Visio quæ ostensa est Remis in monasterio beatissimi Remigii de Ebonis archiepiscopi depositione (fol. 39r-39v).

Desumpta ex Flodoardo, *Historia Remensis ecclesiæ*, lib. II, cap. 18 (*Mon. Germ.*, Scr. tom. XIII, p. 471, lin. 11-38). Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., p. 124, num. 354.

3° Sermo tertius ad utramlibet præfati Francorum apostoli aptus festivitatem (fol. 39v-46r).

Si, fratres karissimi, nota veritatis veri christicolæ nobilisque regni Francorum sectatores concupiscant meritorum, actuum prodigiorumque prælibati Francorum apostoli titulos ceterorum patrum tam veteris Testamenti quam novi insignibus beatorum coæquare, qualiterque in diversitate operationum quasi sub uno spiritu patratarum cum ipsis participat, quantumque sanctitatis ejus magnitudo inter cœlicolas effulgeat, quibusdam eorum utrinque* floribus epilogo brevi deductis morosius poterunt proculdubio contemplari. In primis igitur qualiter in magnificentia et sanctificatione cum quibusdam electis sanctis Dei participat, secundo cum apostolis, tertio cum martyribus, quarto cum confessoribus, quinto cum virginibus et sexto cum angelis seriatim et breviter est tractandum ...

* *ita corr.; prius* utriusque.

Huic tertio sermoni subjuncta sunt :

4° Litteræ seu bullæ quas misit reverendus Ormisdas ad sanctissimum Remigium (fol. 46r-46v).

Editæ apud Labbe, *Conc.* tom. IV, pp. 1420, 1421.

5° Miracula sanctissimi Remigii (fol. 46v-50r).

Edita ex hoc codice in *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 337-343.

6° [Chronotaxis Vitæ S. Remigii] (fol. 50r).

Ortus vero fuit sanctissimus Francorum pastor et apostolus Remigius tempore Zenonis, anno Domini quadringentesimo octuagesimo.

Et anno siquidem ætatis suæ vicesimo secundo, Spiritu sancto eumdem visibiliter protegente, Remorum pontifex factus.

Rexit quoque pontificatum annis septuaginta quatuor.

Claret itaque quod vixit annis nonaginta sex.

Transivit autem ab hoc seculo anno Domini quingentesimo sexto, idus januarii.

Ab incarnatione vero Domini usque ad baptismum Francorum anni quingenti quinquaginta duo contraduntur.

Ab incarnatione Domini usque ad transitum Clodovei regis Francorum anni quingenti quinquaginta sex computantur.

Dedicataque fuit solemnis ecclesia prædicti pastoris Remigii a domno Leone nono apostolico sanctissimo, regnante Francorum rege Hanrico, anno incarnati Verbi millesimo quadragesimo nono, sexto nonas octobris.

LXXXIV. Codex signatus nº 5576-5604.

Foliorum 213, formæ minoris ($0^m,215 \times 0,145$), exaratus seculo XII. Codicem fusius describere supervacaneum duximus. Unum enim continet documentum hagiologicum, carmen scilicet de S. Vincentio, sine titulo, ternis columnis dispositum, fol. 164 et 165. Auctoris nomen indicatur in fine, rubrica capitalibus litteris descripta : *Finit opusculum Guarneri Resbacensium abbatis de sancto Vincentio martyre.* De quo Mabillonius, *Annal. Benedict.* lib. LXIX, cap. 9 (an. 1095) : *Philippo quippe successit Garnerius. Is videtur esse Guarnerius Resbacensis abbas, qui carmen de sancto Vincentio, Cæsaraugustano martyre, haud inelegans composuit, hactenus ineditum, cujus aliquot versus retulimus* (scilicet in *Act. SS. O. S. B.*, sec. IV, part. I, p. 644) *ex codice Gemblacensi;* hoc ipso, ut videtur, quem hic præ manibus habemus. Totum carmen vulgare visum est.

HYMNUS GARNERII, ABBATIS RESBACENSIS, DE S. VINCENTIO MARTYRE.

Quis tua, Christe, salutifera
Quæ facis omnipotens opera
Tradere non cupiat titulis?
Mittere gentibus et populis,
Cognita corporeis oculis?

Inde fides tua credibilis
Semper erit, neque vincibilis,
Dum tua gloria visibilis
Actibus edoceat rutilis
Quod tibi non Deus est similis.

Te sine nil fieri potuit;
Sermo quod est tuus esse fuit *.
Cum nova lux prior emicuit,
Forma poli speciosa cluit;
Stante solo, mare personuit.

Lucifer ille decoris onus
Ferre nequit, neque stare bonus.
Corde superbus ut intumuit
Parque tibi fieri voluit,
Spe sine lapsus in ima ruit.

* *intellige* fecit.

Post hominem facis ex fragili
Materia, modice stabili.
Causa bono placet artifici
Terrigenis numerum refici
Agminis ejus apostatici.

Sed neque stat bene factus homo
Elisiique repente domo
Pellitur; ac pœnitens animo
Tempore plectitur haud minimo,
Pulvere squalidus atque fimo.

Ergo fuit tibi consilium,
Christe, Patris manus et brachium,
Mittere cœlitus auxilium,
Solvere plasmatis exilium,
Quod caro fallit et arbitrium.

Non erat hæc eadem ratio,
Hunc simili redimi pretio,
Cui foret altera conditio :
Qui prius angelus officio,
Fit proprio Satan ex vitio.

Non caro texerat hunc fragilis;
Lucis erat species agilis,
Forma per omnia insensibilis *.
Sponte superbus et odibilis,
Perdidit esse receptibilis.

Hunc recipis pius, hunc revocas
Inque gradu meliore locas
Terrea quem potuit gravitas
Sternere, resque sequi illicitas
Dæmonis impulit impietas.

O super omne bonum bonitas!
Induit ipsa hominem deitas :
Fit caro splendida qui Deus est.
Nec violat caro quod Deus est,
Virginis hic quia filius est.

Voce quis explicet aut calamo
Quantus erat Deus in thalamo,
Quantus erat puer egregio
Virginis illius in gremio,
Innuba quem parit absque viro!

Corpore proficit interea
Quo minor est domus ætherea,
Orbis et undique materia.
Temporis ille subit spatia,
Munia dant cui solstitia.

Signa dat innumerabilia :
Ambulat ecce super maria;
Flamina voce fulgat Patria;
Vina potens sine vite creat,
Virgo docet quia cuncta creat.

Ægra cadavera salvificat,
Corpora mortua vivificat,
Lumina perdita restituit,
Vel potius nova constituit :
Nulla quod ante manus potuit.

Nos etiam nece perpetua
Eripuit Deus ipse sua.
Non tamen ipse Deus patitur
In cruce vel Deus occiditur;
Sed Deus est, homo qui moritur.

Vix triduo jacet in tumulo,
Moxque resurgit : in articulo
Noctis, adhuc sine diluculo,
Discipulabus adest celebris,
Quæ veniunt prius in tenebris.

Postea discipulis aliis
In speciebus adest variis.
Corpus idem, caro tangibilis.
Quid minus est, quia non fragilis
Utque perendie passibilis?

Verba palam repetendo Dei
Dogmata vera dabat fidei,
Nec minus emolumenta spei.
Didyme, credulus esto rei :
Est latus, aspice, testis ei.

Inde thronum Patris et proprium
Carne Deus repetens solium,
Testibus intulit eximiis
Qui sibi semper in officiis
Affuerant et amicitiis:

* *cod.* sensibilis.

Ite alacres, ait, *agricolæ;*
Vos etiam paradisicolæ,
Vos, mea lilia; vos, violæ;
Quos volui mihi colligere
Et specialiter eligere.

Orbis ad omnia quadrifidi
Climata pergite, non trepidi.
Non nisi justitiæ cupidi,
Dicite consilium Domini :
Propitius Deus est homini.

Dicite qui mihi crediderit
Quique renatus aqua fuerit,
Haud dubium quia salvus erit,
Symbola si teneat fidei
Cum Patre Pneumatis atque mei.

Non ego vos aio famulos;
Unanimes voco discipulos,
Posse dedi quibus exciere
Funera, dæmonas ejicere,
Signa potentia perficere.

Nil poterit quibus officere,
Nil in itinere deficere.
Dextera vestra nihil tulerit,
Mantica non oneri fuerit.
Orbis ad omnia vester erit.

Bella dabunt homines miseri;
Nam satis expedit hæc fieri,
Maxima præmia siderei
Percipiatis ut imperii
Cum diademate martyrii.

Christe benigne, tui famuli,
Immo tui tua discipuli
Jussa ferunt, velut agniculi :
Quos rabidi metuant populi,
Sive lupi seu * sint vituli.

* *vox disyllaba?*

Signiferis quoque principibus
Militiæque sacræ ducibus
Additur innumerus cuneus,
Flaminibus lavacri niveus,
Sanguine postea purpureus.

Omnia regna vel imperia :
Roma potens, Babylon nimia,
Græcia, Persis et Assyria,
Quæque ferunt sua præsidia;
Sic caput extulit Ecclesia.

Non aliis minus Hesperia
Quam notat Hesperus et maria
Arma, viros parat et spolia :
Iria *, Corduba *, Sibilia.
Martyr eo valet Eulalia *.

* *cod.* aurea.
* *cod.* cordula.
* *cod.* eulabia.

Cæsaraugusta dat egregium
Ad nova prælia Valerium;
Archidiaconus, ad bravium
Dum properaret, habens gladium,
Pontifici tulit auxilium.

Stans igitur super equuleum,
Tela tenens simul et clipeum,
O Datiane, tuum proprium
Aggreditur caput, et nimium
Intulit hic tibi supplicium.

Nunc quia martyris eximium
Ac memorabile martyrium
Est studiosius expositum
Atque perenniter exhibitum,
Alterius fuit hoc meritum.

Nos aliquid veteri studio
Addimus et fragili radio
Scribimus, illius auxilio
Qui stolidum pecus in bivio
Nobile reddidit eloquio.

Hispalis orbe sub occiduo
Limite vergitur exiguo.
Obtinet hæc sibi regna duo;
Nomine sed spoliata suo
Prodigio nitet assiduo.

Urbs igitur simul et patria
Æquivoce nova Sibilia
Ultima dicitur Hesperia,
Pro deitate colens varia
Sacrilega prece dæmonia.

Hac tamen in regione Deus
Quem colimus, pater æthereus,
Quæ facit utpote basileus
Si taceam, reor esse reus.
O placeat sibi sermo meus.

Cella procul bidui spatio
Ab populi manet hospitio;
Sancta monastica religio
Degit in hoc velut exilio.
Nullius indiget auxilio.

Sola Deo vacat hæc heremus.
Fert scopulos aridumque nemus.
Mons supereminet aerius;
Occeanum videt inferius.
Nil monachis licet * exterius.

Mons etiam capit ecclesiam
Inter utrumque decus mediam.
Claustra decoris habent faciem:
Cuncta boni retinent speciem
Et specietenus almitiem.

Hic Vincentius * armipotens,
Cui Dominus Deus omnipotens
Vincere carnifices tribuit,
Lipsana dum sua disposuit,
Nobilius caput exposuit.

Post rabiem canis indomiti,
Post diadema datum capiti,
Militis illius emeriti
Membra Valentia promeruit;
Huc deitas caput applicuit.

Audiat orbis et omnis homo
De placita tibi, Christe, domo
Quale decus sibi contuleris,
Quam sibi dapsilis extiteris.
Muneris id cui præstiteris?

Audiat hoc pius et stupeat,
Noverit impius et doleat,
Vel Datianus id invideat,
Quid Vincentius * exhibeat;
Quid caput illius obtineat.

Novimus hic Satanæ famulus
Nequitiæque suæ cumulus
Quod validum Domini pugilem
Vincere non potuit vigilem,
Aeris istius usibilem.

Ungulat hunc, cremat et perimit.
Supplicium neque mors redimit:
Est modicum quia sic moritur.
Rursus eum lupus aggreditur;
Membra per æquora persequitur.

Mergitur altius in pelagus,
Erret ut amodo fluctivagus.
At mare præbuit officium:
Unda fuit leve navigium,
Littus ei parat hospitium.

Interea Deus eximias
Servat ab æthere reliquias:
Corvus adest, facit exequias.
Hinc abigit volucres alias,
Necne feris movet insidias.

Excubat ales et obsequitur;
Lugubris est quia compatitur.
Esse nefas putat * illicitum
Tale relinquere depositum,
Dum foret ordine compositum.

Mira referre palam videor;
Miror et ipse, palam fateor.
Martyris ad caput ambrosium
Corvus adhuc regit officium,
Ut venerabile mancipium.

Quodque bonum dominum sequitur
Atque fideliter obsequitur,
Quam bona præmia consequitur!
Deliciis domini fruitur;
Non senuit nec adhuc moritur.

In patris ergo monasterio
Non sedet absque ministerio,
Credimus, illius imperio
Qui per avem similem vario,
Helia, te fovet edulio.

* *supra lin.* turbet.

* *vox pentasyllaba?*

* *add. cod.* et *supra lin.*

* *vox pentasyllaba?*

Ad quod opus, satis angelicum,
Secla per omnia glorificum,
Ne sit ei grave vel modicum,
Sanctus ei levat officium :
Namque parem dedit ac socium.

Nunc igitur quid agat volucris
Audiat orbis amans alacris.
Mane quidem seu * diluculo,
Impiger excutitur loculo
Cum pare vel potius famulo.

* *rursus disyllaba ?*

Prodit uterque monasterio,
Veridico satis augurio.
Sancta vacat schola psalterio;
Hi peragrant agili studio
Quanta subest heremi regio.

Si peregrinus amore Dei
Atque calore suæ fidei
Ad capitis thalamum rosei
Dona ferat precis aut olei,
En veniunt, famulantur ei.

Non alios aliquos adeunt
Qui loca devia prætereunt;
Sed facies hominum inspiciunt,
Agmina perfida despiciunt
Deque fidelibus excipiunt.

Hos igitur sibi conciliant
Hisque sagaciter appropiant,
Partibus ex quibus adveniant,
Qui cruce salvifica radiant
Martyris ac meritis inhiant.

Et quia nulla notabiliter
Pervia semita signat iter
(Fertur enim quod et in propriam *
Plurima tollit arena viam,
Qualiter aura movet Libyam) :

* impropriam ? *i. e.* improprie sic dictam.

Alter eis alacri facie
Angelica velut in specie
Jungitur et volitans leviter,
Sponte piger, graditur pariter,
Prævius aut bene dictat iter.

Mittitur alter ad ecclesiam.
Accelerat magis ire viam.
Qui veniens, sedet in solio
Et facili satis indicio
De solito monet hospitio.

Ilicet ille sacer cuneus
(Hospes adest quibus ipse Deus)
Alitis hujus ad auspicium,
Solliciti super hospitium,
Non adhibent breve servitium.

Quisque libens animo properat
Quo sua munia prima gerat :
Qui det aquam gelidam manibus,
Qui calidam laceris pedibus,
Qui calices ferat hospitibus.

Ad mare curritur interea,
Gaza requiritur æquorea,
Ut venientibus hinc agapes,
Hinc valeant adhibere dapes;
Quomodo mellificatis, apes.

Nil minus abnegat Occeanum,
Fit melius super Eridanum,
Præda libens venit ad calamum.
Novit amatque replere manum
Piscis, et ipse requirit hamum.

O satis et superegregia,
O nimis inclita prodigia!
Quot Deus advehit huc famulos
Tot tribuit mare pisciculos,
Juxta pares hominum titulos.

Non magis et minus accipiunt,
Retia mittere qui veniunt,
Quam venientibus conveniunt * ;
Nam numerum numeri inveniunt
Votaque consona proveniunt.

* *cod.* eveniunt.

Finit opusculum Guarneri, Resbacensium abbatis, de sancto Vincentio martyre.

LXXXV. Codex signatus n° 5649-67.

Foliorum 229, formæ minoris (0^m,21 × 0,15), ex multis codicibus diversis compactus, fere seculo XI et XII exaratis, quorum duo tantum (fol. 8-37 et fol. 152-163) documenta hagiologica continent (1). Horum prior seculo XII, alter seculo X descriptus est, lineis plenis stylo ferreo ductis, titulis subinde rubricatis, nullis ornamentis.

Codicem Gemblacensem nulla quidem nota, sed ratio compactionis indicat.

1° Vita sanctæ Gertrudis virginis (fol. 10^v-33^v).

Edita apud Josephum a Ryckel, *Vitæ S. Gertrudis historicæ narrationes tres*, p. 35 sqq. — Discrimina codicis cum editione Ryckeliana hic annotamus, ut appareat Ryckelium errasse in distinguendo Vitam secundam (p. 35-101) a tertia (p. 105 sqq.). Insuper codd. Bruxell. n. 7487-91 et n. 7917 (in quibus eadem S. Gertrudis Vita reperitur) adhibiti sunt ad edendum hic Prologum qui apud Ryckelium desideratur.

Incipit prologus in vita sanctæ Gertrudis virginis [1].

1. Cum [2] sanctorum vita, sacris recondita voluminibus, omnibus ecclesiis ædificationem pariat, maxime tamen unaquæque ecclesia in æmulationem sanctitatis incitatur, cum ad opus bonum domesticis suorum sanctorum exemplis instruitur [3]. Siquidem plus Romæ [4] contulit in confessione Christi veneranda corona apostolorum Petri et Pauli propriorumque pontificum seu civium nobilissima martyria, quam extraneorum confessorum [5] infinita millia. Item pugna invicti ac per omnia sanum et divinum sapientis Athanasii fortius ad defensionem fidei erudivit Alexandriam, quam aliis facta in locis densissima orthodoxorum conventicula. Sic unaquæque civitas artius amplecti ac promptius imitari consuevit, si quas virtutes, si qua sanctitatis opera [6] de civibus suis accepit [7]. Quæ cum ita sint, operæ pretium existimo, ad ædificationem sanctarum virginum [8] specialiter nostræ ecclesiæ, quæ Deus dederit (fons omnis sapientiæ et totius origo consilii) de vita beatissimæ virginis Gertrudis explicare, ut, licet in manibus habeant Agnetis et Agathæ aliarumque virginum certamina, magis tamen delectentur, ut fideles filiæ et devotæ famulæ, sanctæ matris ac venerabilis dominæ

[1] *(variantes lectiones sunt cod. 7487-91, quem signabimus numero 2, et cod. 7917, quem signabimus numero 3, signantes numero 1 codicem quem hic recensemus)* eximiæ virginis 2 ; virginis et abbatissæ 3. – [2] *ita* 2, 3 ; Dum 1. — [3] (e. i.) inst. ex. 3. — [4] (p. R.) R. p. 3. — [5] *om.* 2. — [6] opere 3. – [7] acceperit 2. — [8] et *add.* 3.

(1) Cetera a Reiffenberg recensita videsis in *Bulletins de l'Académie royale de Bruxelles*, tom. X (1843), part. I, p. 247-250 et p. 362-370.

familiaribus exemplis incitari ad exercitia sanctitatis. Nam ut earum servitus gratior[1] acceptiorque existat, opus est ut cujus meritis famulari debent ejus moribus[2] mores suos conforment, quatinus[3] in laudem Dei ob hanc confermationis gratiam decantare possint: *Deus in loco sancto suo, Deus*[4] *inhabitare facit unius moris in domo.* Quamobrem, divina insperante[5] clementia[6] vitam piissimæ virginis earum ædificationi conscribere decrevimus, secundum quod veracissima ac fidelissima narratione (licet inculto sermone) nobis tradidit qui vitam et virtutes ejus oculis suis vidit, quique sacris exequiis dum divinus odor totam in cellam sese diffunderet præsens interfuit.

2. Nec me quisquam[7] temeritatis insimulet, quod ab alio tractatam materiam novæ narrationis incude[8] reformare præsumam. Nam quis alios evangelistas dixerit temere fecisse quod conscriptum prius a Mathæo Evangelium studuerint suis quisque[9] scriptis amplificare? Neque enim ea scribendi causa inter ipsos extitit, ut posterior quilibet prioris scripta contemneret; sed omnes, eodem sancti Spiritus ardore attacti, gesta Salvatoris prædicare gaudebant et in ædificationem surgentis Ecclesiæ aliquid ex se quisque[10] addere cupiebant. Horum exemplo ego quoque non alienæ simplicitatis contemptu, aut ingenii proprii impulsu ad scribendum proruo; sed juvat[11], magnis multisque beneficiis venerabilis dominæ incitatum[12], mirificam ejus pietatem prædicare sacrisque virginibus tantæ sanctitatis exemplar proponere[13].

3. Dicemus ergo virgineum sidus quomodo in terris positum cœlum conversatione tenuerit cœloque insitum præsentia pietatis ac[14] promptissima subventione terrena habitare[15] ac mortalibus adesse non destiterit. Sed forte ordinatiore progressu ad promissæ[16] narrationis historiam descendemus, si prius de patre ac matre cognatisque ejus dixerimus pauca quæ de *Gestis Francorum* excerpsimus[17].

[Lib. I.]

De justitia et prudentia Pippini, patris beatæ Gertrudis.
Quomodo Dagobertum regem adolescentem in tutelam suam susceperit.
Quomodo Sigebertum, Dagoberti filium, in tutelam suam susceperit.
De nobilitate beatæ Ittæ.
Quomodo a sancto Amando velamen acceperit.
Quam sancte in viduitatis habitu vixerit.
De Grimoaldo, fratre beatæ Gertrudis.
De Pippino, filio beatæ Beggæ.
De Karolo, bellicoso duce.
De Karlomanno et Pippino rege.
De imperatore Karolo Magno.

[1] gratiosior 2. — [2] *om.* 2. — [3] quamvis 2. — [4] *add.* qui 2. — [5] operante 3. — [6] gratia 2. — [7] quisnam 3. — [8] titulo 3. — [9] quique 2. — [10] *om.* 2. — [11] juvante Deo 3. — [12] incitatus 3. — [13] conabor *add.* 3. — [14] *om.* 3. — [15] inhabitare 3. — [16] *ita* 2, 3; præmissæ 1. — [17] Explicit prologus. Capitula libri primi *add.* 2.

De Loduico, filio ejus.
De tribus filiis Loduici : Karolo, Lothario et Loduico.
Mentio de beata Aldegunde et Waldedrude, sorore ejus.

[Lib. II.]

De initio conversationis beatæ Gertrudis.
Quo responso ducis filium a rege Dagoberto oblatum reppulerit.
Quod in Franciam Orientalem castitatis amore fugerit.
Quam obedienter patre defuncto vixerit.
Quas persecutiones castitatis amore cum matre sustinuerit, et quomodo a matre tonsorata sit.
Quod a sacerdotibus Dei consecrata, prælata sit sanctimonialibus.
Quod sanctum Foillanum cum sociis suis recepit.
Quod, partito in alias onere, tradiderit se lectioni et speculativæ vitæ.
De sphæra ignea quæ illi in oratione apparuit.
De legatis a tempestate et belua invocato ejus nomine liberatis.
Quomodo corpus beati Foillani martyris invenerit.
Quod revelato sibi obitu suo Wolfedrudi pastoralem curam commiserit.
De dispositione funeris ejus.
De occursu sancti Patritii promisso sibi in exitu suo a beato Ultano.
De obitu ejus et diffuso divinitus odore.

[Lib. III.]

Quod in obitu suo sanctæ Modestæ apparuit.
De templo per eam ab incendio liberato.
Quod jusserit ne in lecto ejus quisquam ultra dormire præsumeret.
De puella debili et cæca ab ea sanata et illuminata.
De basilica in honorem ejus ædificata et de lampadibus divinitus accensis.
De muliere cæca illuminata.
De puero a vinculis latronum absoluto.
De servo a furore domini sui liberato.
De parte lectuli et reliquiis beatæ Beggæ concessis.
De puero in fonte suffocato et resuscitato.
De puella cæca nata et illuminata.
De puella contracta et erecta.

Præterea hæc notanda discrimina editionis Ryckelianæ cum codice :
Pag. 112 init. phrasis : *Usque ad id tempus-laudem habere* om. in cod.
Pro iis quæ leguntur pag. 112, lin. penultima usque ad pag. 113, lin. 11 (*Hæc cernens-Dei timor, quem*) cod :

Sed Pippinus in modum sancti animalis habentis oculos ante et retro undique circumspectus, prudenter agebat in cunctis.

Verumtamen, ut ipsis verbis Historiæ Francorum utar, amor justitiæ et timor Dei, quem...

P. 116, pro iis quæ leguntur a lin. 10 usque ad fin. capituli (*Audiant ergo-disciplina*), cod.:

Sed ne videar de vita beatissimi ducis novum attulisse figmentum, non ab re erit, si in testimonium sanctitatis eadem verba quæ in *Gestis Francorum* diversis in locis inserta sunt, hic in unum collecta sub oculis posuero. Sunt ergo in hunc modum sese habentia : " Usque ad id tempus ab initio quo regnare cœperat Dagobertus consilio beatissimi Arnulfi, Metensis urbis pontificis et Pippini majoris domus, tanta prosperitate regale regimen in Austria regebat, ut a cunctis gentibus immensam laudem haberet. „ Et paulo infra : " Post decessum beati Arnulfi, adhuc consilio Pippini majoris domus et Cuniberti, pontificis urbis Coloniæ, utens et ab ipsis fortiter ammonitus, tantæ prosperitatis et justitiæ amorem complexus universas sibi subditas gentes sic regebat, ut nullus de Francorum regibus præcedentibus sua laude fuisset præcellentior. „ Item, post narrationem de tribus reginis et Dagoberti concubinis : " Hæc cernens Pippinus, cum esset cautior cunctis et consiliosus valde, plenissimus fide, ab omnibus dilectus pro justitiæ amore, quo * Dagobertum instruxerat, dum suo usus fuerat consilio, sibi tamen nequaquam oblitus justitiam, neque recedens a via bonitatis, cum ad Dagobertum accederet, prudenter agebat in cunctis et cautum in omnibus se ostendebat. Zelus Austrasiorum adversus eumdem vehementer suggerebat, ut etiam ipsum conarentur Dagoberto facere odiosum, ut potius interficeret. Sed justitiæ amor et Dei timor quem diligenter amplexatus fuerat, ipsum liberavit a malis. „ Et aliquanto infra : " Dagobertus Mettis urbem veniens, cum consilio pontificum seu et procerum Sigebertum filium suum in Austriæ regnum sublimavit, et Cuniberto pontifici et Adalgisilo duci et Pippino majori domus regnum gubernandum constituit. Quorum studio deinceps Austrasii limitem et regnum Francorum contra Winidos utiliter defensasse noscuntur. „ Item post pauca : " Cum Pippinus major domus post Dagoberti obitum et ceteri duces Austrasiorum cum Sigeberto unanimem conspirationem expetissent, Pippinus cum Cuniberto sicut et prius amicitiam perpetuo se firmiter conservaturos obligaverant, omnesque leudes Austrasiorum secum uterque prudenter et cum dulcedine attrahentes, benigne gubernabant. Ac deinceps Cunibertus

* *cod.* qua.

pontifex et Pippinus major domus a Sigeberto directi, villam Compendium usque perveniunt, ibique thesaurus Dagoberti jubente Nanthilde et Clodoveo præsentatur, et æqua lance dividitur. Cunibertus et Pippinus partem Sigeberti Mettis faciunt perducere et Sigeberto præsentari et describitur. „ Ultimum vero laudabilis et honestissimæ vitæ præconium eadem Historia his verbis concludit : " Post anni circulum Pippinus moritur, nec parvum dolorem ejusdem transitus cunctis generavit in Austria, eo quod ab ipsis pro justitiæ cultu et bonitate ejusdem dilectus fuisset. „ Quis plura testimonia industriæ, potentiæ ac bonitatis ipsius desideret? Quia ergo hæc de vita præclarissimi ducis Pippini retulimus, pauca etiam de uxore ejus ac liberis et nepotibus retexamus.

P. 117, pro *De hac igitur sancta-viduata statuit,* cod. :

De hac igitur sancta muliere satis quidem erit dicere quomodo post obitum pii consortis vixerit, ut ex eo quoque, quod sancte egit in libertate sua, notum sit quam religiose habuerit se sub mariti disciplina. Viduata itaque beata Itta pii conjugis consortio, statuit...

P. 122, *Mirantur omnes-cum ista Deo referre,* om. cod.

P. 126, post *vitam illic institueret* sequitur in cod. :

Hanc occasionem effugiendi tumultum secularium rerum solique Deo vacandi vir sanctus arripiens, substituto pro se in curia episcopali Theodardo ad hæc loca secessit et continentioris vitæ disciplinæ ac promotioris virtutis exercitio sese devovit.

P. 127, pro *Verum in sororis ejus* cod.: *Sed in filias reverendi principis;* deinde pro *Quid autem de sorore clarissima-sermonem differamus,* cod.: *Nam ut interim de gloriosa sponsa Christi Gertrude omittamus.*

Pro cap. x, pp. 128, 129, cod. :

Soror ejus Begga duci Ansigiso felici matrimonio conjuncta, generosæ familiæ nobilissimorum regum mater extitit. Genuit quippe ex sese Pippinum juniorem, sicut nomine ita factis quoque et moribus omnique honestate vitæ avo consimilem.

Pro initio cap. XI usque ad *in fugam vertit,* cod. :

Hic, mortuo sine liberis rege Hildrico, sub quo beatus Lanbertus eximia sanctitate claruit, et si non regio nomine tamen regia potestate in Austria dominari cœpit; belloque adortus Theodericum regem Francorum eum cum Bercario duce suo ingenti prælio vicit et in fugam vertit.

P. 131, *unde et cognomen Tudites-quam superasse* om. cod.

P. 132, pro *Nam cum merito-et populis*, cod. : *Unctus ergo in regem.*

P. 133, pro *in regem-consecratus postmodum*, cod. : *et martyre. Deinde.* Verba insuper *et quia rempublicam-curaverat* om.

P. 137, ad fin. cap. xv add. cod. : *et cuncta quæ in regno suo corrigenda invenire potuit, corrigere atque emendare curavit.*

Pro iis quæ leguntur p. 138-141, cod. :

> Sed quid ultra alios reges vel imperatores de hac gloriosa stirpe memorare laboremus? Cum... numerus et idem nominum ... confusus, ut tot Karolos, Karlomannos, Lotharios, Pippinos et Loduwicos nec narrationis brevitas ... stirpe quæ nobis nota existat, tam densam, tamque egregiam regum silvam pullulasse, quæ vel tantum potentiæ gallico regno vel tantum et potentiæ ... ecclesiis. De religione argumento existunt libri continentes sanctarum synodorum capitula, eorum auctoritate corroborata; de potentia vero ipsi gallicani episcopi in præsidium fidei præsto adsunt, qui de rebus ecclesiæ per ipsos traditis tanta opum tantaque abundant rerum copia, ut parum regio ... opulentia differant, nec usquam gentium ... queant. Hanc ... monumenta tam in prædiis quam in diversi generis ornamentis ... Hæc sunt ... et VII ejus signacula solvere.

Reliqua omissa sunt. Sequitur :

Incipit secundus Vitæ sanctæ Gertrudis liber eximiæ virginis. Amen. Superiore libello (ed. p. 141) ... Atque inde legitur Vita edita ap. Ryckel, p. 35 sqq. et post *ordinari fecit* (ed. p. 45) additur : *Quod quia superiore libello latius explicuimus, hic levi ammonitione memoriam innovasse contenti sumus.* Post caput XVI (ed. p. 77) continuo additur prologus libri III (ibid., p. 146) et sequuntur Miracula quæ leguntur ap. Ryckel cap. I, p. 147-151 ; cap. XI, p. 174-176 ; cap. V, pp. 156, 157 ; cap. VI, p. 158-161 ; cap. VII, p. 161-163 ; cap. II, pp. 151, 152 ; cap. III, p. 152-154 ; cap. IV, 154-156 ; cap. VIII, p. 163-165 ; cap. IX, p. 165-171 ; cap. X, p. 171-174 ; cap. XII, p. 176-181.

2° Sermo [in laudem sanctæ Gertrudis] (fol. 33v-37v).

Inc. *Quotiens de virginibus recitatur sermo, illa præferenda est singularis Virgo quæ virginitate servata mater facta est incontaminata ; quæ virgo concipiendo, mater est parturiendo ...*

3° Vita sancti Benedicti abbatis, excerpta de Gestis Langobardorum (fol. 152r-156v).

Versus Pauli diaconi in sua Historia Langobardorum, editi anno 1878 in *Monum. Germaniæ hist.* a G. Waitz et rursus anno 1880 inter eadem *Monumenta* ab E. Dümler (*Poetæ Latini ævi Carolini*, tom. I, pars I, p. 36-42, num. II et III). — Sed in codice prætermissi sunt versus 131-154.

Codicis nostri meminit editor E. Dümler, tom. cit., p. 34, juxta ea quæ monuerat L. Bethmann anno 1851 in *Archiv*, tom. X, p. 289. Post versus legitur etiam in cod. additamentum illud quod posuit Paulus post Vitam metricam S. Benedicti : „ Libet me breviter referre, „ etc. Cfr. tom. cit., p. 68.

4° Vita sancti Benedicti abbatis a Marco poeta heroico breviloquio composita (fol. 156v-163v).

Extracta ex libro Flodoardi *De Christi triumphis apud Italiam*, edito apud Migne, P. L., tom. LXXX, scilicet cap. VIII libri XIII, p. 837-844.

LXXXVI. Codex signatus n° 6717-21.

Foliorum 122, formæ mediocris (0m,32 × 0,23), columnis binis, lineis graphide ductis, exaratus diversis manibus extremi seculi XV : nonnulla subjunxit (fol. 71r-74v) manus seculi XVI. Tituli et litteræ initiales capitum minio signata; exordio singulorum fere documentorum conspicitur littera major, vario colore depicta et ornata, sed arte non admodum insigni.

Quo loco et quo tempore descriptus sit codex, perspicue indicat sequens clausula primo documento subjecta (fol. 27v) manu eadem cui illud totum debetur; *Finit vita beati Norberti Parthenopolitani alias Maegdeburgensis archiepiscopi, ordinis Premonstratensis fundatoris institutorisque invictissimi. Per fratrem Paulum de Monte Sancti Winnoci, de Westflandrie finibus oriundum, suppriorem et armarium in Orto gloriose Dei genitricis semper virginis Marie, ejusdem ordinis sacratissimi, Trajectensis dyocesis. Anno a nativitate Domini* MoCCCCoXCVIIo *prima die primi mensis.* Ejusdem manus vel certe coævæ est nota inscripta licio membraneo, quod nunc interiori tegumento in capite codicis glutino affixum est, his verbis : *Pertinet monasterio Orti Sancte Marie in Frisia Premonstratensis ordinis.* Similibus fere verbis inscripta est ultimo folio verso manu seculi XVI hæc altera nota : *Pertinet monasterio Orti Sancte Marie ordinis Premonstratensis in Frisia prope Helberdiam.*

Totum codicem complent documenta de originibus Ordinis Præmonstratensis et monasterii Horti Sanctæ Mariæ, nimirum :

1° Liber de initiis et incrementis Præmonstratensium [seu Vita S. Norberti] (fol. 1r-27v).

Eadem est Vita quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 6 Junii (tom. I, p. 819-858), cum parte majori additamentorum Cappenbergensium editorum ibid., pp. 859, 860, scilicet num. 4-7, omissa tamen prima phrasi numeri 4. Sed in ipsa Vita non pauca plus minus contracta sunt in codice nostro, et omnino prætermissi numm. 6 (cum initio num. 7), 14-17 et 33. Ceterum in utraque Vita eædem omnino res referuntur, eodem

ordine et fere iisdem verbis : ut certo errasse censendus sit cl. Wieland, ubi (*Monum. Germ. hist.*, Scr. tom. XII, p. 669) opinatus est hanc pertinere ad tertiam classem, præter eam Vitam scilicet quam ipse edidit (ibid., p. 670 sqq.) et Vitam editam in *Act. SS.*

Vitæ illi in codice subjuncti sunt (fol. 28r) :

a) Cathalogus abbatum Præmonstratensis ecclesiæ

	Anno Domini	
	M°C°XX°	Norbertus præfuit annis VI.
	M°C°XXIX°	Hugo præfuit annis XXXV.
* sic.	M°C°LXX° *	Philippus annis XI.
* sic.	M°C°LXX° *	Johannes paucis mensibus.
	M°C°LXXI°	Dodo paucis diebus.
	M°C°LXXI°	Hugo annis XVIII, mense uno, diebus duobus.
	M°C°LXXXIX°	Obertus.
	M°C°XCI°	Galterus.
	M°C°XCV°	Petrus annis VI, mensibus tribus, diebus XIIII.
	M°CC°I°	Baldwinus annis duobus, diebus tribus.
	M°CC°III°	Wermundus anno uno.
	M°CC°IIII°	Gwillelmus anno I, mensibus VI, die uno.
	M°CC°VI°	Robertus annis tribus, mensibus VIII, diebus XXI.
	M°CC°IX°	Gervasius.
	M°CC°XX°	Conradus.
		Wilhelmus anglicus.
		Hugo.

b) Versus editi in *Act. SS.*, tom. cit., p. 860, num. 8. — Sed inter horum 1 et 2 sequentes in codice inserti sunt :

Dux tubicenque gregum quos armat sanctio legum,
Præmonstratarum censura pudicitiarum.
Hi sunt Cappadoces, nec mente nec ore feroces ;
A foris albani ; specie, non intus inani ;
Progenies lucis, candentibus oblita fucis.

Ac post ultimum additi hi quinque :

Tam sancti patris præmium tale qui concupiscis,
Quod fecit facito, pransumque beatulus ito.
Anno milleno centeno bis quoque deno,
Sub Patre Norberto processit candidus Ordo.
Pro nobis oret qui vivus in æthere floret.

2° Vita venerabilis patris Fretheryci, primi abbatis et fundatoris Orti sanctæ Mariæ (fol. 28v-51r).

Vita auctore Sibrando, edita ex hoc codice cum aliis Vitis quæ sequuntur a cl. v.

Æm. W. Wybrands, *Gesta abbatum Orti Sanctæ Mariæ* (Leeuwarden 1879), p. 1-75. — In *Act. SS.*, ad d. 3 Martii, tom. I, p. 286 sqq., non nisi compendium ejusdem Vitæ editum est.

3° Vita venerabilis patris Siardi, abbatis Orti sanctæ Mariæ (fol. 51v-71r).

Edita ap. Wybrands, p. 76-146.

Post hanc Vitam nonnulla folia (fol. 71r extr.-fol. 76) vacua relicta sunt. Horum partem (fol. 71r-74v init.) insumpsit manus seculi XVI describendo a) (fol. 71r) pauca de sepultura ac translationibus corporis beati Siardi (edita apud Wybrands, p. 146); et b) (fol. 71v-74v) brevem notitiam de singulis abbatibus monasterii Horti Sanctæ Mariæ a condito cœnobio (an. 1163) usque ad medium seculum XVI. Ex hac notitia quædam excerpta exhibet laudatus Wybrands, p. 253-262.

4° Libellus de vita et obitu atque miraculis fratris Herimanni Joseph, in Steenvelt reconditi (fol. 77r-100v).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 7 Aprilis, tom. I, p. 686 sqq. — Alterius tractatus (qui ibidem incipit p. 710) desunt in codice num. 2 et caput II, seu num. 13-18.

5° Vita et gesta trium venerabilium abbatum Orti sanctæ Mariæ : Sibrandi videlicet, Jarici, similiter et Ethelgeri (fol. 101r-121v).

Edita apud Wybrands, tom. cit., p. 147-251, et ex eodem cod. in *Monum. Germ.*, Scr. tom. XXIII, p. 575 sqq.

INDEX SANCTORUM

QUORUM ACTA RECENSITA SUNT

ET ETIAM ALIQUA SUBINDE EX IIS EDITA

IN CATALOGI HAGIOGRAPHICI

BIBLIOTHECÆ REGIÆ BRUXELLENSIS

TOMO I.

N. B. — Sancti circa quos aliquid hic editum est, designantur charactere italico, v. g. *Abdon.*

Reliqua nomina eorum Sanctorum sunt qui solummodo recensiti sunt in Catalogo.

ERRATA.

Pag. 41, 86°, *pro* tomo IV, *lege* tomo VI.
143, 41°, *pro* 377, 378, *lege* 577, 578.
206, 9°, *pro* Mombritiana, *lege* Casinensis.
232, lin. 5 a fine, *pro* attendat, *lege* attendas.
233, lin. 15, *redundat vox* ponuntur.
234, lin. 10, *pro* conventorum, *lege* contentorum.
263, lin. 9, *dele* VIRGINE.
266, lin. 4 a fine, *dele* vel Nivellensis.
342, lin. 3 a fine, *pro* Augiam, *lege* Angiam *(Enghien)*.
379, lin. 4 a fine, *pro* litteris plenis, *lege* lineis plenis.
400, lin. 16, *pro* terre, *lege* terræ.
414, *pro* Capitulum VI, *lege* Capitulum V.